UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

SELECTA=||RVM DECLAMATIONVM || Philippi Melanthonis, quas con=||scripsit, & partim ipse in schola Vui=||tebergensi recitauit, partim alijs recitandas exhibuit.|| TOMVS ... ||

Melanchthon, Philipp

1559

VD16 M 3567

urn:nbn:de:hbz:466:1-34734

Visual Library



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th. 5709.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

SELECTARVM DECLAMATIONVM

Philippi Melanthonis, quas conscripsit, & partim ipse in schola Vuitebergensi recitauit, partim alijs recitandas exhibuit.

TOMVS PRIMVS.


Hodie ego, cras tu.



Cum Gratia & Priuilegio.

ARGENTORATI ANNO
M. D. LIX.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CLARISSIMO VIRO

DOCTORI IACOBO MYLI-chio, nobili Medico & Mathematico,

Nicolaus Gerbelius

S. D.

ARtoxerxes rex Persarũ, primi Artoxerxis qui à manu altera longiuscula, μακρόχειρ dictus est, ex filia nepos, uir fuit facilitate morũ, et eximia quadam liberalitate celebris, eadẽ erga eos, quibus daret ipse, & à quibus acciperet mansuetudine atq; beneuolentia: cui nihil unquam tã pusillum aut contemptum oblatũ est, quod non summo cum gaudio & clemẽtia Rege digna reciperet. Nam cum illi quidam è plebe malum Punicum insigni pulchritudine ac magnitudine dono dedisset, incredibile dictu, qua illud lætitia, quàm suauiter acceperit, quo præconio industriã atq; ingenium hominis collaudarit, testatus, si commodus ei locus tri-

beretur, facile ingentem urbem ex pusilla facturum. Alius item ἀντουζηλὸς cum uideret neminem non gratulari regi, se uero in parato nihil, quod tanta maiestate dignum foret, habere, proximum fluuiolum conspicatus, properè accurrit, haustámq; ambabus manibus aquam, Artoxerxi adorabundus obtulit: Qua hominis urbanitate & beneficentia excitatus, ilico phialam auream, atq; mille Daricos numos tam iucundo donatori reddi iubet. Quod si, Mylichi doctissime, pro malo Punico, pro tantula aqua, tantam gratiam retulit suis Rex magnus, suorumq; animum ac uoluntatem tam clementer agnouit, quid tibi censes pro tuo munere faciendum esse nobis, quod dona illa Persica, quantiuis ea Artoxerxes fecerit, tam superat, quàm à gemmis marini calculi uincuntur? Quanquam enim aspectu uix aliud quicquam Punicis malis sit iucundius, & iuxta Pindarum ἄριστον τὸ ὕδωρ, tamen Orationes Philippi, quas tu nobis muneri misisti, aliorumq;

orumq; ſcholę tuæ clariſsimorum no minum lucubrationes, longè maiore honore atq; gratia dignæ ſunt, quod in illis multa præclara ornamenta ingeniorum, atq; illud præcipuum τὸ καλὸμ καὶ ωφέλιμον, tum etiam ſingularis illa commendatio virtutum, quibus in omni vita noſtra nihil maius, nihil præſtabilius, nihil diuinius eſſe uidemus, mirificè eluceat. Quæ enim in his eloquentia, quis ſuccus, quis ſanguis, qui Oratorij, nolo nullo prolixius referre, cum ampliora & magis illuſtria ſint hæc. Tot exhortationes ad vera ſtudia, ad nobiliores diſciplinas, ad formanda iuuenum ingenia, ad Chriſtianam vitam rectè inſtituendam, ad inſtaurandam pietatem, quæ tot iam annis à Sophiſtis & turpiſsimis ſycophantis miſerè iacuit dilacerata. Hæc inquam, Mylichi, cum elegantiſsimo muneri tuo inſint, atq; alia permulta, quæ ſe ſponte ſua ſtudioſo lectori offerent, ſæpe mecum diuq; cogitaui, quæ dignæ tibi pro meritis tuis gratiæ referri debeant, aut poſ-

sint. Cùm enim neq; aureæ Phialæ, neq; Darici numi in facultate nostra sint et præclara illa eruditorum hominum monumenta precium omne superent, destitutus omnibus viribus, ad humanitatem tuam atq; suauissimos mores confugio, quibus fretus, quicquid uellem licere mihi putaui. Tibi itaq; munus tuum dedico, deq; alieno liberalis sum, & si alijs multis, potissimum tamen hac ratione permotus, quod sciam Philippum, virum omnibus honoribus præstãtem, adeo tibi charum esse, vt nihil eo sit gratius tibi: vicissim te ab illo tantopere diligi & amari, vt piaculum esse ducat, si tui quacunq; saltem oblata occasione, non honorifice etiam recordetur. Taceo de alijs harum orationum authoribus, à quibus pari modo officioſe obseruaris & coleris. Quanquam etiam tua in me beneficia & merita illud exigant, vt qualicunq; beneuolentis animi significatione tester, omnia mihi tua bene facta semper gratissima fuisse. Quoniam autem vt vere dixit

re dixit Aristoteles, καλαὶ sunt τῶν διδασκάλων παραινέσεις καὶ προτρέψεις, omnino mihi persuadeo, has illustrium virorum doctissimas Orationes, studiosis gratissimas futuras esse. De tuo enim candore, deq; perpetua in me beneuolentia tua adeo sum certus, vt plane nihil dubitem, quin hoc officio meo tuum erga me atque familiam meam amorem, & studium maximopere corroborauerim. Vale Mylichi humanissime, & me, vt facere soles, ama. D. Martinum Lutherum, & Iustum Ionam, viros immortalitate dignos, meis uerbis reuerenter saluta. Argentorati, Calend. Ianuarij, Anno

M. D. XLI.

ADHORTATIO AD CHRISTIANAE DOCTRInæ per Paulum proditæ, ſtudium, Phil. Melanth.



QVIDEM agnoſco, Paulinæ Philoſophiæ ſtudium uobis commendaturus, rem me conari non paulò maiorem uiribus. Quæ eſt enim humana eloquentia, nedum mea, quæ poſsit, uel par eſſe Pauli laudibus explicandis, uel hoc doctrinæ genus adſererе? quod, quantumuis magno Chriſtianæ Reipub. malo, ſeculorum aliquot faſtidit conſenſus, quem ſi uſquam aliâs, certè in literarum ſtudijs, niſi non dolet dediſcere quod ſemel imbibimus, pertinaciſsimè tuemur. Verùm cùm in pia cauſa nullus ſit non laudandus conatus, non dubitaui audacius fortaſſe quàm prudentius, ſed pie tamen, rem, quamuis impar, egregiam tentare. Nihil ætas, nihil tenuitas noſtra dehortabatur, quando non alius luſus hanc ætatem perinde decet, atque qualecunq;

qualecunque rerum Christianarum rudimentum. Nam quod noluit Christus noster à se pueros arceri, quasi signo sublato adulescentiam ad sui studium inuitauit. Proinde, nisi nihil huiusmodi uotis proficitur, optarim mihi non inimitabilem Periclis, aut Lysiæ eloquentiam: Quorum alterius labra Patho insedisse uetus Comœdia testatur: Alterum etiam ille iuxta Apollinis oraculũ sapiens Socrates admiratus est. Sed illum ipsum uerè flexanimum Paulinæ linguæ spiritum, diuinitus suppeditari, & orationem nostram animaturum, & pectora uestra, ad complectendam cœlestem sapientiam inflammaturum. Quid enim magis conuenit, quàm de sacris rebus dicturos, diuini numinis opem cœlo deuocare? Vos item mecum communibus optate uotis, ut benignus dei spiritus radijs suis animos uestros collustret, & ad hoc philosophiæ genus præparet, quod in auditũ esse uiribus humanis, uel hoc inditio est, quod paucis admodum post Paulum contigisse uidemus: recentiores uerò Theologos, quos uocãt, etiam obscurasse: quod utinam audacius dicerem, quàm uerius. Equidem, ut uelim Paulinam doctrinam non Monachis, aut Theologis tantum istis scenicis, sed uulgo etiam Christiano familiarissimam esse: ita puto ad formandam uitam, nullam

Peculiare adulescentiæ studium Christianæ literæ.

Præcauel

sapiendi rationem accommodatiorem, nullum certius ad fœlicitatem compendium esse. Primum enim ratione quadam & doctrina opus esse, ad

Θέσις.

Doctrina ad instituendam uitam necessaria.

instituendam uitam, uel hoc argumento est, quod nulla priuatim domus, nulla ciuitas publice, citra legum usum administrari posse uidetur, ut literas in hoc repertas ueri simile sit, quo præscriptis, adeoq; duraturis legibus, paulatim glisscenti hominum cupiditati frenum iniiceretur. Extant uiuendi formulæ, aliæ diuinitus proditæ, aliæ ab ingeniosis hominibus conscriptæ, quale est Hesiodi, item Homeri poëma, quales Philosophorum commentarij, quales pleræq; nobilium ciuitatum leges sunt, quarum memoria, historiarum beneficio, ad nostra tempora propagata est: Verùm in his diuinæ leges tãto sanctiores sunt humanis, quãto propius effingunt tum autorem, tum archetypum omnium bonarum rerum, quem non dubium est nusquam certius expressum, quàm in ijs literis, quas suis ipse digitis, inæstimanda benignitate, lapideis tabulis insculpsit, præcepitq; omnibus postibus ædium, uestibulis, fimbrijs item uestium inscribi, & scopi uice, ob oculos, interq; manus reponi, unde uitæ uniuersæ ratio peteretur. Iam & hoc humanæ leges diuinis scripturis uincuntur, quod legibus Euangelicæ literæ additæ

Hesiodi & Homeri poesis.

Leges.

Euangelium.

sunt,

sunt, quæ Christum generi mortalium exhibent, qui spiritũ impertit, quo humani animi accẽsi, nihil nõ cœleste, sua ipsi spõte adsectent. Lex enim recti uiam monstrat. Sed honestum animis humanis ille Christi spiritus absoluit. Adeo plane fieri inquit, ut solis legibus adiutus, uitam probe instituas. Neq; enim satis est uidere quid agas, sed refert uelomnium maxime, quæ Euangelij farrago est, scire unde animũ petas legibus fauentẽ, & honesti amantem, nempe, quem à recti amore naturæ genius auocat. Etenim, si solis legibus humanæ mentes ad uirtutem incitabantur, non erat, cur aut filius Dei carnem indueret, aut Euangelicæ literæ proderentur. Quare cum ad componendam uitam, tum legum, tum Euangelij cognitio necessaria sit, cum unicum salutis compendium sit sacrarum rerum scientia, quin omnes certatim animos diuinis literis despondemus? siquidem sua cuiq; salus esse quàm charissima debet. Alia studia, alijs uoluptas, alijs quæstus commendat, hoc uerò pijs omnibus instituendæ uitæ cura, adeoq; plusquam Diomedea necessitas. Porro, qui è fictitijs Philosophorum, aut Theologistarum commentarijs uitæ formam peti posse censent, quàm irreuerenter, quàm impie de diuinis literis sentiant, uestrum esto iudicium: Nam si nostris

In Theologistas, qui humanas traditiones docent.

noſtris inuentis componi mores humani poterãt, quid erat, cur legem ferret? ſuis q̃; deſcriberet articulis, optimus maximus Deus? cur omnibus poſtibus, fimbrijs etiã ueſtium inſculpi mandaret? id q̃; ne rationis noſtræ cenſuram et conſilia ſectaremur. Nam hoc diſerte additum eſt, ne noſtras cogitationes ſequeremur, ubi ſatis indicauit cœleſtis legumlator, mendacem, uanum, ac futilem eſſe hominis captum, plancq̃; regendum, ceu Theſeo filo labyrinthum aliquem. Imò, ſi per ſeſe hominum animi ad uirtutem erigi potuere, quid erat, cur carne Filius Dei, adeoq̃; æternus ſermo, ueſtiretur? cur in uniuerſum orbẽ terrarum euangari præciperet Euangelium? cur æternus Pater tam religioſe commendaret orbi terrarum filij doctrinam? inquiens: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui: Ipſum audite. Cur ſacroſanctam philoſophiam maximi homines tam ſtudioſe literis mandarent? Et doctrinam ſuam cum tanti uelit fieri cœleſtis pater, quid homunculi noſtra iactamus ſomnia? quid ἀλαοσκόπον philoſophiam, nugarum regnum, uitæ formam appellamus? O quin uidemus, quàm inſanis Philoſophi dogmatis cæcitatem ſuam teſtati ſint, dum in perueſtiganda rerum natura nuſquam non hærent, nuſquam non hallucinantur, dum de bonorum ac malorum

Philoſophia regnum nugarum.

lorum finibus disceptant: ubi hic uoluptatem, ille indolentiam, hic εὐθημίαν, ille gloriam, Stoicus falso nomine uirtutem, Peripateticus multò ineptius uirtutis usum adserit. Videbat ipse Socrates, non esse certi quicquam in uniuerso philosophiæ genere, cum sapientiam suam uocaret ἀμφιβητήσιμον ὄναρ. At hominum λογολεσχίας etiam diuinus literis nostrorum temporũ Theologi prætulêre, quibus debemus, ut nihil hoc tẽpore sint Christianæ literæ, nisi malitiæ quædam fallacis loquelæ, ut ille apud Ciceronẽ ait. Adeo, quod doctrinæ genus diuinitus ad corrigendas, confirmandas, consolandasq; hominum mentes proditum est, friuolæ, addo etiam indoctæ Sophistarum καὶ βέβηλοι κενοφωνίαι magna ex parte extinxêre. Vel contemni poterat, si quid uulgarium artium interijsset, uerùm eam disciplinam intercidere, quæ una est periclitantium animorum portus et asylum, adflictæ conscientiæ solatium, quis non deploret? Et his literis antiquatis, quibus solis muniri Christianæ res solebant, quàm tyrannidem in omnes hominum ordines Satan exerceat sæuiens, etiam dicere horreo. Quondam prudenter in administrandis ciuitatibus cauebatur, ne publicæ leges ignorarentur, nisi quis æneas decem uirorũ urbis Romæ tabulas aut ligneas

Socratis de philosophia sententia.

Ab honesto.

Athe-

Athenienſium ἄξονας neſcit. Et ſapiẽtiſſimus rex Minos, Iouis, ut ferunt, ὁαριστὺς, quotannis leges ſuas æri inſculptas, ter circumferri per omnem Cretam uoluit, ne non eſſent et uulgo notiſſimæ. Quid memorẽ, quantũ operæ Philoſophi dogmatis ſuæ quiſque factionis ediſcendis impendant? Pudeat Chriſtianos, quibus ſolis & Dei & Patris, & ſeruatoris ſui ſalutaria placita ferè ignorantur. Et qui tot Regis noſtri inſignibus nobis placemus, lauacro παλιγγενεσίας, item ſacro pane, illud ipſum negligimus, per quod unum proximè ad ipſum accedi poteſt. Siquidem ſermo maximi patris Chriſtus eſt. Non alia ratione Chriſtum certius expreſſerint animi noſtri, quàm ſacræ doctrinæ ſtudio, in qua illius uelut in ſpeculo relucet imago. Carnem æternus Dei ſermo induit, ut & nos ſignificaret diuini ſermonis commercio ἀποθεόῶ. Id quod elegans quidam, & pius naſcentis eccleſiæ Theologus teſtatur, inquiens, nos ſermone ueritatis genitos eſſe, ut eſſemus primitiæ creaturarum. Quod ſi Chriſtianarum mentiũ aluus eſt Euangelica doctrina, quæ ueſania, quæ impietas eſt, hominum figmenta præferre? Et in ſacris uel maximè neceſſarij ſunt ad formandum animum, Pauli commentarij. ὑπόθεσις. Nam cum alia uolumina leges præſcribant, alia rerum

rerum gestarum historiam narrent, Paulus noster methodica quadam disputatione eos locos persequitur, citra quos non admodum profuerit leges didicisse. Nec Prophetarum uaticinia, nec Euangelicæ historiæ adiri possunt, nisi huius commentarios, ceu amnem comitem ad mare, methodi uice, sequaris. Nam cum in tractanda hominis natura, tyrannide peccati, legis regno, absolutæ uirtutis origine, ac propagatione, sacramentis, consistat rerum Theologicarum summa, unicus Paulus hos locos palàm ob oculos mortalium posuit. Breuiter redemptionis nostræ gratiam, adeoq; Christum ipsum ignoraremus, si Paulum orbi terrarum Deus inuidisset, Neq; enim Christum nouisse, est historiam rerum ab ipso gestarum tenere, sed agnoscere ingentia beneficia, quæ per ipsum in orbem terrarum Optimus Maximus Deus effudit, Spiritum scilicet, & absolutæ uirtutis autorem, & arrabonem gratiæ, quem antehac nesciebat mortalitas. Frustra diuinis legibus animum deuoueris, nisi Christum esse, Paulo magistro, scias eum, à quo spiritus petendus sit, amans eorum quæ lege iubentur: Deinde & qui, si quid præter legem, ut imbecillitas humana, deliqueris, ignoscat. Frustra item Euangelicam historiam didiceris, nisi historiæ sco-

Farrago Paulinæ doctrinæ.

Fructus Paulinæ doctrinæ.

riæ ſcopos & uſum, illo monſtrante, obſeruaueris, ubi de legis abrogatione, de peccato, de carne, de ſpiritu, de filijs adoptionis, de libertate, de ſeruitute diſſerit, quid aliud agit, quàm ut, ceu methodo quadam, uniuerſæ ſcripturæ lumen adferat? Omitto quæ myſteria, quàm ſublimia doceat, ubi cœperis in eum attentius oculos defigere. Satis amplum enim fructum feceris, ſi uel à limine ſalutaueris. Nam quod ad confirmandas & conſolandas conſciẽtias attinet, nemo Paulo, mea quidem ſententia, præferendus eſt. Summa cura eſto, ut in hoc diſcas, quò habeas uitæ formam ac regulam. Etenim ſi diſceptandi et litigandi gratia didiceris, uide quàm facias atrocẽ ſanctiſſimo uiro iniuriam, qui pacis adſertore, præcone Chriſti, qui ſolus uera pax eſt, tam fœdè abuteris. Nã quod quidam Theologica ad ſcenã, ad uulgi plauſum comparant, deplorandum magis quàm inſectandum eſt. Iam et ex Paulo cognoſcere licebit, qui fructus longè pulcherrimus eſt, inter Chriſtianam doctrinam, et Philoſophiam propriè quid interſit: quod ut apprimè neceſſarium eſt cognoſcere, quotquot in philoſophicis ſtudijs uerſantur, ita neglectũ uideo à ſcholaſticis doctoribus in uniuerſum: qui è Theologia nobis nõ aliud fecêre, quàm illam Græciæ hirciſſantem anum, Philoſophiam.

Scenici Theologi.

phiam. De quo discrimine ipse quidem hoc loco dicerem, nisi dehortaretur argumenti difficultas. Verùm, hoc uelim omnibus Christianis mentibus persuasum, prorsus aliud esse Christianismum, quàm uel Philosophiam, uel nostrorum hominum Theologiam. Alia ad uirtutem uia est, alius bonorum finis, alia hominis εὐδυμία, quam præscribit Paulus, quàm quæ Philosophorum scholis docetur. Miseram Rempublicam Christianam, quæ ipsa sui oblita, in alienas scholas detrusa est, imò quæ iuxta scripturam, contubernio Moabitidum, alienam linguam, oblita patriæ didicit. Quam calamitatem non uideo cui debeamus, nisi insanis istis Magistris nostris, qui se imperitæ plebeculæ, ementito doctrinæ titulo, uenditant: Præterea quàm accuratè format Paulus omnes hominum ordines, Principes, Episcopos, iuuenes, senes, matronas: Nam hæc fortasse communia habet cum alijs sacris scriptoribus. Hanc sibi laudem propriè uindicat, quod gratiæ originem ac propagationem, adeoq; peccati et legis uim excusßit, quos potißimum locos ab eo requires. Atq; hæc omnia, quàm graui, quàm dilucida, quàm eleganti oratione persequitur? Breuiter quidem, sed ita ut nihil desit, ut nusquam non satisfaciat. Periclis orationem

Philosophia γραῦς καὶ ϖερῶσα.

Pauli eloquentia.

aiunt solitam in auditorum animis tenaces quosdam aculeos relinquere: Huius dici nõ potest, ut flectat, ut uerset, ut rapiat, ut inflammet legentis animum. Dolet conscientia, consolatur: Sollicitat cupiditas genialis, uocat in uiam, retinet ne frena laxes ægrescenti animo, illum ipsum ostentat Christum, qui seruet. Denique quicquid morborum animum fatigat, ab hoc pete præsentaneum remedium. Neq; ulla tam efficax Panacea est, quàm Paulina oratio, nullum aduersus ueneficia tam salutare Moly, quàm aduersus animi morbos Pauli doctrina. Platonicum Charmidem morbo, nescio quo, leuaturus Socrates, duplex indicat remedium, & radiculam quandam & incantamentum, censetq; parum profuturam radiculam citra incantamentum, seu, ut Platonico utar uerbo, citra epoden. Porrò radiculam interpretatur temperantiam: epoden Philosophicam doctrinam, sine qua, quamcunque uitæ rationem ineas, incertam & instabilem putat futuram. Quantò amplius precium operæ facturus es, si morbis animi medicaturus, Pauli doctrina ufare, tantò quibuuis epodis efficaciore, quantò diuini spiritus uis, humanis præstat omnibus. Sunt animi morbi, tum carnis cupiditas, tum malæ conscię mentis pauor, quibus quando

Epoda Socratica.

quando nemo, ut Paulus, medetur, non est cur alterius desideres epodae. Nam sæuientem cupiditatem alij per leges cohercere student. Hic Christũ illum nostrum exhibet, qui in hoc carnẽ induit, ut expiaret. Neq; præcipit modo imperandum animo, sed eum ostendit, qui uires addat periclitanti. Iam uerò uel unum profer qui docuerit, quomodo malè conscią mentem, id quod plurimùm in rebus Christianis refert, cõsoleris. Non nego esse locos, quibus adflictam conscientiã consoleris, et in reliquis scripturæ uoluminibus, seu subobscuros, et quorũ nullus usus futurus erat, nisi à Paulo illustrati essent. In humanis doctrinis nego esse in uniuersum, qui sauciæ mẽti mederi possit. Imò quid agũt aliud scholastici doctorculi, quàm ut adflictã conscientiam prorsus excarnificent & enecent? id quod est cernere in formulis casuum, summis, quas uocãt, in satisfactionum aduersarijs, et nescio quibus nugis alijs. Sanciant & malè sanæ Pontificũ constitutiones, ut iures uerius sanguine scriptas Pontificum, quàm Draconis Athenienſis leges. Quod genus doctorum aptè uocat Hieremias aspides, quæ nullo carmine uinci queant. Quanquam bone Deus, nusquam meliorem nauasse operam sibi scholastica Theologia uidetur, quàm in conscientiæ censura. Proinde iuuenes

Paulus unicus malæ conscięntiæ consolator.

Peroratio.

Christo inaugurati, Paulinæ Philosophiæ animos addicite, nisi non est uobis salus uestra curæ. Hinc formam Christianæ uitæ, hinc animorũ solatia, hinc rerũ omnium tum diuinarum, tũ humanarum iudicium petite. Etenim iuuentutem in primis refert, nihil antiquius, nihil prius ducere Christiana disciplina, è qua ceu uiaticũ fœliciter transigẽdæ uitæ paret. Neq; enim fieri potest, ut probè instituas uitam, ut fœliciter transigas, nisi Paulinis literis, aduersum insidias pertinaciſsimorum hostium Satanæ, et carnis. Reliquas artes omneis uel contemnere licet: Paulina, nisi spem omnem salutis abieciſsti, negligi nõ possunt. Et Episcopos adniti decebat, ut hæc tenerent, nõ modo qui studiosi uocantur, sed planè uniuersum Christianum uulgus. Decebat Academias nihil maiore cura ac studio docere, quàm hoc genus pias literas, quas barbara et confusanea disciplina Philosophiam isti ementito titulo uocant: forensibus item litibus, & sordida quadam Philosophiæ æmula, Theologia, maiores nostri mutarunt. Academiæ.

Χαλκέα, si Dijs placet, χρυσέιωρ, Ipse magno animi dolore, nihil aliud uideo Academias esse, quàm templa Tophet, & funestam filiorum Ennon uallem: Nempe, exulantibus Christianis literis. Habuerunt Athenæ ex Ariopago, habuit

Sparta

Sparta pædonomos, qui aduleſcentiam optimis quibuſq; modis formabant: Et hi quanto fœlicius Ethnici iuuentutem erudiêre, quàm noſtrorum temporum Academiæ? Quin uoſipſi, ſtudioſi iuuenes, rem capeßite, fauebit ita conatibus ueſtris, ut ætati, cœleſtis Spiritus: & Chriſtum nuſquam euidentius expreſſum, quàm Paulinis literis, aßiduò contemplamini. Nullus Deo gratior cultus, nullum magis pium exemplum, quàm in pias literas uelle transformari. Et res ipſa ſemel tentata, ſuis uos illecebris ita capiet, ut deſerere non libeat. Nam cùm per ſeſe bonarum rerum cognitio iucunda ſit, Chriſtianarum etiam ſalutaris eſt, ut nihil dubitem multis nominibus iucundißimum fore Pauli ſtudium, ubi ſemel delibaueritis. Fama eſt, Aegyptios, gentem ſine exemplo ſuperſtitioſam, nouo quotannis uere, legum ac literarum ſuarum autore Mercurio quondam ſolenne ſacrum feciſſe, multitudinem undiq; confluentem publica epulatione, melle ficuq; operatum. Sacri uetuſtatem ritus arguit: Nam & aureo illo, quod uocant, ſeculo, publica ferè conuiuia, ſacrificia fuêre, & opimæ deorum hoſtiæ mel ac ficus, quorum uſum deinde & in τελάνοις manſiſſe tradunt. Inter epulandum lætæ uoces iactari ſolitæ, & quaſi pæan quidam Mer-

Dulcis veritas

curio cantari, neutiquam inconditum carmen? γλυκὺ ἡ ἀλήθεια. Qua uoce haud obscurè declarauit Aegyptus, quàm grato pectore Mercurij leges & instituta complexa fuerit. Eodem pæane magna mihi spes est, Pauli doctrinam uos, ubi degustaueritis, celebraturos. Cui enim iustius, quàm qui Christiana, eademq; optimè & gratiosissimè docet, decantari queat hic hymnus? γλυκὺ ἡ ἀλήθεια.

DIXI.

ORA-

ORATIO IVSTI IONAE DOCTO ris Theologiæ, De studijs Theologicis.

SI ego aut quadam fœlicitate ingenij, aut doctrina atq; eloquentia, uel usu & exercitio, aut quacunq; mediocritate oratoria essem paulò instructior ad declamandum è publico suggestu, summis uiribus hîc incumberem, ut Theologica studia (de quorum dignitate hîc pro more dicendum est) omnibus redderem quàm commendatissima. Nunc cùm uobis mea tenuitas non ignota sit, initio rogo, ne, si forsan ubertate, copia illa, & splendore orationis, cui eruditissimæ aures uestræ assuetæ sunt; quem hic locus illustris & argumentum grauissimum deposcere uidentur, destituar, existimationem id sanctissimæ professionis Theologicæ, quam mirificis laudibus, diuino aliquo ore, alicuius uerè diserti, omni omnium linguarum sono, in cœlum tolli oportuit, apud uos imminuat. Meam, meam scitote esse culpam, si rem cœlesti præconio dignam, frigido encomio celebraro, aut non his, quibus meretur summarum laudum insignibus, ornauero. Theologicam professionem nostis esse eiusmodi doctrinam, Professio Theologica.

ctrinam, qua in Ecclesia docetur & discitur uera cognitio sapientiæ & uoluntatis Dei. Scriptura enim sancta, quam à Patriarchis, Prophetis & Apostolis accepimus, quam non humana uoluntate, sed (ut Petrus ait) Spiritu Sancto inspirante, prodiderunt sancti Dei homines, quæ totum hoc doctrinæ genus (quod Theologiam uocamus) complectitur, tota eò tendit, ad hunc scopum directa est, ut incomprehensibilem illam, & infinitam bonitatem ac misericordiam Dei doceat nos cognoscere, ut hac uita primùm in uerbo & promissionibus diuinis fide apprehendamus cognitionem sapientiæ & uoluntatis Dei. I.

Deinde & in omnibus Creaturis, Cœlo, Terra, Mari, & hac tota mundi machina, adeoq; proprij corporis nostri mirabili opificio, infinitam illam, & immensam Dei bonitatem, quotidiana miracula, & præsentiam diuinam, operumq; eius magnitudinem, &, ut Paulus inquit, multipliciter uariam sapientiam Dei animaduertamus, quod ipse scilicet non sit Deus à longè, cui non sint curæ res humanæ (sicut imbecillitas humanæ rationis peccato Originis Corruptæ somniat) quemadmodum & Homerus Poëta, de Ioue apud Aethiopas conuiuante, eam heletudinem humanarum mentium taxat, sed II.

Iupiter apud Aethiopas conuiuans.

Deus

Deus admodum nobis præsens, sicut Hieremias Propheta inquit. Et in hunc quidem finem ab initio mundi, uerbum suum dedit Deus, in hoc scriptura sancta prodita est, ut quotidie in cognitione Dei crescamus, ut subinde, quod toties inculcat Paulus, magis ac magis proficientes in cognitione uoluntatis diuinæ, lætemur in Deo, præsentiam eius in mirificis operibus adoremus, & reuereamur, ut per fidem & spiritum, gustum quendam percipiamus uitæ æternæ, ut tandem eluctantes ex tot fluctibus, & periculis regni, mortis & Diaboli, emergamus ad perfectam cognitionem Dei, utq; tandem Deo ipso, quod maius quiddam est, quàm humana mente concipi hic potest, uita, gloria, claritate, ac beatitudine æterna perfruamur. Et hic quidem finis est bonorum, hoc est illud summum bonum, illa uera & omnibus numeris absoluta sapientia, quam requirimus, illa sola & perfecta beatitudo, de qua extra uerbum Dei inquisierunt Philosophi & sapientes mundi. Sed Deus passus est eos errare longè à Deo in uijs suis, ut Paulus in Actis inquit. Veræ autem illius religionis, et Theologiæ, & solidæ illius sapientiæ inuentor & autor, non est Mercurius aliquis, non heros quispiam clarus, non Philosophus excellens, sed ipse creator

Finis summi boni.

Veræ religionis autor.

omnium rerum, Deus uiuus & uerus, ut Esaias inquit: Qui condidit cœlum, & stabiliuit terram &c. Et Theologia hæc uera, non est eiusmodi cognitio, aut scientia, comparata solum ad uitam hanc momentaneam ἡμερόβιον strepitum rerum, & umbratile σκιαμα huius mundi. Quemadmodum architectura, aut similes artes, tantum ad huius uitæ usum comparatæ sunt, quas pauci quidã perdiscunt, sed ad hanc cognitionem ueram Dei, ad hanc sapientiam percipiendam, omnes homines super terram, totumq; genus humanum creatum est, atque illa diuina mens hominis, illa elegantissima corporis humani, omnium organorum, ac membrorum constructio, non in hoc est condita, ut solum artes illas, quæ non nisi huic mortali uitæ & corpori seruiunt, exerceat, sed ut infinitam illam sapientiam & bonitatem Dei cognoscat, & magnitudinem & uarietatem & mirificam illam in omnibus uim atq; potentiam operantis Dei contemplans, in Deo & omnibus operibus Dei lætetur, & summa exultatione & alacritate gratias agat, sicut Christus ipse Dominus noster breui & grauissima sententia dicit: Hæc est æterna uita, ut cognoscant te uerum Deum, & quem misisti Iesum Christum, id est, hæc est uita illa, salus illa, & beatitudo, in

Simile.

Ioan. XVII.

do, in hoc tota uis est infinitæ, immensæ, & æternæ consolationis, & fœlicitatis, ad quam homines conditi, & à Deo uocati sumus, ut in hac uita animi nostri erudiantur per uerbum, & concepto Spiritu sancto, illuminentur subinde magis magisq; ucra cognitione Dei, ut hic in Ecclesia incipiat renouatio & restauratio collapsæ naturæ, regnum cœlorum, & iustitia & uita æterna: ut tandem in futuro seculo, perfectè lætemur in Deo, lætitia quadam inenarrabili, & glorificata ineffabili torrente omnium bonorum Dei, adeoq; perfecta κοινωνία, & communione (quæ in hoc tempore super omnem captum est humanarum mentium) diuinitatis perfruamur. Sciamus ergo Theologiam non esse ciusmodi quandam cognitiunculam, quæ huic mortali uitæ tantum ancilletur, cuiuscemodi sunt reliquæ artes, quæ suam tamen laudem, durante hac uita, habent, sed ciusmodi quandam diuinitus proditam sapientiam, ad quam percipiendam, homo initio conditus, propter quam diuinæ particula auræ (ut Poëta inquit) & illud pectus cœlestium rerum capax, illa mens cœlo ducens originem, nobis indita est. In quæcunque ergo uitæ genera uaria tempestas huius uitæ conijciat homines, siue Iuris prudentiæ, siue rei Medicæ, siue rei militari

Theologia sapientia diuinitus prodita.

militari dent operam, siue in Philosophico otio, siue Repub. uersentur, tamen nisi ea cum Theologia coniuncta habeant, sciant se à diuina & cœlesti origine degenerasse. Quantumcunq; ergo in tempestuoso mari huius uitæ circumerremus, sæpe etiam naufragemur, dum hic sollicitudine uictus torquetur, hic siti gloriæ, tamen in hoc portu acquiescendum est, tamen nisi initium, medium, finis humanarum rerum sit Theologia, iam homines esse desijmus, & uita est non hominis, sed beluarum. Nulla usquam ergo occupatio dignior homine, nulla liberalior, nulla scientia aut cognitio excellentior, quàm cognitio uera Dei & religionis. Propter hanc initio Adam conditus est ex gleba et puluere terræ: Propter hanc Eua ipsius Dei creatoris mirifico opere ex costa masculi sculpta & ædificata est, in formosam fœminam. Et si forsan primum auditorem scholasticum, simul & Doctorem Theologiæ requirimus, hunc sciamus magnum parentem fuisse Adamum, qui ipsum Deum magistrum habuit, qui ante lapsum perfusus Spiritu sancto, uerè illuminatus fuit Theologus, quo uiro hic sol nihil aspexit post ipsum Christum præstantius. Si enim Adam non fuisset lapsus, tunc omnes posteri, & homines ex eo orti, φύσει fuissent Theologi: tum uidisses totum or-

Sanctè.

Quæ occupatio homine dignior.

Primus Theologiæ scholastícus & Doctor, Adam.

Lapsus Adami quibus bonis priuarit nos.

tum orbem terrarum nihil aliud esse, quàm spacioſam quandam ac frequentiſsimam ſcholã Theologicam, in ipſo paradyſo, quaſi in horto quodam, aut porticu Philoſophica, mirabili amœnitate, paſsim conſedentibus, obambulantibus tot diſcipulis, quorum συμφιλόσοφοι eſſent Angeli, quorum Dominus & magiſter eſſet ipſe Deus: uidiſſes maſculum & fœminam in ſumma caſtitate et puritate, dulci quadam et ſyncera σοφίᾳ, ucra quadam & perfecta ſuauitate uitæ & morum, de Deo & operibus Dei diſſerere, confabulari: uidiſſes homines expertos calamitatum, ærumnarum, triſtitiæ, ignaros funerũ, & ſepulchri, liberos à tot terroribus Diaboli, ab omni triſtitia, metu, pauore, & miſeria, in perpetuo gaudio ſpiritus ſancti, admirabundos quotidie de operibus Dei, iucundiſsimum in modum colloqui. Non fuiſſent tenebræ hæ, tot mœſtæ cogitationes & curæ humanarum mentium, quæ nunc ſunt, ſed omnia plena luce, uita, hilaritate, lætitia ineffabili: Et eiuſcemodi cœleſtia poëmata ac cantica de Deo & operibus Dei (cuiuſcemodi uix ſummis Patriarchis, Dauidi, et ſimilibus canere poſtea datum eſt) tum bimuli infantes, & Habel paruulus in cunis, inter ipſa crepundia cecinisſet. Nam niſi è cœlo generoſa illa et nobilis natura hominis,

minis, per peccatum originis & horrendum lapsum Adæ, cum in corporis tum animæ uiribus corrupta esset, & lumen illud humanæ mentis hebetatum, tum mira quadam acie mentis & oculorum, motus illos cœlestes, solis, lunæ, aliorumq; syderum ratos immutabilesq; cursus, tam propè Adam esset intuitus, quàm nos currum in terra, aut nauim in mari gubernari uidemus. Et non solùm cognouissent tum primi illi parentes, quod Deus creasset cœlum, terram, mare, & omnia quæ in eis sunt, sed & mira quadam perspicacia intellexissent, ipsum perpetuò esse præsentē omnibus hominibus, simul & animantibus dare uitam & halitum, atq; ita animi et corda eorum iucundissimis affectibus gaudij & ineffabilis læticiæ inarsissent, de Deo, de minimis maximisq; operibus Dei, tum quidem tanta certitudo, tam firma πληροφορία de Deo fuisset in mentibus humanis, ut quoties Adam sub aurora orans, aut Eua mane ornans se ad proximi fontis speculum, solem orientem uidisset, summa cum uoluptate cogitasset: En iterum nobis sydus illud, quod quasi figulus candelabrum finxit pater & Deus noster. Deinde Cain & Habel paruuli, & adhuc in cunis reptantes, aut alacriter circumuolantes potius, quoties herbam aliquam odoram,

Cain. Habel.

quoties

quoties uiolam aut rosam, quoties pomum genè rosum, botrum aut uuas aspexissent, non sine iucundissimo sensu infinitæ & inperscrutabilis bonitatis & sapientiæ Dei, cogitassent: Hæc sunt dona nostri illius Patris, hic odor, hic succus, opera sunt cœlestis dextræ: huius botri uel unum pampinum ego non possem fingere. Et tum Adam & Eua cœlesti quadam, beata, & suauissima conuersatione, non aliter atq; tenelli filij sub blando parente, in summa fiducia erga Deum, in summa certitudine & dulcedine cordium, illum Deum uiuum & uerum suum agnouissent conditorem, nutricatorem, parentem, et admodum perspicua cognitione intellexissent, quomodo tot magnifica et præstantia opera, tot excellentes creaturæ, mera quotidiana miracula, mera specula essent, in quibus fulgor infinitæ bonitatis & potentiæ Dei redditur. Nam hæc pulcherrima rerum machina in hoc condita est, ut sit æterna, mirifica, & indelebilis pictura, in qua Deus & opera eius cernantur, sicut Paulus ad Romanos 1. dicit. Multa sunt admodum de se signa dantia, & expressa uestigia diuinitatis, in hac tota uniuersitate rerum, pulcherrimum hoc & spaciosum & tot astrorum luminibus distinctum cœlum, ingens illa moles terræ, & mirifica eius efficientia, &

Creatio pictura operum Dei

tia, & in omni genere crescentium fœcunditas, infinita penè magnitudo maris, et inclusio aquarum eius, ut Psalmus ait, quasi in utere, tot uolucres, tot genera animantium & piscium, tot herbæ, tot remedia, tanta in succis, odoribus, uarietas, quos una et eadem terra profert, quæ omnia ex uno eodemq; suboleſcunt puluere, & incomprehensibili ac occultißimo auctu nascuntur. Hæc quidem satis magna testimonia sunt, quod hic mundus non casu extiterit, nec ex atomis conflatus sit, ut quidam Philosophi sentiunt, sed æternam quandam & infinitam esse sapientiam, quæ hæc omnia mirificè architectata sit, quæq; eodem elegantißimo ordine conseruet ac gubernet, ut Paulus quoq; in Actis testatur, Quod Deus ideo in tota creatura ita uestigia sui, in singulis penè floſculis, singulis penè arborũ foliis reliquerit, & seſe depinxerit, ut cognoscamus eum non longè abesse ab unoquoq; nostrum, & penè in nostro proprio corpore, in pane & uino sic è terra producto palpabilem esse. Et hæc quidem omnia, si peccato natura non uitiata esset, omnes pòsteri Adam masculi iuxta ac fœminæ, clarißimè cognita habuissent, atque ita totum genus humanum ab Oriente usq; ad Occidentem, fuisset Gymnasium quoddã pulcherrimum et frequentißi-

Mundus non casu extitit.

mum

mum ſcholarium Theologiæ: niſi quod diſcrimen forſan fuiſſet donorum, ſicut ſtella à ſtella differt claritate. Verùm poſtquam primi illi parẽtes noſtri decepti πανουργίᾳ Diaboli, qua non deſinit inſidiari regno Dei, lapſi ſunt, illa diuina & excellens natura hominis horribiliter corrupta eſt, debilitata, & fracta in uiribus corporis & animæ. Atq; illud uitium originis latè in omnes poſteros Adæ propagatum eſt, ut iam in omnibus mortalibus, antequam inſerantur Chriſto, horribilis ſit cæcitas, ut neq; Deum tam clarè cognoſcere, neq; in ulla creatura Dei præſentiam et diuinam operationem ita cernere poßint, atq; ab eo caſu ſchola Theologica, quæ aliâs per totum fuiſſet diffuſa orbẽ terrarum, ab Oriente uſq; ad Occaſum, celebratio nominis Domini coacta eſt in anguſtum, adeò ut inde ab Adam et Patriarchis, omnibus temporibus uera Eccleſia puſillus grex fuerit. Ante quidẽ horribilem illũ lapſum, ſic habituræ erant res humanæ, quod Deus ipſe domeſticè planè et paternè, ſicut Pſal. ait, gubernaſſet homines, ut tenellos filios tractans. Ibi ſyncera cognitio Dei, purus cultus, ardentißimus amor uerbi & uoluntatis Dei, ſumma & indies creſcens admiratio operũ Dei fuiſſet, ibi dulcißimus affectus erga Deũ, purißima Theologia, omnia plena

Qualis hominum conditio & miseria.

ueritate, omnia plena iusticia, summa uoluptas in uocare Deum, appellare tantam et cœlestẽ illam maiestatem, Patrem, laudare Deũ, rimari, et expendere opera Dei. Verùm post lapsum Adæ, in illa prima, et aucta etiã, et florenti ætate orbis, præqua nostri nouissimi temporis effœta senectus, podagra, et senilis tussis est mundi, apud maiorẽ & potentiorem partem hominum omnia repleta idolatria, errore, et ex illo adflatu Diaboli nihil contemptius, nihil aspernabilius esse cœpit, uero, sancto, et syncero cultu Dei, ueraq; Theologia. Nam post illud immane et horribile totius generis humani damnũ, mera cognitio Dei, et uerbi diuini, et illa uestigia paradysiaci gymnasij manserunt in paucis. Nã cum Adam post lapsum erigeretur rursus, oraculo uiuificæ promissionis diuinæ, de semine illo benedicto Christo transmissum quidem est hoc lætum, et æternæ consolationis uerbum, et Euangelium ad posteros. Sed tamen intra parietes in angulis, tãtum in familijs Patriarcharũ, apud Habel tantum, illud lumen Theologorũ, apud Noha parentem alterum generis humani, apud Semerè magnũ, uereq; augustum Melchisedech, quasi margaritũ precioſum, custoditum, conseruatum qúe est reliquo toto Cainico et Nimrotico mundo, et ante et post diluuium, insaniente rabie infiniti

Apud quos lumen Euangelii custoditum.

niti erroris, idolatriæ, abominationis, reliqua tota colluuie hominũ tumultuante bellis, cædibus, rixis, contẽtionibus, hominibus inter se flagrantibus uiperino planè odio, omni genere acerbitatis et crudelitatis. Sũt ergo reliquæ doctrinæ omnes, et Philosophia tota, adeoq; ipse Decalogus, cõscriptio legum et statutorum, medicinæ, fomenta, ligamina, et remedia affecti, morbosi et leprosi corporis mundi, et uulnerati generis humani, quibus nõ opus fuisset in uita hominũ, si illius lapsus, et tanti mali hæreditaria contagio nõ corripuisset posteros, aut si post lapsum omnes homines Habelica fide uerbum et promissionem Dei audire, et retinere potuissent. Verùm Theologia illa pura, est doctrina et professio, ad quã integra natura initiò condita est, ad quã creati, in cruce præcio magno redempti, restaurati, et in æternum tandè glorificandi sumus: Theologia, inquam, est illa professio, per quam Adam, Habel, Noha, Sem, & similes summi homines sub sole, cum iam totum genus humanum esset potestati Satanæ subiectum, aliquatenus in hac etiam uita ex regno mortis eluctati sunt in uitam, & è peccato & tenebris, ad originem paradysi & regni cœlestis. Proindè cum nulla sit Philosophia excellentior, nulla sapientia sublimior, aut præstantior, quàm Deum

Philosophia & Decalogus sunt medicina corporis mũdi.

Theologia pura.

Vera philosophia.

et opera eius cognoscere: omnes homines summo studio adniti, et in hoc incumbere debent, ut quãuis Iuris scientia, Medica arte, & similibus hæc uita carere non possit, tamen omnibus his rebus, et hoc toto mundo utantur, quasi nõ utantur, & totum uitæ cursum eò institutum, et cò directum habeãt, ut per studium ueræ religionis, exercitiũ uerbi Dei, ad hanc primæ creationis, & cœlestis generositatis redeant originem. Sit sanè Theologia, cum aucupio et occasione pecuniarũ careat, cum uentos & fumos illos mundanæ gloriæ non habeat, cõtemptibilis coràm hominibus, at quàm ingens & infinitus thesaurus est coràm Deo. Et quamuis ueræ Theologiæ doctores & discipuli, siue Patriarchas, siue alios sanctos respiciamus, Habelicis perpetuò subiecti sunt periculis (ut Satanæ odium nunquam cessat) duris certaminibus, & uarijs agonibus conflictantes cum diabolo & mundo, et quamuis impij perpetuò teneant titulũ Cain, hoc est, possessoris, quod regna possideant, quærant opes, fruãtur uoluptatibus, habeant ingentem gloriam, et quidem prætextu iusticiæ persequantur Ecclesiam, ut Cain in fratrẽ Habel sæuiebat: Tamẽ omnes honesti et pij homines, præcipuè adolescentes, cuiuscunq; sint ordinis, quodcunq; tandẽ ingrediantur studiorum iter, siue bonarum

Theologia contemptissima.

narum artium, siue Iuris prudentiæ, hunc honorẽ debent habere Deo, ut sacris literis, & Theologæ studiosis (sine qua ad finem, in quem creatus est homo, peruenire non potest) honorẽ summum habeant. Et nos, quibus mandatur prouincia docendi Euangelij, tametsi uocationis, & rei tantæ magnitudo meritò nos sollicitos detinet, ut in timore Dei res tantas administremus, tamen gratias ex corde Patri cœlesti agere debemus, quod relictis in sua cæcitate tot Epicureis, tot acerbis hostibus Euãgelij et religionis, tot hypocritis, & Pharisæis superbis, tot admiratoribus obstinatis huius seculi, nobis infirmis et indignis Euãgelij lucem, et aliquas tamen scintillas spiritus Christi dederit, has primitias, hunc arrobonẽ cœlestium bonorum & æternæ uitæ, omnibus opibus, omnibus mundi regnis pluris æstimemus. Habeant sibi suã præclaram beatitudinem, & illa gaudia, qui sine Deo, sine religione, carnalium cupiditatum rabie incitati, anhelant toti ad commoda & uoluptates huius mundi, & præ illis totam Theologiam, totumq; Euangeliũ non unius assis faciunt, nõ cassa nuce emptum sibi uelint. Quicquid sit, uel experientia ipsius mundi testatur, illos uersari in incerto, & lubrico, ut Christus ait: Quid prodest tandem, si unus homuncio potiatur rerum, terra ma

Impiorum gaudium.

Religionis studium maximi faciendum.

riq; potens sit, totumq; deniq; mundum unus habeat, si animæ iacturam faciat? Ego uerò hîc hortor omnes pios animos, potißimum adoleſcentes, propter quos maximè hæ pompæ in Gymnaſijs, ad commendandam dignitatem literarum & religionis adornantur, ut inde ab ineunte ætate aſſuefaciant ſe, ad reuerentiam et amorem religionis, utq; de hac ſanctißima profeßione (etſi Theologi homines ſint) magnificè ſentiant & loquantur. Nam & ſecundum præceptum Decalogi hoc poſtulat, ut nomẽ Dei ab omni creatura maximi pendatur, & adoretur: has uerò prophanas uoces, tanquam uenenata ſpicula Satanæ fugiant, quibus Theologiæ aut theologorum nomen ironijs acerbis exagitatur, quæ animos teneros efferare, & contemptu religionis in omnem reliquam ætatem imbuere, & ueneno Satanico incautos, ut non facilè eluatur poſtea, inficere ſolent. Satis enim negocij habent, ſatisq; certaminis hi qui ſuſpirijs & oratione indeſinenti contendunt, ut in amore religionis maneant, tantum abeſt, ut non ſit periculũ, ſi quis more Cynico in riſum iocumq; uertat reſtantas, in quarum digna admiratione uix magnis certaminibus ſe retinent, imò à Deo retinentur, qui uerè ſunt ſancti uereq; pij.

DIXI.

ORA-

ORATIO DE GRADIBVS IN Theologia, Habita à Doctore Iona in promotione trium Doctorum, Anno M. D. XXXIII. Die Iunij XVIII.

NON opinor in hoc laudatißimo cœtu quenquam adeo imperitum esse communium officiorum uitæ, ut consilium nostrum in promouendis Doctoribus Euãgelij reprehendat, præsertim cùm uiderit in hoc consessu Illustrißimum Principem nostrum, Saxoniæ Ducem, Electorem, cæterosq; Principes, & uiros sapientißimos, qui cum sua præsentia testentur se consilium nostrum probare, nemo poterit sine summa impudentia, suum iudicium istorum authoritati anteferre. Qui cùm ita ament Christum, ut propter Euangelij studium, de dignitate, fortunis ac uita periclitentur, non erant hæc spectacula probaturi, si existimarent ea indigna esse Christianis. Itaq; cùm tueri nos summorum atq; optimorum authoritate possimus, non ualde nobis fanaticorum hominum reprehensio pertimescenda est. Sed quo-

Saxoniæ Elector religionis & studiorum amans.

niam in hoc loco dicendum est aliquid, pauca de hoc ipso gradu disputabimus. Diu iam non quidem planè omisimus hunc promouendi morem, sed non sæpe usurpauimus. Nam & nos, quia ita sentimus, titulum Doctoris in professione difficillima, non temerè cõmunicandum esse multis. Nam hic titulus testimonium est publicum doctrinæ ac pietatis, quo nullo modo armandi sunt indocti ac improbi. Nihil enim pernicioſius est Rebuspub. quàm insciti a & malitia, cùm accesit authoritas. Itaq; annis iam aliquot præcipuè in tanto Ecclesiarum periculo, paucis admodum hic honos decretus est, idemq; in posterum seruabimus, ut nemini, nisi cuius ingenium, doctrinam, & mores longo usu perspeximus, hunc titulum impertiamur. Neq; quicquam fecimus alienum hoc nostro iudicio, nunc in his promouendis, quorum doctrina, pietas, & in omni officij genere diligentia & moderatio, nobis omnibus nota est. Itaq; et Illustriss. Princeps noster, Dux Saxoniæ, Elector, duxit esse è Repub. ut hoc gradu ornarentur, et nos libenter authoritati Illustriss. Principis paruimus, cùm ingenia, mores, doctrinamq; eorum in magna uarietate temporum ac periculorum cognouerimus. Etenim cùm hos gradus initio constitutos esse arbitraremur,

Promotionum ratio & utilitas.

mur, ne temerè admitterentur ad Ecclesias docendas ulli sine publico testimonio doctorum, ac bonorum uirorum, nos quoq; hoc consilio retinemus morem, & ut inexploratos arceamus à nostris Ecclesijs, quantum fieri potest, & ut hi qui uocantur ad docendi munus, habeant quoddam, & uocationis, et doctrinæ suæ publicum testimonium. Quando autem unquam fuit ullum in Ecclesia tempus, cum hæc diligentia seuerius requirēda fuit, quàm hoc seculo? in quo postquam lucescere Euangelium cœpit, diabolus odio Christi passim etiam impia dogmata spargit, & magna ex parte serunt huiusmodi pernicioſas opiniones indocti ac neophyti, qui nullos audierunt peritos rerum spiritualium, nullum habuerunt usum Theologicarum disputationum, nunquam deliberationibus ullis grauioribus de tantis rebus interfuerunt, deniq; qui repente sunt Cadmæi fratres, quos subito armatos terra edidit, doctores existunt sine magistris, sine usu, sine experientia, deniq; nihil afferunt ad ministerium, quod in terris & summum & periculosissimum est, nisi inscitiam cum arrogantia, atq; impudentia coniunctam. Huiusmodi sunt, qui passim gignunt noua dogmata, ac multos nominare possem. At Paulus iubet explorare eos, qui ad docendas Ecclesias uocantur, &

Promotiones uocationis sunt testimonia.

Veluti cadmæi fratres multi Theologi.

Timotheum nobis prædicat, non solum quòd nutritus sit studio sacrarum literarum inde usq; à teneris, sed etiam quòd comes interfuerit Apostolorum certaminibus, periculis, disputationibus, deliberationibus. Hunc usum non minus requirendum censeo, quàm ingenium, & doctrinam. Etenim si in alijs leuioribus artibus doctrina, sine usu atq; experientia non satis certa, ac firma est, quanto magis id accidit in hoc genere doctrinæ, quod sine maximis certaminibus nullo modo potest intelligi. Quemadmodum & Paulus fatetur se nondum assecutum esse, sed summa animi contentione eniti, ut assequatur, sed tamen uidere se scopum, quo cursus dirigendus est. Porro hi gradus in scholis bene institutis, non solum hoc boni habent, quod explorant eos qui uocantur ad docendum Euangelium, sed etiam quod hoc testimonium tantum illis tribui debeat, qui annis aliquot audiuerunt alios peritiores, qui uiderunt quid alij de magnis ac dubijs rebus iudicauerint.

Vnctio docet. Nam quod citant ex Ioanne, unctio docet, profecto illa unctio non contingit sine doctrina, & sine maximis certaminibus. Est enim unctio, cum in dubijs atque asperis rebus, uelut oleo recreat, & reficit imbutas mentes diuinus spiritus. Si quis putat su-

tat subito sine doctrina & usu Theologum unctione effici, sicut aiunt Hesiodum cum pastor esset accepto calamo, à Musis Poëtam factum esse, longè fallitur, nec quid sit unctio perspicit, quæ primum sine uerbi cognitione nulla esse potest. Deinde etiamsi degustatum est uerbum, unctio non subitò detergit animis omnes maculas. Plato inquit: Satis beatum sibi uideri, cui tandem in senectute contigerit, ut sapientum, ueras q; opiniones assequatur. Id ille uir summus, ac sapientissimus de ijs rebus, quas ratio deprehendere, & peruestigare potest, dixit. Quanto uerius id de spiritualibus rebus affirmari potest, quæ profecto non possunt uere aspici, nisi in ipsa dimicatione, atq; experientia. Quo magis hoc seculum odio dignum est, quod nunc nemo non sumit sibi iudicium de rebus obscuris, ac spiritualibus, una aliqua lectione audita, aut lecta una aliqua pagella. Paulus gratulatur sibi, quod quamuis procul, scopum tamen uidebat, ita nos hoc demus operam, scopum & requiramus, et in hunc intenti oculos ac mentem defigamus.

Non ut Hesiodus poeta, ita fit theologus.

Plato.

Huius seculi peruersitas in iudicando.

Et tamen meminerimus procul nos ab illa meta ad quam tendendum est, abesse: et oremus Christum, ut ipse nos docere pergat, quemadmodum est pollicitus, libenter audiamus quid alij exerci-

alij exercitati iudicent, quid probent, libenter, & placide inter nos conferamus de Euangelio, & gratulari nobis Dei beneficium, nos quoq; in hac schola merito debemus, in qua, ut nihil aliud dicam, ille Euangelij scopus diligenter explicatur & ostenditur, nec deest facultas discendi bonis. Christus gubernet studia nostra, & ad Euangelij gloriam, & ad nostram, & omnium hominum salutem. Cum hæc bona insint in promotione, præsertim in hac schola, nemo sanus, ut spero, consilium nostrum in his promouendis reprehendet. Et intelligunt illi ipsi, quibus hic honos decernitur, hunc esse aditum non ad opes, ad gloriam, ad uoluptates, sed ad maximas ærumnas, ad miserrimas curas, ad pericula omnis generis. Nunquam enim ullo tempore aut plus in Ecclesia periculi fuit, aut maiori in odio fuerunt Euangelij doctores, quàm modo. Itaque perhorresco toto corpore, cum intuens in hanc scenam, animo perspicio, quàm habeat hæc fabula dissimiles reliquos actus, huius, ut ita dicam, procœmij. Sed cum sciant Deum præcipue requirere hunc cultum docendi Euangelij, neque aliud deo gratius sacrificium præstari posse, postquam autoritate superiorum ad hoc munus delecti sint, pro sua erga Deum pietate, susceptum onus constanter præstare decre-

Aditus ad pericula, promotionis.

Actus huius fabulæ quàm dissimiles.

decreuerunt, intuentes in exempla Christi, Prophetarum, & Apostolorum, qui nullis odijs, nulla sæuitia à docendo Euangelio deterriti sunt. Oremus igitur Christum, ut gubernet eorum mẽtes, ac studia, eosq; iuuet, ut fœliciter conseruare, illustrare, propagare Euangelium possint. Illud etiam meminerimus nostri officij esse, ut pro uirili leniamus has ærumnas nostra gratitudine, quia maximis eorum beneficijs fruimur. Qua quidem in re præcipuè laudanda est Illustrißimi nostri Principis pietas, qui cũ alij reges, ac principes aduersus Euangelij doctores infinitam crudelitatem summo scelere exerceant, ipse & aduersus Tyrannos magno cum periculo tegit ac defendit, & domi summa cum beneuolentia, officij omni genere cumulat: De qua re, & si ad gratitudinem nostram hæc commemoratio pertinebat, tamen propter eius præsentiam uerecundius dicendum est. Sed hoc non erat prætermittendum, quod non tam ad ipsum, quàm ad alios admonendos pertinet, ut sciant Deum & uindicem futurum huius crudelitatis, & cumulatè remuneraturum bonos, qui tegunt ac defendunt Euangelij doctores. Sic enim inquit Christus, Amen dico uobis, si quis dederit tantum aquæ potum uni ex minimis horum, in nomine discipuli, non perdet

Pietas Principis.

perdet mercedem suam. Et in Psalmo scriptum est. Beatus qui intelligit super egenum et pauperem, in die mala liberabit eũ Dominus. In his sententijs ostendit Deus, quanti faciat beneficia collocata in Euangelij doctores: ac uicißim significat tyrannos daturos esse pœnas suæ crudelitatis. Ac me quidem interdum cogitantẽ et de Principis, et de uestro, totiusq; Reipub. periculo, valde consolantur hæ sententiæ, et in spem erigunt, ut confidam fore, ut Deus clementer defendat Principem, ac totam Rempub. Et si uolumus esse pij, si uolumus esse Christiani, fidem his promissionibus diuinis, et hoc beneficentiæ genere exerceamus, & hac erecti fide, bene precemur & Principi, & uniuersæ Reipublicæ.

Dixi.

ORATIO

ORATIO D. DOCTORIS CRVcigeri, de puritate doctrinæ in Ecclesia conseruanda, in promotione Doctorum Theologiæ habita. 1536.

NON existimo à me postulari, ut exponam causas cõsilij nostri in promouendis Doctoribus Euangelij, cum ex hoc ipso loco non semel ostensum sit, a doctißimis uiris, hunc morẽ scholarum uti, qui uocantur ad docendum Euangelium, publico testimonio ornentur, maximis et necessarijs de causis, conseruandum esse. Quia enim plurimùm refert in Ecclesia, qui ad ministerium docendi Euangelij accessuri sunt, doctrinam & mores probè cognitos esse, & Paulus uetat quenquam nisi ante exploratum, ad docendum admitti, ac iubet requirendos esse homines fideles, & idoneos ad docendum, quibus commendetur ministerium: nos quoq; oportet religiosè operam dare, & ne inexploratos ad docendum irrumpere sinamus, eos quorũ industria ac studium pietatis nobis probatur, uestro testimonio Ecclesijs commendemus. Cum enim hæc sit publica quædã uocatio, necesse est et publicum testimonium ad eam accedere, sed quoniam existimo nostrum consiliũ à nemine

Publicum testimonium necessarium Theologis.

nemine ſano reprehendi, non iudicaui de eo pluribus dicendum eſſe. Cum autem mihi datum ſit negocium de more publico hoc loco dicendi, etſi nõ ignoro me et elocutione, et alijs facultatibus multis modis imparem eſſe huic prouinciæ, & nihil afferre poſſe, quod uel nouitate & gratia argumenti, uel commendatione orationis placere poſſit, tamen quia propter publicam autoritatem, quam mihi detrectare non fuit integrum, aliquid dicendum eſt. Statui in præſentia ſacrarum literarum ſtudioſos, et qui ad docendum acceſſuri ſunt, admonere de ſuo officio, ut poſtquam ſummo Dei beneficio, hoc tempore pura Euangelij doctrina renouata ac reſtituta eſt, omnes ſuas cogitationes, curas et ſtudia conferãt ad conſeruandam in Eccleſia puritatem doctrinæ, ac meminerint ſibi unum hunc finem propoſitum eſſe, ad quem ſemper ſpectare, & quò omnis noſter curſus contendere debeat. Hæc adhortatio quàm neceſſaria ſit, præſertim hoc nouiſſimo tempore, non ſolùm præſentia ſumma pericula, ſed etiam maiorum in poſterum metus admonere nos debet, in quæ iam proſpicientes homines pij & rerum ſpiritualiũ periti, ſic iudicant non poſſe puram religionis doctrinam conſeruari, niſi in hoc unum cõmunibus ſtudijs, ac coniunctis omnibus uiribus toto pectore

ctore incumbant omnes, quibus in Ecclesia commissum est docendi munus. Quod ut fiat, inprimis opus concordia, siue coniunctione animorũ inter doctores. Itaq; de hac uirtute aliquid hoc loco dicam, tametsi hæc adhortatio, multò latius patet, quàm ut nunc pertexi possit. Principiò autẽ cum de concordia Ecclesiastica dicitur, intelligendum est, primùm omnium requiri consensum puræ doctrinæ Euãgelij, hoc enim caput est, et fons omnis Christianæ concordiæ. Quare hîc non sunt audiendi, qui uociferantur nos publicã Ecclesiæ tranquillitatem perturbare, concordiam labefactare & conuellere, quia discedimus ab ijs, qui autoritatem, titulum, & nomen Ecclesiæ multitudinis approbatione, & præscriptione longi temporis, sibi arrogant, tamen contra Euangelium, iniusta dogmata defendunt, & nos quia ipsis non subscribimus, omnibus diris deuouent, in ferro, in flamma & omnis generis crudelitate persequi conantur. Nos uerò cum habeamus in scriptura Dei mandatum clarè expressum, ne adiungamus nos falsa et impia docentibus, nec aduersariorum clamoribus, neq; ullis propositis periculis moueri debemus, nec probare eorum consilium, etiamsi qui bene studio ducuntur, qui sic mirantur, et expetunt publicam concordiam, ut eam posthabeãt

Concordia Ecclesiastica requirit puræ doctrinæ consensum.

puritati doctrinæ, & potius ducant in Ecclesijs tolerari, ac dissimulari palàm impias opiniones et manifestos abusus, quàm periclitari tranquillitatem publici status. Scite illud ait dictum esse amicus Plato, amicus Socrates, sed magis amica ueritas. Ita nobis existimemus primam curam esse debere, ut ueram doctrinam tueamur. Et cum de concordia Ecclesiæ præcipitur, sciamus nos cum ijs, quos scriptura uocat Ecclesiam, hoc est, qui puram doctrinam tenent, & in ea consentiunt, coniungere debere. Cum autem nobis Dei beneficio contigerit, ut apud nos extet uera Euangelij doctrina, repurgata ab omnibus impijs opinionibus, hic intelligamus nobis & concordiam præcipi, & nihil à nobis maiori agendum studio, ac contentione, quàm ut eam inter nos tueamur, & per eam Euangelij beneficium diuinitus datum, quantum in nobis est, conseruare studeamus, ac cogitemus ad doctrinæ conseruationem, nullam esse uirtutem Ecclesiæ in uniuersum magis necessariam et salutarem, quàm ueram et synceram concordiam, et animorum coniunctionem inter Doctores. Etsi enim uerum est, etiam consilio, ac potentia diuina puram doctrinã in ecclesia conseruari, tamen cum de nostro officio dicendum est, quia Deus ministerio uerbi, per homines in

Veritas.

Ecclesiã

Ecclesia agit, maximi momenti res est, nō tantum ad publicam tranquillitatem, & alia commoda, sed etiam ad doctrinæ puritatem conseruandam. Nam concordiā uoco, non tantùm opinionum et doctrinæ, sed etiam uoluntatum consensionem, uera coniunctione inter se mutuò deuinctos esse animos docentium. Sed ut clarius perspici possit, quàm necessaria sit hæc uirtus, aliquo modo consideremus, quantum malorum secum trahat discordia, præsertim inter eos, qui sunt in ministerio publico. Neq; uerò hoc iudicare difficile est, si tantum aspiciantur exempla, quæ utinam nos non nimis infœliciter doceant, ac tantum de præsentibus conqueri, non etiam futura metuere cogamur. Sed de exemplis mox dicam, nunc hoc prius, ut magnitudinem malorum consideremus, quæ sæpe à leuibus, & exiguis apparet initijs, oriuntur, ubi hæc pestis irrepserit in publicum ministerium Ecclesiæ. Neq; enim securè contemnendæ sunt Diaboli insidiæ, aduersus Ecclesiam. Cùm enim is uerè sit, ut dicitur mille artifex, & Ecclesiam acerbissimo & immortali odio prosequatur, nec cesset, aut desinat omnes uias & modos quærere, quibus Ecclesiæ dissipationem, & perpetuam uastitatem afferat, ubi alia non potest, hæc arripit initia, & occasiones, ut

Quid noceat concordiam.

Discordia pestis Ecclesiarū.

Insidiæ diaboli quibus turbat Ecclesiam.

undecunq; inter Doctores spargat discordiæ, ac dissidiarum semina. Vbi autem maximè principio non sunt de doctrina dissensiones, sed aliæ priuatæ, ac personales offensionum causæ, tamen inde permanat ad totam Ecclesiam, et ubi simul glisscunt, tales, & erumpunt odia, primùm periclitatur, mox etiam palàm læditur ipsa doctrina.

I. Scandalum. Nec enim tantum exemplo, et scandalis alijs nocent, propter quæ malè audit apud aduersarios Euangelij doctrina, & infirmorum animi offensi perturbantur, ac incipiunt dubitare de doctrina, aut certè eam minus reuerenter complectuntur, sed ex ijs dissidijs, postquam animi cœperunt inter ipsos alienari, fœdè uoluntatum dissensionem, sequitur etiam offensionum dissimilitudo, ultrò amplectuntur occasiones inuicem insectandi, facile rapiunt in calumniam aliorum dicta, etiam bona aut certè tolerabilia, ut ea odio deprauent. Ab his initijs decurritur ad factiones et

II. Factiones. partes, & suam quisq; sententiam pergit pertinaciter tueri, quibus potest modis, & aduersarium odiosissimè criminari, quædam etiam tantum ideo defenduntur, non quod uera esse uidentur, sed

III. Interitus. quia uoluptati est ab aduersario dissentire. Postea latissimè uagantur factiones, dissidia ab autoribus excitata, non tantum urbes, sed totas terras occupant.

occupant. Ita quædam priuata odia ulciſcuntur, publica Eccleſiarum calamitate. Ac ſatis appa-
ret hanc omnibus ferè temporibus extitiſſe ori-
ginem hæreſeũn & Schiſmatum, iam inde ab ini-
tio euulgati Euangelij, quod Diabolus ex ipſo Origo hæreſi-
um.
corpore Eccleſiæ pulchrè conſentientis in uera
doctrina, excitauit aliquos, qui propter priuatas
cupiditates, aut ſimiles cauſas, ab animorum &
uoluntatum diſſenſione, ad diſſenſiones de doctri
na prouecti, perpetua diſſidia in eccleſijs pepere-
runt. Quàm à leuibus principijs excitatũ eſt peſti Arii incendiũ.
lens Arij incendium, quo poſtea omnes propè O-
rientis eccleſiæ conflagrarunt, quòd in electione
Epiſcopatus alius Ario prælatus fuerat. Plena
exemplorum eſt hiſtoria omnium ætatum, ſed nõ
eſt opus procul exempla repetere, cùm ſint ob o-
culos præſentia. Meminimus ex hac ipſa ſchola
quoſdam, cùm initio in aſſerenda pura doctrina
Euangelij, noſtris uiderentur eſſe coniunctiſsimi,
poſtea, cùm ex ſuis quibuſdam ſuſpicionibus, non
uiderentur ſe ſatis admirationis, & gloriæ con-
ſecutos eſſe, nec pari authoritate, ac exiſtimatio-
ne cum Doctoribus haberi, mox exarſiſſe inuidia,
adiunxiſſe ſibi homines furioſos, quorum auxilio Anabaptiſta-
rum furor.
ſpargerent fanaticas opiniones, unde ad extremũ
Anabaptiſtarum furor inualuit. Sed quia quidam

Vuicelii uenenum.

pœnas dederunt, non nomino. Scio pleriſq; ueſtrũ notum eſſe Vuicelium, ut eſt homo natura ambitioſus, et de ſe magnificè ſentiens, cùm tamẽ eſſet homo obſcurus, nec quicquã dignum tanta opinione eruditis hominibus, quam ſibi ipſi induerat, protuliſſet, quia ſuſpicabatur, ſe non ſatis pro dignitate tractari, hac ſola de cauſſa, cœpit à noſtris diſſentire. Et cùm quædã eius ſcripta ab amicis leniter eſſent reprehẽſa, exarſit ira atq; odio, et miſcere omnia conatus eſt, & quicquid potuit ueneni in noſtros euomuit. Hæc exempla docere nos poſſunt, quantum malorum afferat in Eccleſia, diſſenſio uoluntatum inter docentes. Summũ malorum eſt, & certiſſima Eccleſiæ peſtis, puræ doctrinæ deprauatio: Sed ad hanc, occaſiones & cauſas præbet diſcordia docentium. Quare quantum in nobis eſt, ſumma cura, ac ſtudio cauendum eſt, ne noſtra aliqua culpa eiuſmodi malum inter nos excitetur. Neq; uerò cogitemus, nos liberos eſſe ab his periculis. Nam Diabolus, ut dixi, non deſinit nos omnis generis inſidijs atq; artibus appetere. Et nunquã tam fœliciter agetur in rebus humanis, quin exiſtant etiam inter bonos, aliquæ offenſionum occaſiones. Magna eſt inter homines ingeniorum, et naturarum diſſimilitudo, itaq; facilè poteſt accidere, ut alij aliorum factis ac dictis

Summum malorum doctrinæ deprauatio.

ctis offendantur. Et cùm semel admittimus occa-
siones, postea ipsi nobis indulgemus, animi paula-
tim incipiunt alienari, accedunt finistræ suspitio-
nes, quæ etiamsi non erumpunt in simultates, &
odia, tamen nõ abeunt sine incõmodo publico, mul-
tæ bonæ res impediuntur, cùm animi non satis co-
hærent, nemo alteri confidit, aut sese aperire au-
det. Ita non conferuntur studia, ad consulendum
Ecclesiæ commodis, non sunt de rebus necessarijs
deliberationes, aut collocutiones, quomodo obscu-
riores controuersiæ religionis, clarè & propriè,
ac ad unam aliquam certã formam secundum scri-
pturam explicentur. Sæpe non satis intelligi po-
test, quid quisq; sentiat. Hæc iam satis magna
sunt, quid autẽ futurum est, si accedunt & illæ pe-
stes, simultates, odia, factiones, tumultus, & ama-
rulentæ criminationes, pugnæ, quas meritò quis-
quis est, Christianus, toto animo execrari, atq;
exhorrescere debet. Quamobrem, tametsi hæc qui-
dem Schola, hactenus pacata fuerit, & inter Do-
ctores singulare studium concordiæ appareat, ta-
mẽ ut ea porro cõseruetur, huc cõferamus, coràm
& cogitationes nostras, ut his malis, quæ dixi, oc-
curramus. Et est sanè ad hanc rem opus singulari
cura ac prudentia, et hoc, ut in alijs rebus, ita hîc
quoq; necessarium & utile præceptum est, quod

Principiis obsta.

monet principijs esse obstandum. Litis initium, inquit Salomon, perinde est, ac si alueum ruperit aqua, quæ postea nulla inuitus contineri potest. Ita in Ecclesia à paruis initijs, ortæ dissensiones, postea cùm inualuerunt, nullis remedijs sanari possunt. Quare quantum possumus, uitemus occasiones omnes, præcidamus quicquid impedit, aut obstat, etiamsi quæ iustæ uidentur esse causæ offensionum, condonemus mutuo, dissimulemus priuatas iniurias, propter publicam pacem, nostra commoditate placemus aliorum animos offensos, amicè ac placidè cõferamus cum alijs de dogmatibus religionis; & grauioribus controuersijs, ipsi nihil temerè pronũciemus, nisi de cõmuni sententia cũ doctioribus diligẽter collata, si quid ab alijs tolerabiliter dictum est, nõ statim calumnioſe exagitemus, si quid erratum, fraternè admonendo corrigamus. Deniq; coniungamus studia & operas mutuas, ut extet clara et cõsentiens explicatio totius doctrinæ, in qua nihil hæreat perplexi, nihil ambigui: in summa, quemadmodum alios uidemus pro suis commoditatibus ambitioſe et cõtentioſe niti ac pugnare, ita nos φιλοτιμουμένοι, ut Paulino uerbo utar, & quasi affectato studio hoc agamus, ut sit in ecclesia sancta, tecta, et ad posteros etiam durabilis cõcordia. Est enim & hoc inter multa

Quomodo ista Ecclesiæ concordia ãlenda.

huius

huius generis sanctißima præcepta Pauli ad Eph. cũ omni humilitate, inquit, cũ mãsuetudine, cũ patientia tolerate inuicẽ in charitate, solliciti seruate unitatẽ spiritus in uinculo pacis. Vnitatẽ spiritus præcipit, hoc est uerã cõsensionem doctrinæ, & eam inquit cõtineri pace et cõcordia, tanquã uinculo. Deinde huius sollicitũ studium requirit, et significat nõ posse cõseruari ecclesiæ cõcordiã, nisi adsint hæ uirtutes, humilitas, mansuetudo, patientia, quibus inter nos mutuo toleremus. Christus ipse iã discessurus à suis, hoc unũ mandatum ait se relinquere, ut inuicem diligant, nec piget ipsum hoc præceptũ iterum atq; iterum repetere, & inculcare, ut significet, quantæ curæ uelit esse ijs, qui præsunt Ecclesijs. Quare & nobis hoc inculcemus, ut semper ob oculos et infixum animis habeamus. Maxima pericula sunt, quæ expectare oportet pios doctores propter ecclesiam, à satana & mundo, multæ sunt difficultates, et incõmoda, quæ in ipso cœtu Ecclesiæ incidunt. Hic oportet esse magnã uim dilectionis, quæ cõtemnere posßit pericula, perferre omnes acerbitates, tolerare, et condonare iniurias, mederi incommodis. Hæc nõ faciunt, qui non ex animo afficiuntur Ecclesiæ miserijs, et eius integritatem, ac salutem, sua ipsorum uita chariorem habent. Itaq; subijciamus uo

Paulus Cap. iiii.

Christus.

Qui doctores pericula sustinere possunt.

bis, qua charitate nos cõplexus sit Christus, cum pro nobis liberandis ex diaboli regno, peccato, morte et inferis, sanguinẽ suum profudit, et si qui dẽ eius discipuli haberi uolumus, faciamus ut sentiat Ecclesia, nostræ quoq; dilectionis aliqua officia, moueant nos non tantum præsentis temporis pericula, sed etiã posteritatis, cui certè debemus, quantum per nos potest, relinquere Ecclesiam nostra cõcordia conseruatã, cogitemus nullum nos Christo gratius officium, nullum deo sacratiorem hostiã, ac acceptatiorẽ cultum præstare posse. Suauissimum est Dauidis carmen de concordia Ecclesiæ, Ecce quàm bonum & quã iucundum, &c. in quo meminit Sacerdotis Aarõ, ut significet se de cõcordia docẽtium loqui, & esse propriũ Sacerdotium, et gratissimũ deo cultum, cõcordibus animis docere purum uerbũ dei. Addit de Balsamo et rore, quia & ecclesia hac cõcordia mirificè recreatur, & in uniuersum toti uitæ hominum nihil ea utilius, nihil salubrius. Sed desino hæc lõgius persequi, uobis uero qui ad docendum accessuri estis, cõmendo et ipsum ministerium, ut in eo summa religione uersemini, et ad illud afferatis acerrimum cõcordiæ studium. Oremus autem deum, ut nobis donum Euangelij, quo nullum in terris maius habemus, pro sua misericordia conseruet. Dixi.

Psa. XXXII.

ORA-

ORATIO D. DOCTORIS C. CRV cigeri de Dignitate ſtudiorum Theologicorum, & miniſterio Eccleſiaſtico, habita anno M. D. XXXVII. in promotione M. Petri Paladij.

IMpoſuerunt mihi has partes hoc loco dicendi ſuperiores noſtri, quos cum ſumma pietate, & reuerentia colere debeamus, non fuit mihi integrum eorum autoritatem detrectare. Peto igitur à uobis omnibus, ut me non ingenij fiducia, aut meo conſilio, ſumpſiſſe mihi hoc negocium, ſed adductum officio, in hunc locum prodire exiſtimetis. Quare æquum eſt, uos etiam orationem meam boni conſulere, quam inſtitui ad cõmonefaciendos imperitos adoleſcentes, ut diſcant reuerẽter ſentire de ſtudijs ſacrarum literarum, & profeßione Theologica. Hæc oratio, hoc quidẽ tẽpore, in tanta iudiciorum peruerſitate, in tãta immanitate odij aduerſus doctrinã eccleſiaſticã, inprimis neceſſaria eſt. Etſi autem nõ ſatis authoritatis ad tantam cauſam affert mea perſona, Tamen

Reuerenter de ſacris literis ſentiendum.

men cum publico nomine habeatur oratio, et tantum sententiam recitaturus sum diuinæ scripturæ, et causſa tota ad Ecclesiæ dignitatem, atq; utilitatem pertineat, admonitio nostra nõ erit aſpernanda. Vt igitur ueniam ad causſam. Sicut Paulus inquit: Non pudet me Euangelij Christi, ita decet affectos esſe omnes pios, ut & uerbum Dei toto pectore ãment, & agnoscant esſe summum omnium beneficiorum dei, & ministerium ipsum, hoc est, publicum munus docendi, magna pietate reuereantur, honore afficiant, iuuent iuxta uocationem, defendant, et ornent. Hæc debet esſe omnium piorum præcipua cura: Sed ad hanc Pauli uocem conferamus mundi iudicia. Maxima pars hominum palàm contemnit, & odit Euangelium: deinde ministerium, hoc est, munus docendi iudicat esſe facem seditionum, & diſsipationis totius generis humani, et quidem Paulus ipse acerbitatem odij in hominibus aduersus doctores Euangelij illustribus uerbis descripsit, cum ait, Apostolos haberi pro catharmatis & peripsomatis, hoc est, pro piaculis execrandis, quibus Deus implacabiliter irascatur, à quibus tota rerum natura abhorret, quorum umbra uelut contagio noceat uniuersæ societati hominum.

Rom. 1.

Iudicia mundi de Euangelio.

Iam sol stupefactus sceleris magnitudine

Resistit,

Resistit, & currus pallens inhibet suos,
Lumenq; terris, terra fruges denegat,
Et in uetus natura Chaos confunditur.

Neq; enim fieri potest, quin horribilis acerbitas odij in istis existat, qui iudicant Euangelium esse aut blasphemiam, aut commentitiam fabulam, dissipantem imperia, leges, constitutas Respub. ordinationes, tranquillitatem generis humani. Cum his summis criminibus maxima pars mundi, oneret Euangelium, tamen Paulus ingenti animo aduersus hæc falsa iudicia clamitat: Non pudet me Euangelij, suaq; uoce nos confirmat, ut statuamus certò Euangelium uerum et efficax esse, et æternam Dei uoluntatem esse, ac munus docendi Euangelij sanctissimum Dei cultum esse, quem præcipuè requirit ab hominibus. Verùm tanta est infirmitas etiam in his, qui non sunt apertè ἄθεοι, aut defensores impiorum cultuum, ut tantum mundi iudicijs moueamur, quò minus honorificè de ministerio uerbi, id est, de publico docendi munere sentiant, huc accedit, quod cum doctores Euangelij sint spreti, inuisi, et uersentur in assiduis periculis, multi etiam fame pereant, deterrentur homines metu periculorum & crucis, à ministerio Euangelij, & quoniam honores, &

Quid ab Euangelio deterreas

ampla

ampla præmia proposita sunt, alias quæstuosas artes exercentibus, ideò paucissimi se ad hoc studium sacrarum literarum, aut ministerium conferunt. Multi etiam putant hoc genus doctrinæ sine doctoribus percipi posse. Iacet igitur contemptus iste ordo ministrorum. Quanquã autem hæc uulgo ita fiant, tamen pij adolescentes inculcare sibi hanc uocem Pauli debent: Non pudet me Euangelij, & intelligere quanta dignitas sit huius ministerij, seq; ad id præparare, ut possint Ecclesiæ cum opus sit seruire. Hic enim est summus Dei cultus, sicut Christus docet, cũ ait, In hoc glorificatur pater meus, ut fructum multum feratis, & fiatis mei discipuli. Hic clarè testatur ita glorificari patrem, si alios doceamus uerbum, quos ab ipso tanquam discipuli accepimus, & Propheta ait, quàm speciosi pedes Euangelizantium pacem. Significat enim & Deo, & Ecclesiæ hos nuncios placere, etiamsi mundus eos odit, & ueluti portenta execratur. Hoc ipsum docendi munus uocat Paulus sacrificium, sicut & alibi scriptura sæpe ita appellat. Quare sciamus hunc cultum præcipuè requiri à nobis, & sciamus Deo gratissimum munus esse. Hac consolatione, boni & pij qui præsunt Ecclesijs, sustentent sese aduersus iniqua iudicia, et sciant se Deo præci-

Munus docendi sacrificium.

præcipuum et sanctißimum cultum officio docendi præstare. Inuitent etiam hæc præconia plures, ut se ad hæc præconia præparent, ac sciant se quoque discenda hac doctrina, sacrificium Deo gratißimum offerre. Sed dicat aliquis, quid hæc Oratio de ministerio ad scholas, & ad hos gradus in scholis attinet? Ego uerò ideo de ministerio dixi, ut, quo consilio tradantur sacræ literæ, ad quem finem hi gradus constituti sint, cõsideretis. Nam hæc studia in scholis ad conseruationem ministerij Ecclesiastici propriè pertinent. Hoc consilio et olim Alexandriæ, & in plurimis Collegijs scholæ institutæ fueruut, ut inde sumerentur doctores, & pastores Ecclesiarum. Christus enim dat Ecclesiæ pastores, Prophetas & doctores, uultq; ab his ecclesiam institui ac doceri, uultq; præparari illos, qui præficiendi sunt Ecclesijs, nec uult præfici eis prorsus indoctos, aut homines imperitos, qui sibi uidentur αὐτοδίδακτοι, et sine ullo usu spirituali ex sese fingunt opiniones. Fuerunt igitur initio in Ecclesijs scholæ, quæ utinam conseruassent doctrinam puram ab Apostolis traditam. Sed hæc postquam ingenti & admirabili beneficio Dei renouata est, & Deus his postremis Temporibus iterum dedit Prophetam, ut alij erudiantur, profecto rursus

Ministerium et scholæ.

Scholæ Alexandriæ.

rursus curare debent ecclesiæ, ut illud beneficium Dei, uidelicet doctrinam Euangelij puram, summo studio conseruent, et ad posteros transmittãt. Plurimùm itaque refert iterum, quos habeamus præceptores, quorum audiamus iudicia de rebus maximis, & de dogmatibus. Sicut sancti Patres sæpe allegant partim Apostolos, partim proximos Apostolorum ætati. Irenæus enim citat Polycarpum, qui fuerat auditor Apostoli Ioannis, & Florino Valentinus opponit autoritatem Polycarpi. Basilius audiuit Neocæsariensem, cuius præcipua fuit autoritas, cum Pauli Samosateni impietas damnaretur. Nec aliud uetustius testimonium extat, post Apostolorum scripta de Trinitate, quàm huius Gregorij. Tantum autem ei tribuit Basilius, ut dicat sibi adhuc personare aures uoce Gregorij, eiusq; testimoniũ opponit Sabellicus perturbantibus Ecclesias Neocæsariensium. Hieronymus audiuit Epiphanium et Nazianzenum, omitto alios multos. Tantum autem hos commemoraui, ut cogitent auditores, singulare Dei beneficium esse, audire doctrinam Euangelij, à talibus doctoribus, quorum sequi iudicia tutè possimus. Pertinent igitur Scholæ ad ministerium Euangelij in Ecclesijs, & ob eam causam doctrinæ testimonia bonis, & doctis uiris tribu-

Quos Patres allegant.

D. Gregorius.

tribuuntur, ut constet quales doctores audierint, ut certa autoritate doctrina ad posteros propagetur. Hæc fuit in Ecclesia uetustissima consuetudo, postea sine testimonijs docentium, admissi sunt ad gubernandas Ecclesias homines ineruditi, & ut Naziãzenus ait, subitò facti Doctores, sicut in fabulis subitò nati dicuntur Gygantes. Hinc orta est magna doctrinæ confusio. Postquam igitur Deus sua immensa misericordia, nobis restituit Euangelij lucem, agamus Deo gratias, & id beneficium, summo studio in Ecclesijs et scholis conseruemus et curemus, ut hi qui ad ministeria Ecclesiastica accessuri sunt, fideliter instituantur, nec recipiantur uel indocti, uel αὐτοδιδάκτοι. Videmus enim nostra ætate fanaticas opiniones Anabaptistarum, tantum ab indoctis, aut αὐτοδιδάκτοις ortas esse. Quantum igitur nos debemus Deo, qui nobis gubernatorem, & doctorem fide, & recto iudicio præstantem dedit, cuius doctrina aduersus illas fanaticas opiniones præmuniti fuimus, quorum autores sæpe tentarunt Ecclesias nostras, sed cum in Ecclesijs nostris præessent instituti in hac schola, & qui libenter agnoscunt se non esse αὐτοδιδάκτους, sed auditores, periti gubernatores prudenter instituerunt suas Ecclesias, easq; diuina ope adiuti, qui piæ doctrinæ fa-

Theologi indocti Gygantes.

Scholæ præcipua pars ministerij.

uet, in officio retinuerunt. Pertinent igitur schò læ ad ministerium Euangelij, et uel præcipua pars sunt illius sanctißimi muneris: neceſſe eſt ènim prius diu et diligenter inſtitui eos, quibus gubernatio Eccleſiarum committenda eſt. Deinde gradus eſt teſtimonium, ut conſtet à quibus doctoribus acceperint doctrinam. Hoc ut Apoſtolorum tempore, ita nunc quoq; plurimum habet momenti. Cum enim magnæ ſint diſſenſiones, de doctrina, cum magna certamina extiterint de religione, neceſſaria cura eſt uidere, quorum ſequantur autoritatem. Ioannes inquit, ſi quis uenit ad uos, et hanc doctrinam non adfert, non recipiatis eum. Ad eundem modum & alibi ſæpe præcipit ſcriptura. Quare genus doctrinæ diligenter conſiderandum eſt, uidendum ex quibus fontibus hauſtum ſit: Magnum igitur onus ſuſtinent doctores in Scholis. Hoc ſcire oportet, à quibus authoribus acceperint doctrinam, & retinere puritatem, ac cauere, ne admiſceantur nouæ & praue opiniones. Sicut in Eccleſia Antiochena, cum Paulus Samoſatenus ſuum uenenum ſpargere cœpiſſet, intelligens Malchion, qui erat unus ex doctoribus, nouum ab eo dogma ſeri, & corrumpi ueterem puritatem, primus clamauit, & uicinis Epiſcopis, Alexandrino & Hieroſolymitano ſignifi-

Onus doctorũ in ſcholis.

Malchion prodit Samoſateni delirium.

gnificauit quantum esset periculi. Ita Malchionis fide & diligentia confutatum & extirpatum est Samosateni delirium. Quare ministerium Euangelij, & in scholis, & in Ecclesijs pari cura retinendum, & defendendum est. Pij Principes non solum scholas constituere debent, sed etiam eligere genus doctrinæ, ceu seminarium acceptum certa et firma autoritate, et curare ne illud seminarium corrumpatur. Hæc in scholis cura necessaria est, ut posteritas sciat, cuius notæ doctrinã acceperit. Hanc in Principibus & in Ecclesia diligentiam requirit Deus, ad hæc præcipit, ut omnes pro sua uocatione ornent, et adiuuẽt hoc ministerium. Ac præcipuè uos, qui in studijs uersamini, cogitate uos nõ tãtùm priuata uocatione uestrorum superiorum, sed publica uniuersæ Ecclesiæ uocatione collocatos esse in hanc stationem, ut præcipuè doctrinam Euangelij discatis, et ut plurimi se ad ministerium præparent. Qua in re uos grauissimæ comminationes, et promissiones diuinæ moueant, Christus inquit: Qui recipit Prophetã in nomine Prophetæ, mercedẽ prophetæ accipiet, et, Si quis dederit alicui ex minimis istis potum aquæ, tantũ in nomine discipuli, Amen dico uobis, non perdet mercedẽ suã. Quare hi, qui benefaciunt ministris ecclesiarũ, à Christo uicissim, expectẽt defensionẽ

Principes scholas curare debent.

Præmia defensoribus proposita.

& multa alia beneficia. Quanta immanitate odij Pontifices, & multi Reges ac Principes, aduersus Euangelium exarserint, quoties iam bellum denunciarint nostris Principibus, quos Deus uocauit, ut tectum aliquod præbeant pijs doctoribus, nemini obscurum est. Inter hæc pericula tantum his me promißionibus sustento, quibus testatur sibi curæ esse, ne opprimantur, ne deleantur hi, qui studeant ornare ministerium Euangelij, qui pios doctores defendunt. Quàm pulchrè Christus pinxit nobis Ecclesiæ imaginem in Lazaro, qui egens & laceratus ulceribus, iacet in uestibulo diuitis, à quo negligitur & fame necatur? Sed tamen Deus testatur eum sibi curæ esse, cum Angelos ad ipsum mittit. Ita iacet Ecclesia in Regum & Principum imperijs, & non solùm negligitur, sed etiam concultatur, respicit tamen eam Deus, & mittit aliquos Angelos ac Principes, à quibus defendatur, nec opprimi, aut deleri eam sinit. Vidua Sareptana exceperat Heliam hospitio, cum annona esset arctißima, pro quo beneficio, Deus eam durißimo illo tempore benignè pauit. Ita sciant omnes, Deo gratum officium esse, iuxta uocationem, iuuare, & ornare ministerium Euangelij. E contra uerò grauißimas pœnas daturi sunt tyranni atque impij, qui uel cõtemnunt,

Lazarus imago Ecclesiæ.

Vidua Sarepta propter Heliam pascitur.

contemnunt, uel etiam oderunt, & opprimere ministros Euangelij conantur. Sicut in quarto Regum ait Dominus: Vlciscar sanguinem seruorum meorum Prophetarum de manu Iesabel. Non erit impunitus contemptus ministrorum Euangelij, dabunt aliquando pœnas suæ crudelitatis tyranni, qui grassantur in pios. Hanc admonitionem adolescentibus hoc tempore necessariam esse duxi. Quia uidemus multos impiorum exemplis corrumpi, & de ministerio Euangelij, ac studio sacrarum literarum irreuerenter sentire. Hoc oportet scire, se Deo præcipuè hunc cultum debere, ut ament & reuereantur ministerium Euangelij. Deinde etiam pietatem esse præparare ingenium, ut aliquando Ecclesiæ possit esse usui. Quare officium suum discant adolescentes, & intelligere, & facere. Precor autem Dominum nostrum Iesum Christum, ut omnium mentes inflammet Sancto Spiritu suo, ut Euangelium ipsius uerè intelligamus, & ei obtemperemus, ut gloria dei nostris studijs semper illustretur atq; ornetur.

Pœna contemptus.

DIXI.

QVERELA LAZARI, PRONVNciata à quodam Scholastico Vitebergæ.

Scholæ uelut Curiæ & Synodi.

PErgrata nobis hæc dicendi consuetudo esse debet, non tantum eò, quòd Latinæ linguæ exercitium conseruat, propter quod præcipuè instituta est, sed etiã quia nobis quidem adolescentibus, hic locus imago quædam est Curiæ, aut Synodi. Hîc enim de Republica, de imperijs, de Ecclesia, multa monemus auditores: Sæpe querelas nostras exponimus, sæpe sententias dicimus, perinde ac si in Senatu, aut in consessu Synodi oratio haberetur. Ac magnam gratiã Academiæ debemus, quæ etiamsi petulantiam, ac maledicentiam lege prohibuit, tamen honestam & piam dicendi libertatem nobis concedit, fortasse maiorem, quam haberet Synodus ulla Pontificum. Vt Poëtæ finxerunt Astream fugientem ex urbibus, paulisper adhuc in rure commoratam & concionatam esse agricolis: ita pulsa ueritas ex pontificum collegijs et concilijs, nobiscum adhuc Dei beneficio Philosophatur. Ex his scholasticis cœtibus eius oracula ad aliquas Ecclesias perferuntur. Sed cũm hîc

Liberior Academiæ quàm Pontificum Synodus.

sæpe

sæpe aliæ causæ pertinentes ad cõmunem salutem actæ sint, nunc nostrã causam agã: Deplorabo nostras miserias, et omnes gubernatores Reipub. de suo officio admonebo, quod nobis, quod Ecclesiæ, in hoc negocio debẽt. Christus narrat fuisse diuitẽ quendã, fortaßis etiã dignitate præstantẽ, qui non tãtum sine metu egestatis, sine sollicitudine suauiter uixerit, sed etiã splendorem amauerit in omni apparatu, comitatu, ædificijs, quo homines opulẽti dignitatẽ augere putãt. In hoc diuitias, trãquillitatem, ac uoluptates, ut fit, secutus est fastus, & neglectio rerum diuinarum, ac pauperum. Quare cũ ante ædes eius quispiã pauper, cui Lazaro nomẽ fuit, iaceret, ægrotus, squalens ulceribus, destitutus omniũ hominum ope, peteretq; pauxillum cibi, diues sua fortuna ebrius, & oblitus cœlestis mandati, et cõmunis naturæ, quæ nos ad certa officia obligat præstanda calamitosis, miserum illum negligit. Cumq; quotidie ad uestibulum iacentem, in magnis cruciatibus uideret, præterijt, tamẽ ferreo animo, non ali, non sanari curat, fortaßis etiã arbitratur alienum esse grauitatẽ uiri tanti, alloqui miserũ, aut eius causa angi. Interea stipẽ porrigunt aliqui de populo homines pij, & ulcera canes medicantur, lingua detergunt, ac mitigant. Sed post mortem Lazarus donatur cœlestibus do

Historia de diuite & Lazaro

nis: Dives ille superbus & crudelis abijcitur in cruciatus æternos. Hanc historiam recitat Christus, ut exemplum uniuersæ ecclesiæ omnium temporum proponat. Lazarus erat Ieremias sua ætate, quem Principes ac Pontifices non modò superbè contemnebant, sed etiam acerbè oderant. Lazari erant Apostoli, quos toto orbe terrarum omnes potentes, tanquam καθάρματα execrabantur. Quærendum igitur & hoc tempore qui referant Lazarũ, qui imitẽtur diuitẽ. Si uerè hoc et simpliciter dicendum est: Nos inopes Scholastici, deinde omnes Sacerdotes, qui uulgo inuisi ac spreti, cum alijs ærumnis conficiuntur, tum uerò cum uxoribus & paruis liberis fame contabescunt, Lazari sunt. Horum cœtum animis atq; oculis proponite: Nos, inquã, inopes Scholasticos, & illos miseros Sacerdotes cum suis familijs, quis est tã ferreo pectore, qui sine lachrymis hunc cœtum aspicere, aut cogitare animo potest, cùm quidem nulli in uita munus administrẽt præstãtius, ac cœlestius? nulla militia deo gratior, ac ecclesiæ magis necessaria est. E cõtra imitatores illius opulenti, qui sunt præcipuè Põtifices, Episcopi, Canonici, Monachi, et horũ satellites Tyrãni. Hoc agmẽto tũ animis intuemini, et cogitate ab Ecclesia ingẽtes ac regias opes Episcopis et collegijs eorum cõ

mendatas

Lazarus sui temporis Ieremias.

Historiæ applicatio.

mendatas esse, quibus alendi erant pastores pij, ac scholastici, quæ ad piæ doctrinæ et earum artium, quæ ecclesiæ sunt ornamento, cõseruationem cõse rendæ erãt. His illi ignaui uentres, Sardanapali, parricidæ suauissimè in ocio et trãquillitate fruũ tur. Ac nõ modò nos defraudãt illo munere, quod nobis ecclesia attribuit, sed etiã Tyrannico fastu nos contẽnunt, et summa odij acerbitate aduersus nos inflãmati sunt, trucidare ac delere nos conan tur. An nõ superãt etiã illũ diuitẽ, qui tamen La zaro lucis usurã nõ eripiebat, qui locũ ad uestibu lum concedat. Deinde dives suo patrimonio frue= batur: Episcopi, Canonici, et Monachi, aliena in= teruertũt, caq; turpissimè per luxum et libidines dissipant, ac profundunt, nõ secus ac spõsi Penelo pes Vlyssis facultates dilacerabãt. Nec ego nunc de singulorum moribus dicã. Sunt inter Canoni= cos aliqui modestis ingenijs præditi, sed genus ui= tæ reprehendo. Prodigiosum est in ecclesia esse so dalitia regijs opibus donata ad hoc, ut ibi homi= nes otiosi saginentur. Hæc sodalitia etiãsi ueterẽ disciplinã reuocarent, tamen ecclesia tolerare nõ debet: Nõ enim de moribus præcipua est querela. Illud queritur Lazarus, totũ illud uitæ genus cõ taminatum esse idolatria, ac propter hanc negligi pios scholasticos, ac pastores ecclesiarũ, debitas q;

Pontificatus prodigiosus.

illis mercedes in istis sumptuosis sodalitijs deuorari, deleri studia doctrinæ Christianæ, ac aliarũ literarum. Nõ cõpono satyrã, nõ cõmemorabo eorum flagitia, quæ uerecundè nominari non possunt: Nam modesta ingenia nõ tãtùm in moribus, sed etiã in sermone obscœnitatẽ fugere decet. Nihil dicã de cœnis Tyberianis quorundam, qui nudas puellas saltare ad epulas iubent. Multa prodigiosa prætereo. Ac ne fieri quidem potest, quin ocium, opulentia, insciti a, cõtemptus religionis, pariant omnis generis uitia. Maxima pars tantum gulæ & obscœnis uoluptatibus dedita est: alij magis strenui, et occupati negocijs politicis, aut œconomicis, alunt equos, certant sumptu & splendore cum satrapis: quidam etiã nõ abhorrẽt à literis, nõ ut ecclesiæ seruiant, sed ut aditum habeant ad dignitatem in aulis inter proceres: non nulli eruditionem cõferunt ad perniciem ecclesiæ. Certè isti generi hominum ac ordini, nõ est curæ ministerium Euangelij, nec pastores quærunt idoneos, nec discẽtes adiuuãt, nec ad hunc usum decidi & abradi aliquid de suis facultatibus patiuntur: denicq; cõspirarunt ad delendã doctrinã Christianam, accendunt regum crudelitatẽ, ac postea se nominant Ecclesiæ gubernatores: imò constat omnes sic adfectos esse, potius ut malint nomen Christia-

Ingenia modesta obscœnitatem fugiant.

Christianum funditus deleri, quàm aliquid de tyrannide remittere. Et literas omnes oderunt hanc unã ob causam, quod suspicãtur literatis tyranni dẽ displicere. Quàm multæ sunt autem in Prophetis conciones acerrimæ, quæ proprie tale uitæ genus uituperant. Meministis Esaiã, qui inquit: Væ uobis qui mane ad conuiuia surgitis, nec opus diuinum respicitis. Et Ezechiel: Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, ociũ, et manum egenti nõ porrigebãt. Nullum autẽ hodie genus hominum duriore fortuna cõflictatur, q̃ pastores ecclesiarũ et scholastici amãtes doctrinæ Christianæ. Similis concio est apud Zachariã: Ecce pastor erit, qui deseret gregẽ, et carnes pinguiũ comedet. O pastor et Idolum. Sed has Propheticas et cœlestes cõminationes securissimè deridẽt illi Sibaritæ. Verũ est enim quod Cato dicebat: Venter caret auribus. Nec tamen interea prorsus extingui cœlestem doctrinã Christus patitur, sed habet ipse quoq; suũ cœtum pauperum, qui Euangeliũ et discunt, et propagare studẽt. Aduersus hos etiamsi omne genus crudelitatis exercent diuites illi, qui tenent ecclesiæ opes, tamẽ eis nõ deest hospitiũ, et uel canes, id est, de populo aliqui, eos cõplectuntur, adiuuãt, lenire ærũnas cupiunt. Habẽt et custodes Angelos, qui uiuentibus

Misera conditio pastorum Ecclesiarum.

Canes Ecclesiæ

Angeli.

& mo-

et morientibus adsunt. Hæc affirmant oracula cœlestia, et cõprobant ipsi euentus: Seruat enim Deus suã ecclesiam, frementibus illis hypocritis, qui sanguinem piorum exorbere cupiunt. Sed nõ tantum institui querelam præsertim cum hæc uulnera ecclesiæ nemo non deploret: Remedia quærenda sunt, quæ utinã salubria & ἀνώδυνα monstrare possem. Sed uerè inquit Demosthenes: Reprehẽdere quilibet potest, dare cõsiliũ pauci possunt. Cùm autem hæc scholastica consuetudo, ut initiò dixi, cõcedat nobis, ut de ecclesia, tanquã in Synodo, sentẽtias dicamus, monstrabo, ut uocat Demosthenes, τὴν εὐσεβῆ καὶ δικαίαν ψῆφον: Nec si in Synodo in suffragium eundum erit, aliã sententiam dicam. Bona ingenia adhortor, ut deserant illa impia sodalitia polluta idolatria, sicut præcipit Deus: Fugite idolatriam. Deinde hoc addo, Reges et Principes debere hæc officia Deo, ut impios cultus tollãt, ad pios usus, ad alẽdos pastores ac scholasticos, trãsferant facultates ecclesiarũ. Hãc sententiã nõ ipse nunc fingo, diuinitus tradita est in sacris literis, et multa habet luculẽta principum et Synodorũ testimonia, quæ uctant res donatas ecclesiæ, ab ociosis et ignauis deuorari, qui non sunt usui ecclesiæ. Extat lex Theodosij in Codice, quæ disertè prohibet, ne fruantur redditibus hi, qui

Demosthenes.

Lex Theodosii de bonis Ecclesiasticis.

bi, qui cum titulos functionũ Ecclesiasticarũ habe ant, officiũ non faciunt. Tulerat legẽ Theodosius, ut facultates Ecclesiasticæ, quas Donatistæ tenebãt, transferrẽtur ad pias ecclesias. Nouum exemplũ odiosè calũniabantur Donatistæ, uociferabantur alienum esse à pietate, facultates aliorũ appetere, propter certamina de doctrina nemini facultates eripiẽdas esse. Sed Augustinus Theodosij decretũ rectè defendit, affirmat illas possessiones donatas fuisse ecclesijs pijs, & ad piæ doctrinæ conseruationẽ. Has cũ impij ac hostes ueræ doctrinæ tenerent, fuit Imperatoris officiũ, dominis restituere, hoc est, ueræ ecclesiæ. Nec magis licet Idolatricis collegijs huius ætatis, res donatas ad ministerij Euangelici conseruationẽ tenere, quàm regi Babylonico licuit in conuiuiũ proferre sacra uasa tẽpli Hierosolymorũ. Quid horũ in quæstionẽ uocari potest? Si Episcopi tuentur impios cultus, si ueră doctrinã opprimũt, ut palàm faciũt, falso titulũ usurpant ecclesiæ. Ac Regũ officiũ est, facultates Ecclesiasticas trãsferre ad cœlestis doctrinæ præcones, ad eos qui gloriam Dei uerè ornare studẽt. Vtinã Principes intelligerẽt hanc rẽ ad officium suũ pertinere, quorũ præcipuũ est munus, religionẽ ornare, defendere ecclesiã. Hæc sunt uerè heroica, propter quæ Deus impertit societatẽ nominis sui

Donatistæ.

Augustinus Theodosii decretum confirmat.

Principum munus.

nis sui bonis principibus, ut ait, ego dixi Dij estis: hoc est, res diuinas custodientes, euangeliũ, pios cultus defendentes, gloriã Dei aduersus Diabolũ, qui spargit impias opiniones, qui incẽdit tyrannos ad exercẽdam sæuitiã. Nõ tantũ corporibus nostris seruit Magistratus, sed multò magis gloriæ Dei. Quod si essent alicubi, qui palã Epicureas opiniones profiterẽtur, an nõ Magistratũ oportuit summa seueritate in tales animaduertere? Nõ est contẽnendum præceptũ, q̃ inquit: Blasphemus mortẽ moriatur. Et rursus: Nõ usurpabis nomẽ Dei uanè. Harũ legum custos cum sit Magistratus, haud dubiè abolere impios cultus debet, restituere pios, et ministris Euãgelij stipendia dare, quæ ipsis in ecclesia cõstituta sunt, nec putent se leuiter peccare principes, si id officium negligant: Nã apud Esaiam uocãtur nutritores ecclesiæ. Et Aggeus ac Malachias sæuerè obiurgãt populum non soluentẽ pensiones debitas templo ac sacerdotibus: et minantur sterilitatẽ ac famem, nisi liberalius soluãt. Cũ igitur iniustè teneãt hæc stipẽdia Episcopi, Canonici et Monachi, cũ pastores pios, et horũ coniuges et liberos fame perire sinant, cum defraudent scholasticos, cum studia deleant, Deus postulat, ut principes ueræ ecclesiæ et studiorũ curam suscipiant, et illas pestes ecclesiæ remoueant ab administratione

Minæ Prophetarum.

stratione. Prospicere debēt principes, et ut in præsentia alātur boni pastores, et ut posteritas habeat eruditos uiros, idoneos ad ecclesias regendas. Historiæ ueteres cōmemorant, mirificum fuisse luxū Sibaritarū, qui quidē ita creuerat, ut præmia etiam turpitudini, et in cētoribus nouarum uoluptatū constituta essent. Sed tantā disciplinæ corruptionē Deus nō diu tolerauit: Itaq; exitium ciuitatis uaria prodigia denunciarūt, in his spectrum fuit: Iuno uenīes in forū clara luce, et uomens magnā copiā bilis et sanguinis, quo prodigio significatū est fore, ut breui ciuitas euomeret suas delitias, et sanguinē bonorum, quos tyranni iniustè trucidauerāt. Paulò post Sibaris deleta est. Ita euoment tandem episcopi, qui nunc Sibaritarum more uiuunt, rapinas et sanguinē piorum sacerdotū. Monachus quidā in concione publica, audiente Imperatore Carolo dixit, Deum nō futurum propiciū, nisi totum cubitum lauet in sanguine Lutherano. Perhorresco referens hanc uocem auditu crudelē. Quæ enim fuit unquā adeò fera barbaries, in qua tanta immanitas, tanta sitis extitit ciuilis sanguinis, quāta est in istis hypocritis? nulla de causa, nisi quod nō applaudimus omnibus eorum opinionibus, quarū multas ipsi fatētur esse impias, et erroris plenas, et defendūt eas tamē quadā pertinacia, quod

Sibaritarum luxus.

Iunonis spectrum.

Vrbis interitus

Crudelis uox Monachi.

quod existimant labefactari autoritatem, si quid mutent: Talia qui dicunt, utrum Ecclesiæ gubernatores, an furiæ et Erynnes rectius dici debent? Sed Deo dabunt pœnas, qui solet insignibus exemplis manifestum religionis contemptum punire. Interea uos commilitones adhortor, ut Lazari exemplo, forti animo præsentes ærumnas feratis, aderit nobis Deus, nosq; alet, ut scriptum est: Iacta curam tuam in Deum, & ipse te enutriet. Nec deterreri uos à rectis studijs, à pia sententia sinite, uel inopiæ, uel aliarum ærumnarum metu. Quidam languidioribus animis præditi, deficiũt à Christo, & adiungunt se hostibus Euangelij, nec uident quàm miserum, quàm turpe sit, assentari Tyrannis. Hesiodi uersiculus extat, qui præceptum grauissimum continet, quod sæpe inculcant & Prophetæ:

μη δὲ κακῶν ἕταρον μηδ' ἐσθλῶν νεικεσσήεα.

Non conniuendum ad conuicia aduersus doctrinam.

Ne fias socius improborum, nec conuiciator honestorum. Hic uersiculus admoneat uos, ne ad societatem eorum uos adiungatis, qui cum ueritate belligerantur, ac ne adplaudatis conuicijs, quæ dicuntur aduersus piam doctrinam. Hæc petulantia habet tristes exitus. Deum autem rogemus, ut honesta & pia studia gubernet ac tueatur.

Historia

HISTORIA DE DIVITE ET DE egeno Lazaro, Lucæ 16. reddita uersibus à quodam studioso Alb.

VRbs antiqua fuit fama celeberrima quondam,
A Solymis clarum nomen adepta uiris:
Imperijs florens & sancto gentis honore,
Vix capere ut laudes quiuerit ipsa suas.
Hic quidam ueteri Regum de semine natus,
Nam generis summum creditur esse decus,
Multiplici gaudens culturerumq; potente
Ornatu, ingentes diues habebat opes.
Nullius ampla boni deerat cui copia: quiq;
Possedit culti iugera multa soli.
Et quæcunq; animo ferrent noua gaudia molli,
Delicias studium quærere semper erat.
Quicquid et in tota pulchrũ aut spectabile terra,
India quæ mittit: Parthia quæue tulit:
Ille sua congesta domo gazaq; tenebat,
Et cura hæc illi maxima mentis erat.
Huicq; uoluptatum naues luxusq; ministræ,
Verrebant plenis æquora lata notis:

Vecturæ ad Domini lautas noua munera mensas,
Munera uix ulli cognita facta prius.
Hic quoq; cum faceret læta conuiuia mente,
Hospite cognatos excipieretq; domo.
Ipse suos sæpe est miratus pectore luxus,
Alta gerens tacita gaudia mente sua.
Namq; ibi regalis ex omni parte paratus
Expositi tota connituêre domo.
Atria splendebant auratis ampla columnis,
Cœlesti qualis fulget ab arce nitor.
Stratáq; erant aulæ Pario de marmore facta,
Et nitidum primo limine stabat ebur.
Ipse etiam dominus pulchro spectabilis ostro,
Regali ornatu conspiciendus erat.
Et tinctas Tyrio gestabat murice uestes,
Regia quæ prisco tempore pompa fuit.
Ergo ita dum uiuit nulli splendore secundus,
Indulgens Baccho delicijsq; suis.
Illius ante domum foribus bipatentibus altam,
Qua tenet ad dominum maxima porta uiam:
Lazarus infirmo uix languida corpore membra
Sustentans, panem supplice uoce petit.
Et simul ad dominum liuentia brachia tendens,
Ossa graui scabie debilitata trahit.
Vtq; est inualidus, limen procumbit in ipsum,
Nec stando corpus sustinuêre pedes.

Cum

Cum ueluti magno torrentur uicta calore,
Atq; ipsis ingens ossibus ignis inest,
Altaq; per totum serpunt contagia corpus,
Et uires præbent materiamq; malo:
Interea inflantur calido tumefacta cruore,
Et tanquam modi singula membra rigent.
Non aliter primis foribus miserabilis hæret Lazarus.
Lazarus, exiguæ dum stipis orat opem.
Nil ualuêre preces eadem tam sæpe petentis,
Immites aures obstruit ille magis.
Quæ possent lachrymæ truncos et saxa mouere,
Ponderis hoc penitus nil habuere loco.
Sic igitur tristi uita est cum morte soluta,
Perditus ante fores dum iacet ille fame.
An subeat facinus cuiusquam pectora tantum,
Non ferat ut miseris, quàm sibi ferret opem? Canes.
Ergo canes etiam nostræ rationis egentes,
Officio uincant pectora nostra suo?
Qui iam non duri, non aspera corda gerentes,
Lingebant artus Lazare sancte tuos.
Et fluit inde salus, ubi copia nulla iuuandi est,
Atq; ibi cessat, ubi est copia diues opum.
Sed tamen illa suo tandem quoq; fine probantur, Vtriusque exitus.
Amborumq; sequens exitus acta probat.
Lazarus æthereas moriens succesßit in arces,
Inq; Abrahæ sentit gaudia multa sinu.

Nam chorus angelicus uinclis & mole ſolutam
Corporea mentem uexit ad aſtra piam.
Regna ſed ille Erebi ſubijt manesq; profundos,
Tormina ſub triſti dæmone ſæua ferens.
Hiſtoriæ ſcopus. Sed nos hac monitos uoluit ſub imagine Chriſtus,
Erudiens iſto pectora noſtra modo.
Senſibus ut teneant imis mortalia corda,
Atq; alta ſecum mente repoſta gerant,
Qualis in hoc mundo ſit ſors & uita piorum,
Ingentiq; animo triſtia cuncta ferant:
Quantaq; crudeli lateant in corde uenena
Horum, qui ſancti nil pietatis habent.
Iußit & euentus amborum diſcere, namq;
Quisq; ſuæ mortis fine probandus erit.
Iam ſic ante fores deſerta Eccleſia Regum
Luce carens omni, Pontificumq; iacet.
Hic ſibi quærit opem, quam nõ tamẽ inuenit, inde
Pontifices. Innumeris premitur, ſed magis ipſa malis.
Pontifices ipſi ſanctorum cæde triumphos
Iniuſta titulos ſæuitiaq; parant.
Incenduntq; odijs Reges, acuuntq; furorem,
Vt contra moueant impia bella pios.
Doctores etiam nullo curante fideles,
Enecat inuiſos undiq; dira fames.
Ingenuæq; artes, morum uitæq; magiſtræ
Contemptæ, iuſto prorſus honore carent.

Inde

Inde parum docti spargunt mala dogmata multi,
Qua non pernicies grandior esse potest.
Talia dum patitur lacerata Ecclesia damna,
Auxilium Regum sedula uoce rogat.
Pontifices etiam precibus uotisq; fatigat,
Ne iaceat tantis obruta tota malis.
Verùm hi duricia silices adamantaq; uincunt,
Et duro innatum pectore robur habent.
Nonq; pijs animum inducunt succurrere fessis,
Quos semper solos aspera damna premunt,
Quin etiam ferro mactant crudeliter omnes
Qui ueræ quicquam relligionis habent.
Nec tamen ipse suos ex omni parte relinquit,
Atq; aliquos saltem seruat alitq; Deus.
Nam uelut Angelici curant te Lazare cœtus, Custodes Angeli.
In mediaq; tibi morte pericla leuant.
Custodes etiam tales Ecclesia missos
Imperio Christi, sentit adesse sibi.
Agmina sic seruant Elisæum ardentia Vatem,
Hostica cùm solus castra ducesq; capit.
Cùm Rex Heroas raperet Chaldæus in ignem,
Quòd statuæ nollent impia thura dare:
Angelus inq; rogo flammisq; uoracibus ipsos
Defendit, cœlo iussus adesse uiris.
Angelus & dura soluit te compede Petrum,
Omnia cœlesti sunt tibi tuta duce.

Atq; ut lingua canum lambendo urentia lenit
Vlcera, & exigua mitigat arte malum.
Sic aliqui Reges, quibus est Ecclesia curæ,
Quæ possunt illam parte iuuare student,
Et laceros ægri medicantur corporis artus,
Et pascunt magna cum bonitate pios.
Ergo cum Christo regnum immortale tenebunt,
Hic requies fessis grata laboris erit.
Nam quia te corã rerum Pater optime cernent,
Perfusi capient gaudia luce tua.
Et sunt adflatu diuino pectora iustis
Enthea lætitiæ plena futura nouæ.
Qualem nulla potest mortalis dicere lingua,
Hæc homines utinam cernere dona queant.
Non illis unquam ueniet metuenda senectus,
Deniq; nil atrox mors ibi iuris habet.
Non metuent sæuis mixtos Aquilonibus imbres,
Sponte dabit fruges terra inarrata suas.
Vndiq; perpetuò florebunt omnia uere,
Nec faciet solitas frigida bruma uices.
Aurea sic illis multoq; beatior ætas,
Et ueniet nullos uita habitura metus.
Sed qui sacra Dei uiolarunt iura Tyranni,
Horribiles pœnas tunc sine fine luent.
Tunc scelerum ultrices curæ æterniq; pauores
Vrgebunt furijs conscia corda mali.

Inq;

Inq; Aetnæ fauces alios immitet Erynnis,
Qua uolat indomito plurimus igne globus:
Demergetq; alios stygij sub fluminis undas,
Feruida quas atra de pice spuma tegit:
In uultu ostendent crimen pallorq; fugæq;,
Credite, non leuis est uindicis ira Dei.

FINIS.

DE EXEMPLO EMENDATI Latronis propugnantis gloriam Christi in cruce, Declamatio recitata à Ioachimo Moller Hamburgensi.

MVltis de causis semper in conspectu nobis crux Christi esse debet: Quanquam enim hic pulcherrimus orbis, dierum ac noctium gratissimæ uices, anni circuitus, solis & cæterorum syderum mirandi cursus, terræ fœcunditas, denique tota rerum natura nobis ad agnoscendam Dei uoluntatem, ac præsentiam proposita est, tamen multò est illustrius testimonium ingentis & ueræ erga nos beneuolentiæ Dei, supplicium filij, quod illum perferre nostræ causa uoluit.

Supplicium Christi sit semper in conspectu nostro.

uoluit. Itaq; ab hoc pignore diuini amoris nunquam oculi deijciendi erant. Hîc discendum quàm horribilis sit ira Dei aduersus hominum scelera, cum nulla eam uictima nisi filij mors placare potuerit. Hîc & magnitudo consideranda est misericordiæ, quòd filium pro nobis piaculum fieri uoluit, ac propter hanc tantam hostiam certam salutem promisit. Hæc capita sunt cœlestis sapientiæ, quæ ibi nobis proponuntur: deinde accedunt alia multa. Cumq; omnes Christi gestus aliquid significent, præcipuè illa epithasis certaminum ipsius, ecclesiam de multis maximis rebus admonet. Non temerè pendet inter duos latrones, quorum alter est maledicus, alter ex latrone fit propugnator Christi. Multa docet nos cùm ipsum spectaculum, tum maximè duorum altercatio, & Christi uelut agonothetæ concio interposita, quæ ut ipsi latroni salutaris fuit, ita non ad ipsum tantum pertinere iudicanda est. Euangelij uox est communis omnibus pijs omnium ætatum, quæ quidem dulcissimam consolationem proponit. Itaq; hanc imaginem animo intuens, & illam grauissimam disputationem cogitans, uideor mihi uidere Ecclesiam omnium ætatum, audio omnium Prophetarum, & Apostolorum cõciones, quarũ summa in illo breui collo

Altercatio duorum latronum docet nos.

quio

quio comprehensa est. Etsi autem non dubito plerisq; uestrum has ipsas res melius esse notas ac meditatas, quàm mihi, tamen cum hoc loco dicere iussus essem, & me pericula horum temporum his diebus de hac imagine admonuissent, libenter hoc argumentum elegi, ut exemplo latronis, qui semiuiuus, ac laceratus, tamen gloriam filij Dei tuetur, & meum animum confirmarem, ut adolescentes ad idem decus excitarem. Nec id argumentum alienum est ab hoc loco, aut his temporibus. Diu iam Pontifices exercent immanem sæuitiam in membra Christi, ac nunc, ut uniuersam Ecclesiam deleant, inflammare ciuile bellum conantur, Christum omnibus probris onerant, multò rabiosius, quàm latro maledicus. Applaudunt Pontificum furori, Reges, & præcipui uiri omnium ordinum, quadam inani utilitatis umbra capti. Adsentantur his docti, ut Silenus Cyclopi in antro, ut est in fabulis Euripidis: Et ut horum seruiant cupiditatibus, stylum aduersus Christum acuunt. Aliqui saniores dolent uicem Ecclesiæ oppressæ horribili Tyrannide, sed minis potentum perterrefacti iacent, ut Apostoli dilapsi erãt, cum Christus afficeretur supplicio. Tali tempore, et si nos quidem priuati, oppressi Tyrannide, parum prodesse ecclesiæ possumus, tamẽ imitemur exem

Pontifex latro siniſter.

Doctores Euãgelii latro dexter.

plum semiuiui latronis, qui conuicijs respondet, & gloriam Christi sua uoce quantum potest, cum iam animam inter dentes teneret, defendit. Cum igitur hæc oratio maxime conueniat huic tempori, quæso ut non solum æquo animo historiam latronum audiatis, sed etiam excerpatis exempla uobis utilia, & animos excitetis ad imitandam uirtutem pij latronis, qui et fide hunc medium Iesum supplicij socium, agnoscit esse autorem uitæ perpetuæ, & fortiter eum aduersus latronem conuiciatorem propugnat: Repetam igitur totius spectaculi significationem paulò altius. Duo latrones pariter affecti supplicio cum Christo, significant uniuersum genus humanum destinatum esse morti propter peccatum. Hinc igitur non duos tantum latrunculos pendere cogitabitis, sed omnes homines omnium ætatum. Cogitabitis & illud, omnes esse latrones: Multa enim sunt, & atrocia singulorum scelera, multi adiuuerunt mala consilia aduersus pios suscepta: Deniq; omnes alio quo modo manus attulimus filio Dei. Porrò cum in media morte uersaremur, filius Dei nobis donatus est, ut uictima fieret pro nobis, ac placata patris ira, aboleret peccatum & mortem, & redderet uitam æternam. Id beneficium offert & impertit omnibus, quos erratorum pœnitet, quiq;

Historiæ sensus.

ueniam

ueniam ab ipso petunt, & freti ipsius promißis, liberationem expectant. Hic iam distrahuntur hominum iudicia ac uoluntates. Maxima pars aspernatur hoc beneficium, præsertim cum uideant Christum perinde ut cæteros calamitatibus communibus conflictari, rapi etiam ad supplicium, interfici. An Epicurei ab hoc cadauere pendente in cruce peterent aut expectarent nouã & perpetuam uitam? qui in tanta confusione uitæ, casu omnia fieri arbitrantur, nec statuere possunt, Deo humana curæ esse? Rident igitur tanquam poëmata aut aniles nenias omnia testimonia, quæ Deus & de sua uoluntate, & de immortalitate omnibus ætatibus ordine tradidit, & tandem misso filio, & post mortem reuocato in uitam, confirmauit. Hic ille sarcasmus est maledici latronis: Age liberator egregie, tibi & nobis salutem reddito. Sic impij etsi sunt in media morte, tamen non sentiunt malorum magnitudinem, non quærunt causam ærumnarum, non metuunt Dei iudicium, ludunt etiam deridendis religionibus, & cum offecturæ sunt ipsorum commodis, delere Euangelium conantur, & expromunt impietatem ac sæuitiam aduersus Christum & eius membra. Vt tunc latro uirulentis ironijs exagitabat filium Dei, ita uidetis impios ludere omni-

Latronis similitudo.

Impiorum stupor.

omnibus ætatibus. Ac ne putetis nouum fuisse exemplum. Alius est hostis Christi multo infestior,

Diaboli Iusus.

scilicet Diabolus. Is primum odio Dei auulsit ab eo primos parentes. Is similibus ironijs in paradiso miseram mulierem fefellit, cum promitteret fore similem Deo: Eritis, inquit, sicut Dij. Idem calumniator habet fascinatas impiorum mentes

Diabolus poeta, impij actores.

omni tempore falsis de Deo persuasionibus. His abutitur tanquam organis, ad explendam infinitam odij sui acerbitatem aduersus Filium Dei. Latro igitur, ut cæteri impij, actor est harum ironiarum, sed ille superbissimus spiritus hostis Dei, est earum Poëta.

Nero in cruce.

Quàm misera est autem seruitus, organum esse tanti furoris ac tanti odij aduersus Deum? Talis est uita Neronis et impiorum omnium, qui cũ in cruce pendeant, hoc est, sint in media morte, nam uoluptates eorum non sunt diuturnæ, tamen liberatorem aspernantur. Et confirmat errorem Diabolus, qui postquam mentibus eorum offudit densiores nebulas, postea pro libidine sua illis abutitur, accendit in eis odium Dei, & sæuitiam aduersus membra Christi. Non igitur liberantur à morte, sed ruunt in æternos cruciatus, cum quidem iam bis latrones sint, habent communia scelera toti generi humano. His addunt

contem-

contemptum beneficij Christi, & crudelitatem, quam in Christum et eius membra exercent. Huius impij agminis uniuersi ἀντίτυπον est maledicus latro. Nunc de altero dicam, qui emendatus significat Ecclesiam, quæ est altera pars generis humani, quæ et ipsa latrocinio cõtaminata est, ac destinata morti, agnoscit se habere peccata, et calamitatibus ingẽtibus ac morti obnoxia est, ut cæteri homines. Sed redditur ei post mortẽ noua et perpetua uita, lux, sapientia, iustitia, et lætitia. Hæc quomodo fiant, ex hoc colloquio discamus, quod, ut ante dixi, omnium Propheticarum & Apostolicarum cõcionum summam complectitur. Agnoscit sua peccata hic latro, & ingenti motu animi confugere audet ad liberatorem. Audierat de hoc socio supplicij Iesu, quid docuisset: audierat eum testimonia doctrinæ suæ non uulgaria exhibuisse, & senserat eum iniustè, scelere Pontificum raptum esse ad supplicium. Audierat & quasdam eius uoces in cruce, quas animaduerterat non proficisci à uulgari homine. Videt naturam rerum, terræ motum, subitas tenebras, solis de eo testimonia edere: Quare statuit hunc uerè esse liberatorem, & Christum. Hac fide excitatus, inquit: Memento mei Domine, cum ueneris in regnũ tuum. Considerate autem, quàm mi-

Latronis dextri ἀντίτυπον.

Latro interpres Prophetarum.

randa

randa lux in hoc latrone fulserit. Nõ deterretur fœditate supplicij et morte Christi, quo minus iudicet eum esse promissum liberatorẽ. Deinde longè aliter de Meßia sentit, quàm uel Pharisæi, uel Apostoli, utriq; expectabãt imperia et opes. Hic latro iam Prophetas interpretatur, docet Meßiam liberaturum nos esse à ueris & æternis malis, à peccato, à perpetuis cruciatibus, ac regnaturum nõ in hac calamitosa uita, sed post hanc uitã, ubi fruemur Dei cõsuetudine, liberati ab omnibus erroribus et miserijs. Videtis hanc esse summam, & sententiam omnium promißionum, quæ Patribus & Prophetis traditæ sunt. Lucet ergo in latrone uera fides: et fidei proprium est petere ueniam propter ipsum liberatorem filium Dei, nec deterreri nostris delictis, quò minus ad eum confugiamus, ac beneficium eius expectemus. Latro agnoscit sua scelera, non adfert ad Christum benefacta aut merita, sed sentit hunc esse hostiam pro omniũ delictis: uidet uoluntate Dei, huic tantam pœnam irrogatam esse innocenti, ut fiat hostia pro toto genere humano. Talis fides certò impetrat promissa à Deo. Quare Christus clara uoce eum absoluit à culpa, ac promittit ei nouam et perpetuam uitam, confirmans iam interpretationem promißionum Propheticarum: Hodie, inquit,

Fide impetrat Paradysum.

quit, eris mecum in paradyso. Corpora relinquebant, & tamen una futuri erant in cœtu piorum Angelorum ac Prophetarum, qui Dei consuetudine fruuntur.

Duæ Euangelii conciones.

Audistis duas perspicuas Euangelij conciones, de beneficijs Christi, de reconciliatione, de uita perpetua. Latro petit ueniam, fretus non benefactis suis, sed Domini clementia et sacrificio. Christus promittens ei ueniam, & uitam perpetuam, testatur hæc beneficia hoc modo credentibus dari. Possent hæc multò uberius exponi, sed cum apud eruditos habeatur oratio, nolui esse prolixior: Dixi summam Euangelij in his concionibus comprehensam esse. Hortor etiam ut exemplum imitemur, ac simili fiducia ad filium Dei confugiamus. Hæc est, ut scitis, Doctrinæ summa, de iustitia fidei, seu de regeneratione, & aditu ad uitam æternam. Videamus reliqua. Nec fieri quidem potest, ut Ecclesia sit sine cultu Dei, sine sacrificijs, sine bonis operibus, sine certaminibus. Ideo enim Deus restituit genus humanum, ut inter homines ipsius noticia luceat ac celebretur: Quare cultus & officia certa postulat. Num hæc neglexit latro emendatus, num quia pendebat nudus ac uinctus, nulla offi-

Cultus et pia opera latronis.

la officia Deo præstitit? Ille uerò præcipuos honores Christo tribuit, quos Deus in primis flagitat: agit pœnitentiam, agnoscit suum scelus, recte sentit de hoc liberatore, nihil deterritus illa miserabili specie morientis, inuocat eum. Hæc sunt uerè pia opera. Accedit & dimicatio. Quanquam enim pendet semiuiuus ac laceratis membris, tamen uenit in certamen cum conuiciatore, quo seuerè castigato & obiurgato, defendit Christi gloriam. Hæc est confessio, quam quanti faciat Deus, sæpe monet scriptura, ut cum ait Christus: Qui confessus fuerit me coràm hominibus, confitebor eum coràm patre cœlesti. Breuiter indicaui bona opera emendati latronis. Nunc quæso ut uniuersam Ecclesiam eius temporis consideretis: Filius Dei pendet in cruce, non iam ostendens potentiam suam admirandis factis ut antea, quare deridetur ac despicitur ab impijs. Apostoli seu dubitatione, seu metu dilapsi erant. Multos audi tores mouit & illud quod dicitur: Exitus acta probat, qui cogitabant hunc nequaquã Messiam esse, cum in tanta calamitate uideretur à Deo desertus & abiectus esse. Sola reliqua est Maria mater, in qua lucet fides: hæc expectat aliam catastrophen: Nec enim spectatrix esse poterat huius supplicij, nisi fide animus erectus fuisset. Sed quia

Dimicatio, quę est latronis confessio.

Facies Ecclesiæ tum temporis.

Maria.

quia Apostoli & cæteri homines tacent, iam tota rerum natura incipit concionari, & testimonio suo filium Dei ornare, & in tanta Ecclesiæ trepidatione, ne desit concionator, excitat Deus latronem de sublimi concionantem toti orbi terrarum. Hic latro testatur hunc Iesum esse promissum liberatorem, & autorem nouæ & perpetuæ uitæ. Desinant iam Pontifices, Episcopi, Monachi gloriari, suos cœtus, quos uocant Ecclesiam, errare non posse, cum uideant tantam Apostolorum trepidationem. Sed quoniam historia mortis Christi haud dubiè significat præcipuè calamitates Ecclesiæ postremi temporis, latronum concertatio quædam est imago certaminum huius temporis. Conuiciantur Christo Pontifices, Canonici, Monachi, & horum satellites Tyranni, qui & si exiguo tempore fruuntur suis uoluptatibus, tamen reipsa pendent in cruce impij latronis, breui pœnas scelerum daturi. Interea cum ante finem mundi renouare doctrinam & confessionem Deus uellet, excitauit, doctis & timidis cessantibus, Germanos milites, homines sine hypocrisi sapientiæ aut iustitiæ. Non potest enim dissimulari aut negari, multos articulos doctrinæ Euangelicæ ita repurgatos esse per hos, ut satis appareat diuinitus hanc lucem Ecclesiæ

Rerum natura

Latro,

Pontifices conuiciantur,

Germania Christi uindicat gloriam,

redditã esse. Idẽ igitur in doctrina nostrarũm Ecclesiarum traditur, de reconciliatione et de fide, quod ibi sentit latro. Nec pudet nos hunc audire Apostolũ, cuius sententiam et fidem Christus perspicuo testimonio approbat. Vtinam Christum etiam simili fide inuocemus. Etsi nihil dubito multos esse, in quibus similis fidei scintillæ ardẽt. Nõ enim dubitandum est, in eo cœtu esse membra uerę Ecclesiæ, in quo rectè traditur Euangelium, et abolita est εἰδωλομανία. Et nostris Ecclesijs non desunt testimonia Spiritus sancti: Videmus enim quanta constantia multi pij supplicia perferant. Meminimus honestas matronas luctatas cum terroribus mortis, egisse Deo gratias, quod agnouerint Christi beneficia, et magna tranquillitate animi, dum recitãt laudes ac hymnos Deo, spiritum exhalasse, ut satis appareret in eis cœlestẽ lætitiã inchoatam esse, antequam è corpore discederent. Addit Deus & alia testimonia, quod mirabiliter seruat has Ecclesias: Aspernãtur ueram doctrinã hostes nostri, & deesse testimonia miraculorum seu prodigiorum clamitant, cum ipsi nec rectè facta, nec miranda habeant. Vt Christus nunc pendens in cruce, non ostendebat potentiam suam. Nihil inusitati conspiciebatur in latrone, præter illam pietatem, quam ridebant ἄθεοι. Ita nunc Ecclesia

Nostrarum Ecclesiarum miracula.

clesia infirma est: Et tamen mira res erat, illa ipsa latronis emendatio. Talia miracula non desunt his temporibus. Sed si uolunt audire aduersarij sua prodigia, pauca commemorabo. An eum cœtum putemus Ecclesiam esse, qui flagitiosas libidines tanta pertinacia defendit, ut interficiat eos, qui sunt hortatores, ut anteferant honesta coniugia? In qua unquam barbarie auditum est interfici homines propter reprehensas uagas libidines, propter laudem coniugij? Prodigia quæruntur: Hæc prodigiosa turpitudo est certũ testimonium, totum illum cœtum cõtaminatum εἰδωλομανίᾳ, periurijs, libidinibus, parricidijs ecclesiæ, agitari à diabolo. Possem alia Pontificũ prodigia multa recitare, quæ nunc omitto: ac redeo ad illum Apostolum, de sublimi concionantẽ & defendentẽ gloriã Christi. Nõ poterat semiuiuus ac ligatus pietatẽ suam declarare iã alijs officijs, gubernare Ecclesias, et latè spargere doctrinã: Hoc unum poterat, castigare conuiciatorem. Ita nos, cùm habeamus Reipub. teneant aduersarij, cùm toties frustra rogauerimus Reges, ut de cõcordia deliberent, cùm reuocare eos ab errore nõ possimus, hunc tamen cultũ Deo præstemus, lingua et stylo celebremus Christum, refutemus aduersarios, taxemus impias eorũ leges, ac hypocrisin, ut pij admoniti caueãt,

Aduersariorũ prodigia.

Latro Apostolus defendit gloriam Christi.

ne eorum ſocietate polluantur. Tot iam annos omnia moderata conſilia repudiant Pontifices, tantum de cæde cogitant, faciunt impia & ſacrilega fœdera: Quam ad rem? ad defenſionem manifeſtæ idolomaniæ, periuriorum, flagitioſarum libidinum, ac parricidiorum. Hæc uera eſſe, ne ipſi quidem negare poſſunt. Nec ullius tanta eſt eloquentia, hæc ut excuſare uel in ſpeciem queat. Tonet ac licet fulmina torqueat Pericles, ut dicebatur, tamen in hac cauſa ueritas ita perſpicua eſt, ut non poßit τὸν ἥττω λόγον κρέιττω ποιεῖν. Viderint igitur pij, ne ſe ad tantorum ſcelerum ſocietatem adiungant. Cogitent exemplum emendati latronis, oſtendant uoce, literis & cæteris officijs, ſe toto animo ab illa gigantea impietate abhorrere, ſe nolle adminiſtros eſſe furoris illius Diaboli. Nam illa ſcelera non ab humanis ingenijs, ſed uerè ac propriè à Diabolo oriuntur. Eſt quidem in magnis cruciatibus latro, qui Chriſtum uneratur. Sed cogitate, quanta ſit beatitudo, tenere certam ſpem uitæ æternæ. Ita nos, & ſi multis exercemur ærumnis propter confeßionem, tamen hanc ducamus eſſe magnam fœlicitatem, quòd abſumus à conſilijs Pontificum, à Diaboli fœdere, qui ut Deum contumelia afficiat, ut quàm plurimos perdat, incendit Pontifices, agitat Tyrannos,

nos, ut ſtabiliant εἰδωλομανίαν & cætera flagitia. Nihil poteſt dici atrocius, quàm quod inquit Paulus: Si quis aliud Euangelium docet, anathema ſit. Omnes diras atq; imprecationes complexus eſt uoce anathematis. Et repetit uerbo triſtiore eandem ſententiam alibi: Si quis non amat dominum Ieſum Chriſtum, ſit anathema maranatha. Quo nomine intelligit certam ſpeciem anathematis, ob quod prorſus deleri, & è medio tolli neceſſe eſt, ut parricidas, & propter quod Deus toti rerum natura iraſcitur, terra fruges negat, Sol refugiens ſiſtit currus, amittit ſplendorem, deniq; quòd contagio ſuo nocet toti generi humano, ut ille inquit in Tragœdia.

Anathema maranatha.

Diſcedite à me, ne umbra mea noceat bonis.

Eſt enim uox Paulina facta ab hærē motha, quòd ſignificet rem deuotam, ac deſtinatam exitio & morti: niſi quis mauult eſſe hærem et hatta, quod eſt peccatum, ſeu ſcelus, ut Græci dixerunt κακὰ θάγματα ſeu ἁλάσορας. Sic igitur Paulus nos de hoſtibus Chriſti ſentire iubet. Et ſæpe repetitum eſt hoc præceptum in concionibus Prophetici, quod quidem ſi quis contemnet, reipſa comperiet Erynnas ac furias uagari per omnes complices, adflare etiam mediocribus peiores impetus, implicare eos erroribus, et horrēdis calamitatibus.

Tyranni crucifixi.

Has pœnas & considerare pij & cauere debent. Quanquam enim parricidæ illi aliquandiu florent, ut Dionysius, Nero, & similia portenta aliquandiu regnarunt, tamen exitus fuerunt tragici: Et interim multi pœnas dederunt familiaritatis ipsorum. Pendent unà omnes Tyranni in cruce maledici latronis, & si cruciatus nondum omnes sentiunt. Nemo sanus libenter uersatur apud eum, quem scit iniustam cædem fecisse. Quantò magis isti fugiendi sunt, quorum mentes contaminati sunt idolomania, lingua, periurijs, manus imbutæ cruore piorum, cætera membra conspurcata libidinibus. Ac ut de alijs obscurioribus sceleribus non dicam, quis sanus uolet se parricidiorum societate polluere, quæ ab istis fiunt quotidie? Quàm multi docti & pij ab Episcopis & Monachis ubiq; terrarum interficiuntur? Aiunt nihil sæuius esse Pantheris, & tamen sæpe leguntur in circo quasi reuerentia quadam pepercisse sanctis Pantheræ. Has superat rabies Fabri, Mezentij, Nauseæ & similium, qui adeo non parcunt ullis, ut ciuile bellum accendi, & tot nationes deleri, tot honestas matronas, tot infantes iugulari, uastitatem Ecclesiarum effici cupiant æternam: uerum est enim illud Poëtæ:

Pantheræ mitiores quàm Episcopi & Monachi.

Alta sedent ciuilis uulnera dextræ.

Vt

Vt autem maledicum latronem castigat alter noster Apostolus, ita hæc flagitia singulis temporibus à pijs, & præsertim eruditis fortiter taxanda sunt. Quòd ita demum grauiter & ucrè facietis, si eruditione instructi eritis, ut Paulus inquit: Sit sermo uester sale conditus. Non ut scopulos aut littora feriunt undæ ingenti tãtum sonitu, ita solo clamore certandum est: Eruditè refutandi sunt aduersarij, ut aliqui sanentur, boni confirmentur, ut in latronis obiurgatione grauissimæ insunt sententiæ, de gubernatione diuina, de prouidẽtia, quibus Epicureas in altero persuasiones refutat. Apud Aristophanem lex dicitur certaturis, ἔλεγχε καὶ ἐλέγχου. Causa cum causa congrediatur, ueris argumẽtis certetur, dicatur πρὸς ἕτερος, & reuocetur Antagonista intra metas. Videtis enim quàm uarias rimas quærant nunc ad elabendum, quantum technarum & Sophistices excogitent ad eludendam ueritatem. Antagonistas habemus, astutos, intentos, instructos literis & eloquentia, ac dimicantes non de lana caprina, sed pro focis suis, hoc est, de opibus, dignitate, uoluptatibus, quarum rerum causſa acerrimæ cõtentiones inter homines existere solent. Vos contrà uerè pro aris pugnatis, hoc est, uobis cõmendata est defensio puritatis Euangelij & gloriæ Christi.

Taxandi aduersarii grauiter & uere.

Lex Aristophanis in controuersiis.

Militia Ecclesiæ.

Christi. Hæc militia non concedit uobis ocium, sed postulat acerrimum studium cognoscendæ cœlestis doctrinæ, flagitat animum non mollem, non detrectantem certamina. Hæc ut sæpe multumq; cogitetis, uos etiam atq; etiam adhortor, ut officium uestrum rectè intelligatis, & agnoscatis uobis non leue munus à Deo mandatum esse, uosq; in extremo iudicio spectantibus omnibus hominibus atq; Angelis, rationem administrati muneris reddituros esse: ubi etiam hic noster latro inter iudices assidebit, & strenuos milites Christo commendabit, de ignauis ac desertoribus supplicium sumi petet. Quare nunc date operam adolescentes, qui huius signiferi tyrones estis, ut uos diligenter exerceatis, ac præparetis ad ueracertamina, in quo gloriam Christi aliquanto post defendere uos oportebit. Hunc honorem Deus flagitat, ut heri in uersiculis significaui:

Latro in extremo iudicio assidebit.

Vult adsertores laudum nos esse suarum.
Idq; magis poscit, quàm noua thura Deus.

DIXI.

ORA-

ORATIO CASPARIS CRVCIgeri S. Theologiæ Doctoris, de Ecclesia Christi, quam habuit 26. Aprilis, cum decerneret titulum Doctoratus D. Hieronymo Noppo, Et D. Friderichо Bachhofen, &c. Anno M. D. XLIII.

QVoties ego hos honestißimos conuentus scholasticos aspicio, mirifica uoluptate adficior: Quid enim in hac uita homini, non prorsus alieno à pietate & literis, potest contingere iucundius, quàm uidere tales cœtus uirorum præstantium doctrina, pietate, & uirtute: Quorum authoritate, officio, & diligentia, & sanctißimum ministerium Ecclesiæ, & publicum consilium Reipublicæ regitur, & literæ, ac bonæ artes omnes dei beneficio ornantur & prouehuntur?

Doctorum uirorum cœtus iucundißimus.

Nec existimo quenquam uestrum esse, qui cum his congreßibus intereßt, non recrectur conspectu talium uirorum, qui uerè sunt, quod græce dicitur ἱερὸς κύκλος, id est, sacer cœtus: Tantũ abest, ut iudicem à quoquam reprehendi hos congressus, quos constat non ad inanem pompam, aut spectaculi

ctaculi causa, sed grauissimis de causis, & institutos esse, & à nobis retineri: Constat enim hos ritus promotionum seu graduum, ut uocantur, nihil aliud esse, quàm renunciationem publici testimonij, de doctrina & moribus eorum, qui uocantur ad aliquod publicum munus, ut uel in Ecclesia doceant, uel in politica gubernatione respondeant de publico iure, uel alia officia administrent, quæ sunt necessaria ad tuendam communem uitam & societatem hominum. Et in his congressibus de rebus grauissimis ad admonendam iuuentutem, & excitanda studia discentium, oratio habetur.

Ecclesia non esse sine Scholis potest.

Quare ego quidem singulare Dei beneficium esse agnosco, ac Deo gratias ago, quòd nobis scholam, & hos cœtus conseruat: Nullum est enim in terris maius Dei donum, quàm propagatio doctrinæ cœlestis, quæ conseruari non potest, nisi sint aliquæ Scholæ adiunctæ Ecclesijs, ubi eruditantur hi, qui sunt aliquando accessuri ad ministeria, aut gubernationem in Ecclesia, ut præparati & exculti doctrina, magis idonei fiant ad dextrè tradendam doctrinam religionis, & ad explicandas controuersias dogmatum, & ad refutandos errores ac corruptelas puræ doctrinæ.

Ad has res certè opus est Scholis, sicut histo-

ria

riæ ſacræ teſtantur, inde uſq; ab initio ſemper fuiſſe aliquos cœtus diſcentium adiunctos, ſummis illis uiris, Patribus, Prophetis & Apoſtolis, & poſtea diu in Eccleſijs, ut Alexandrina & alijs, & in plurimis collegijs Scholæ conſtitutæ fuerunt, ut inde ſumerentur Doctores & Paſtores Eccleſiarum. Imò & Chriſtus ideò dat Eccleſiæ ſuæ, ut ait Apoſtolus, Paſtores, Prophetas, & Doctores, quia uult ab his Eccleſiam inſtitui ac doceri, uult præparari eos, qui præficiendi ſunt Eccleſijs, ne accedāt prorſus indocti aut imperiti, Qui cum nec alios audierint, & ſint ſine ullo uſu ſpirituali, tamen ſibi uidentur αὐτοδίδακτοι, & temerè ſine teſtimonijs doctrinæ irruunt in Eccleſias, & ex ſeſe gignunt ac ſpargunt opiniones & dogmata.

Hæ ſunt cauſæ, ut ego quidem iudico, ſatis graues & magnæ, quare in Eccleſijs & Scholas retineri ac propagari neceſſe eſt. Primum quia hæ etiam ad miniſterium Eccleſiæ pertinent, uidelicet ut in his inſtituantur hi, quibus gubernatio Eccleſiarum committenda eſt: Deinde, quia Scholæ teſtimonium dant his, qui præficiuntur Eccleſijs. Et ut conſtet à quibus Doctoribus acceperint doctrinam, & ut ipſi teſtentur ſe non diſcedere à perpetuo & uero conſenſu Catholicæ Eccleſiæ Cauſæ.

Chri-

Christi, nec assentiri prauis opinionibus.

Cum igitur Deus sua immensa misericordia nobis restituerit Euangelij lucem, & in hac schola dederit gubernatores præstantes, meritò prædicandum & agnoscendum est Dei beneficium, & gratiæ Deo agendæ sunt: Et accedere debent piorum uota, ut nobis hoc beneficium conseruet, His præcibus si unquam opus fuit Ecclesiæ, nunc certè opus est, ardentissimis uotis & toto pectore omnes petere, ut hoc postremo & periculosissimo tempore, inter tantas tempestates publicas, quæ minantur Ecclesiæ infinitam dissipationem & uastitatem, Deus sua bonitate aliquas Ecclesiæ reliquias conseruet, sicut Pauli nauim iactatam undis, concussam, ac penè iam fractam seruauit.

Pericula horum temporũ.

Quis pius non toto corpore cohorrescat, cùm intuetur horum temporum pericula? Videmus impendere Regnorum mutationem ac propemodum interitum uniuersæ Reipublicæ horribilẽ. Quàm latè grassatur, quantam uastationem facit Turcica immanitas, iam etiam nostris ceruicibus imminens? Ad hæc accedunt intestinorum motuum metus, ut taceam alia pericula persecutionum, & acerbitatum omnis generis, quibus duriter concutitur Ecclesia. In his malis quid usquam ostenditur humanitus auxilij? aut quæ tandem consola-

tio?

tio? nisi hæc una, tanquam extrema & sacra anchora salutis? Quod Deus tamen conseruaturus sit aliquam Ecclesiam, Sicut testantur promissiones, Ego uobiscum sum usq; ad consummationem seculi. Item, Non relinquam uos orphanos, &c.

Sed cum mihi mandato superiorum imposita sit necessitas hoc loco dicendi, nec liceat publicã authoritatem detrectare, Etsi undiq; Argumentum quæro, tamen quocunq; me uerto, non possum animum & cogitationem abducere ab Ecclesia. Fortasse alia alijs temporibus congruũt. Sed hoc tempore nescio an quisquam pius mentem ac oculos à conspectu Ecclesiæ auertere possit. Cum igitur omnino aliquid etiam nunc dicendum sit, Patiamini quæso me paulisper insistere huic ipso argumento, in quod initio orationis me cogitatio horum temporum induxit, ut aliquid dicam de hoc admirando Dei opere, quo testatur se perpetuò conseruare Ecclesiam in mundo.

Etsi uerò non ita extremè stupidus, aut perditè confidens sum, ut non sentiam me multum succumbere magnitudini susceptioneris, nec deterrear imbecillitate mea, quam certè agnosco: Ac ipse maximè optaui de hoc ipso Argumenti genere audire sonantes uoces superiorum nostrorum, qui in diuturna gubernatione Ecclesiæ

cleſiæ & ingentibus certaminibus uerſati, & intelligunt pericula eccleſiæ, et magna ui ac robore ſpiritus confirmare piorum mentes poſſunt. Sed quia mihi omnino ſubeundum fuit hoc onus autoritate publici muneris, Vos oro, ut mihi ueniam detis pauca dicturo, quantum temporis angustia patitur, non pro argumenti dignitate, ſed ad commonefaciendos & excitandos adoleſcentes, ut & ipſi de Eccleſiæ periculis cogitare diſcant, & uota ac preces cum ipſa coniungant, ut Deus eam in his poſtremis certaminibus & periculis conſeruet. Plena eſt uniuerſa ſcriptura exemplorum, quæ oſtendunt ſolius Dei potentia mirabili modo Eccleſiam gubernari et defendi: Sed infiniti operis eſſet, totam hiſtoriam Eccleſiæ, inde uſque ab initio conditi mundi uelle complecti, quæ nihil aliud quàm ſtupenda miracula continet, in quibus adparet, quantis ærumnis ſemper conflictata ſit Eccleſia. Et tamen in ijs mirandis modis diuinitus ſeruata contra hoſtem filij Dei Diabolum. Longè ſuperat omnem humanam eloquentiam hiſtoria primorum parentum & Patrum, qui ſecuti ſunt uſq; ad diluuium. Quanto in luctu & mœrore uerſati ſunt Adam & Heua, cum acceptа promiſſione de Chriſto, et concepta certa ſpe propagandæ Eccleſiæ, natis duobus filijs Cain & Abel,

Mirabili potentia Eccleſia defenditur.

Exempla primæ ætatis eccleſiæ

& Abel, subitò uident sibi amplissimas spes præcidi, necato altero filio, qui futurus erat uelut plantarium ueræ Ecclesiæ, Cum alter filius parricida præclaras illas spes, quas de ipso pij parentes conceperant, frustratus esset. Qui cum essent his mœroribus, totum primæ ætatis centenarium confecti, cum nulla iam esset Ecclesiæ facies, nec posset usquam propagari doctrina cœlestis: Quia posteritas Cain paternam impietatem sectabatur, et uideretur prorsus iam concidisse ecclesia, tamen à Deo restituitur & seruatur, dato filio Seth, per quem colligitur aliquis cœtus, in quo sonat uox cœlestis de futuro semine, & hinc propagatur Ecclesia patrum usq; ad diluuium. Vbi rursus miseranda est Ecclesiæ facies, Non solùm Cainica posteritas, sed etiam reliqua orta à Patribus, qui iam annos bis mille gubernarant Ecclesiam, deficit à uera pietate, et ita in arctum redigitur ecclesia, ut ex uniuersa reliqua multitudine totius humani generis non nisi octo animæ seruentur. Posteà horum etiam posteritas à uera religione relabitur in Idolatriam & impietatem, & inter paucos ex Patribus seruatur Ecclesia. Et ex huius reliquijs Abraham reuocatur ab errore & idolatria, ad instaurandam & propagandam doctrinam promissionum de Christo.

Seth.

Abrah.

Ex

Ex filijs Isaac ac nepotum peregrinationibus colliguntur deinde aliqui cœtus, & doctrina propagatur etiam in Aegyptum.

Verè miranda sunt exempla non huius tantum primæ ætatis Ecclesiæ patrum, sed omnium temporum, quæ sunt perpetua quædã testimonia mirabilium operum Dei, hoc est, & adflictionum ac ærumnarum, & liberationum Ecclesiæ.

Liberatio populi Israelitici stupenda.

Sed maximè omnium memorabilis est historia liberationis populi Israël & eductionis ex Aegypto, & ut adparet omnium historiarum, omnium ætatum, à principio mundi usq; ad finem, excepta ipsa Christi passione & resurrectione, longè maxima. Non solùm enim est imago Ecclesiæ omnium temporum, sed etiam præcipua pars, plena ingentium miraculorum, quæ & cæteris temporibus insignia exempla monstrat, quæ testantur, & seruari Ecclesiam ac regi à Deo sine præsidijs humanis, & exerceri uarijs calamitatibus.

Quàm horrendum est in hoc cœtu, qui gerit nomen Ecclesiæ Dei, qui habet tot & tam illustria testimonia diuinarum liberationum, tamen præcipuam partem populi, multos præstantes uiros, Principes & gubernatores horribilibus exemplis puniri, multitudinem toties plecti, donec propè

propemodum uniuersa perit eorum qui ingenti numero ex Aegypto exierant, Et tamen seruantur aliquæ populi reliquiæ, quæ manserunt incorruptæ, & retinuerunt doctrinæ puritatem, et expertæ sunt mirandas liberationes, sicut ordine Historia indicat.

Datum est Manna, datæ carnes, percussa rupes uirga Moysi effudit largos fontes, Tecta est multitudo nubæ interdiu et noctu flammis prælucentibus, In prælijs etiam exhibentur illustria testimonia præsentiæ Dei. Deniq; in deserto maior fuit gloria huius populi, quàm unquam florente regno in terra Canaan. Sed nimis longum esset huius totius historiæ seriem uelle persequi. Omissa igitur longiore recitatione, unum exemplum addam, in quo proponitur mirifica imago de gubernatione & conseruatione Ecclesiæ diuinæ.

Gloria populi in deserto maxima.

Vix est alia magis miranda reuelatio, quàm quæ Mosi facta scribitur, Exod. XXXIII. ubi uocatur Moses in colloquium cum Deo, Et eo loco dicitur, Loquebatur Deus cum Mose facie ad faciem (hoc est, coràm et clarà uoce) sicut solet loqui homo ad amicum suum. In hoc colloquio primùm petit Moses, ut Deus ipse adsit gubernator & Dux huius populi, cui dedit uerbum et promissiones. Plus satis enim iam docuerant

Reuelatio facta Moysi miranda.

ipsum Exempla, quantum esset mali, populum deerrantem à uerbo, regi humana sapientia & consilijs, cum populus daret pœnas idolatriæ, erecto aureo uitulo, cum Moses abesset. Ex his iniitijs de futuris calamitatibus angitur Moses, Videt quanta pericula futura sint Ecclesiæ Dei, quàm leui momento pura doctrina et ueri cultus deprauentur humanis opinionibus. Quare metuit, ne & in hoc cœtu extinguatur uera agnitio Dei, & collabefiat Ecclesia, præsertim cum audiret horribiles comminationes de futuris pœnis populi.

Sic cogitans de Ecclesiæ reliquijs, nec ipse inuenit aliam consolationem, qua sese sustentet, nisi promissiones datas huic populo de uenturo liberatore Christo. Sed cum suam gubernationem intuetur, Intelligit quanta sit difficultas, quanta pericula, & considerans nullam gubernationem fœlicem esse sine Deo. Nisi tu ipse nos præcedas, inquit, ne educas nos de hoc loco. Deinde cum petit, ostende mihi gloriam tuam, hic respondet Deus, Faciem meam uidere non poteris: Sed ecce locus apud me, ubi cõsistes innixus petræ, Cumq; transibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, et protegam te dextra mea, donec transiero, & auferam manum meam, uidebis & posteriora mea,

Difficultas in gubernatione,

mea, faciem autem meam uidere non poteris.

Hæc est uerè abstrusa et arcana historia, quæ etsi à me quidem non potest explicari pro dignitate, nec hoc tempus patitur: Tamen attingere uolui, ut adolescentes eam considerent, nam & doctrinam grauissimam & gratissimam consolationem nobis proponit de Ecclesia, quam testatur in hac uita tegi manu Dei, & postea glorificandam esse. Sequor enim simplicem & usitatam expositionem, uidelicet, Mosen petere, ut Deus præmonstret exitus totius gubernationis huius populi, qui tunc erat Ecclesia Dei. Locus explicatus. Exo. XXXIII.

Hîc Deus respondet: Nolle se cerni faciem suam, hoc est, consilia ante finem consummatæ Ecclesiæ: Sed ostendi nobis posteriora, id est, Ad extremum in consumatione uisuros esse gloriam. Interim latet populus in foramine seu cauerna petræ, id est, in præsenti Ecclesia, quæ præmitur sub iecta cruci. Sed innixa est Petræ Christo, & tegitur manu Dei, donec Deus transeat, hoc est, donec Ecclesiam consumet. Significat enim Deus se transire toto tempore mundi, & ita transeuntem colligere sibi aliquam Ecclesiam, in qua & ipse glorificetur, et quam uicissim glorificaturus sit in uita æterna. Et hanc gubernari non humanis consilijs, sed uerbo Euangelij diuinitus Transitio Dei.

tradito de Christo, & seruari defensam non opé, & præsidijs humanis, sed sua solius manu.

Pictura de illustri cognitione Dei.

Videtis proponi dulcissimam picturam, in qua etiam latet magis arcana doctrina de illustri cognitione Dei, qua cernitur facies Dei. Vt Philippo petenti à Christo sibi ostendi Patrem, Respondet Christus: Philippe qui uidet me, uidet & Patrem. Ita Moses petens illustriorem inspectionem Dei, deducitur ad uerbum in Ecclesia reuelatum de Christo, & docetur, quomodo uelit deus agnosci in Ecclesia, usq; ad glorificationem, seu resurrectionem mortuorum, cùm audit: Non poteris uidere faciem meam, sed stabis in foramine petræ, hoc est, insistens Christo seu Euangelio, donec transeam, & sic uidebis posteriora mea.

Ita Ecclesia nondum potest uidere Deum, seu habere gloriam, quæ promissa est: Sed adhuc stans supra Petram, id est, Christum, fide, & in hoc foramine subiecta cruci expectat gloriam, donec Deus transierit, id est, totam Ecclesiam consummauerit. Post hunc transitum, restabit alia æterna gloria, qua coràm cernemus Deum, sed nunc tantum uidemus posteriora, hoc est, in uerbo eum agnoscimus.

Posteriora sunt uerbum Dei.

Verùm hanc obstrusiorem interpretationem omitto:

omitto: Nam Historiam tantum considerandam proponere uolui adolescentibus, ut sciant pertinere hanc sententiam ad totam Ecclesiam omnibus temporibus. Et ut pij hinc petant consolationem, qua sese sustentent atq; confirment. Sciant seruari Ecclesiam, Deo mirabiliter protegente sua manu, in his mundi tempestatibus, Deo transeunte usq; ad eum diem, quo glorificanda est.

Ecclesia uagatur in deserto, duce Christo.

Vere & nunc uelut in deserto uagatur Ecclesia, exul & errans sine certa sede, sine humana defensione. Interim, ut in illo populo, magna multitudo deficit, & ruit in æternam iram, & æternas pœnas. Videmus Reges & Principes, & maximam multitudinem hominum contemnere doctrinam Euangelij, & accersere sibi horribiles pœnas & exitium: Et exiguum cœtum esse profitentium eam doctrinam, orbatum præsidijs, & conflictantem uarijs ærumnis. Sed intueamur illas imagines propositas in historia populo Dei: Sciamus nunc quoq; duci Ecclesiam per desertum, & tegi nube & flammis cœlestibus, & adesse ducem Christum, ut illis adfuit.

Ecclesia seruabitur.

Quare confirmemus animos, & certò teneamus hanc sententiam, quòd Deus sit seruaturus Ecclesiam, quæ retinet doctrinam traditam à Christo, Prophetis & Apostolis: Sicut testatur

dulciſsima promiſsio apud Eſaiam, cùm inquit Deus: Hoc fœdus meum cum eis, Spiritus meus qui eſt in te, & uerba mea, quæ poſui in ore tuo, non recedent de ore tuo, nec de ore ſeminis tui, Dicit Dominus, à modo & uſq; in ſempiternum. Sciamus igitur & noſtris Eccleſijs adfuturum Chriſtum, ſedentem ad dextram Patris, et regnantem etiam inter medios hoſtes, & ſeruaturum aliquas reliquias piarum Scholarum, etiamſi mundum oppriment pœnæ & calamitates.

Modo nos cogitemus de noſtro officio, ſimus grati pro data luce Euangelij, retineamus confeſsionem puræ doctrinæ, noſtris ſtudijs, uita & moribus ornemus Eccleſiam, adiuuemus ſtudia et Scholas. Interim etiamſi conflictandum eſt uarijs ærumnis, inuocemus hunc noſtrum magnum Ducem & liberatorem filium Dei, & una uoce precemur, ut Deus Pater æternus miſereatur Eccleſiæ ſuæ, & eam ſeruet propter illum ipſum Mediatorem & Pontificem noſtrum Chriſtum, & tandem conterat Satanam aduerſarium ſub pedibus noſtris.

Dixi.

Oratio

ORATIO DE PAVLO APOstolo habita à Christophero Iona, Anno M. D. XLIII.

PROponit hoc die Ecclesia meditandam Pauli historiam, ac Dei beneficium celebrat, qui & exemplum misericordiæ cæteris insigne ostendit, hoste in gratiam recepto, & nobis Doctorem dedit, qui & uiuus annos ferè sex & triginta Euangelium passim in bona Asiæ atq; Europæ parte circumtulit. Et postquam ex hac militia euocatus est, relictis utilissimis monumentis erudit Ecclesiam perpetuò.

Insignæ misericordiæ diuinæ exemplum.

Nihil autem magis decet præsertim in his cõgressibus nostris, quàm & uocem nostram, et animos, & uota, cum Ecclesia Dei congruere. Quod cum cogitarem, nulla de re alia potius, quàm de Paulo dicendũ esse iudicaui, præsertim cùm eius historia nos de his ipsis studijs, in quibus uersamur, & de uniuerso nostro curriculo, plurima monet. Quem enim habemus alium Scriptorem, qui genera doctrinarum, Philosophiæ, & Euangelij, artificiosius discernit, qui usum utriusq;

Discrimen Philosophiæ & Euangelii Pauli num.

tam perſpicuè monſtrat, qui nobis Rempub. noſtram, id eſt Eccleſiam, clarius deſcribit, qui ſæpius monet quarum rerum doctrina Eccleſiæ neceſſaria ſit? Ac ſcio uos omnes Pauli nomen ita amare, ut conſilium meum maximè probaturi ſitis. Sed dicam ingenuè, quanquan nulla in re ſuauius acquieſco, quàm in cogitatione doctrinæ & actionum Pauli & ſimilium uirorum: tamen amplitudo rerum me mouebat, ut aliud Argumentum potius quærerem: Vt enim Paulinæ diſputationes atq; actiones, uniuerſam Eccleſiam complexæ ſunt, ita de eis perſpicuè dici non poteſt, niſi religionis exordia, incrementa, & pleraq; certamina repetantur.

De his tantis rebus, quoties Paulus ipſe concionatur, ſuperari ſe magnitudine earum fatetur, easq; nulla eloquentia ſatis explicari poſſe teſtatur. Cùm autem ſic iudicarit uir tantus, qui erat uerius, quàm Pericles orator tonans, fulgurans, & in mentibus auditorum aculeos relinquens, ardebat enim diuino motu atq; adflatu: Quid nos in hac imbecillitate noſtra, dignum hac maieſtate rerum dicere poſſumus? Ac ille quidem ſeſe uocat ἔκτρωμα, hoc eſt, fœtum immaturum atq; imbecillem, non parem cæteris Apoſtolis. Sed tamen illuſtribus teſtimonijs uocatus ad docendi

Pericles.

cendi munus, diuinitus ad eam militiam instructus erat. Nos multo iustius agnoscamus nos ἐκτρώματα esse, hoc est, rudes & informes massas, ab ortu editas, immaturas, pollutas.

Ego igitur de mea imbecillitate cogitans, aliud argumentum instituerã. Sed me amici ad Paulum, hac oratione reuocabant. Quod etsi hæc infirma mortalitas nec Dei naturam, nec eius beneficia penitus introspicere possit, cogitari tamen, agnosci, & aspici ea Deus aliquo modo uelit. Ne solis quidem fulgorem sustinent oculi, neq; tamen propterea lucem fugimus. Quid? quod ipse Deus pariter se senum, & puerorum uoce celebrari iussit. Deniq; disputabant, & exemplum utile esse cæteris, & bonis nullam orationem gratiorem fore, hoc præsertim die, quàm qualemcunq; Paulinæ Historiæ commemorationem.

Horum obsecutus seu iudicio, seu studio, redij ad Paulum, uosq; oro, ut etiamsi amplitudini argumenti non respondebit oratio mea, tamen pro uestra pietate, & candore uestro, hanc qualemcũque operam boni consulatis. Illud etiã in hac tam ampla causa nobis incommodum est, quòd tempus ad dicendum multo breuius nobis conceditur, quàm quãtum huius argumenti ubertas postulat. Quare breuiter summa sequar fastigia rerum,

ut Poëtæ uerbis utar.

Ac si Panegyricos ueteres imitari instituissem, primum de Pauli genere, patria, incunabulis, dicerem: Sed aliunde ordiri decreui. Primum de causis monenda est adolescentia, cur prosit has historias cognoscere. Sunt enim tres præcipuæ causæ, quarum prima est: Vt quid sit Ecclesia cogitemus, & diuinitus missos esse duces ac gubernatores agnoscamus, ac toto pectore Deo gratias agamus, pro donatis æternis bonis, & ministerijs, per quos ea hominibus impertit.

Causæ harum cognoscendarum historiarũ

Altera causa est, ut rerum quas gesserunt, & uirtutum consideratio nos erudiat, ut melius intelligamus, quid profiteantur. Deinde etiam exempla unumquemq; suo loco, & pro sua mediocritate ad uirtutis imitationem excitent.

Postremo, ut ueris et ardentibus uotis à deo petamus, ut ecclesiam seruet, ac nos quoq; faciat organa utilia, adiuuet ac prouehat nostros labores, ut in commune prosint ecclesiæ, sint salutares bonis, nec abijciat nos tanquã pestes generis humani, seu ut Paulus uocat, uasa iræ, quorum infœlix curriculum multipliciter nocet communi uitæ, ut uixit Saul ad extremum, & alij innumerabiles.

Quos alij fines in panegyricis proponat, hic recitare longum esset. Sed ad hos quos dixi præcipuè

cipuè referantur hæc Encomia, nostrorum Heroum: per quos Deus mirando consilio, & immensa bonitate nos ad cœlestis uitæ societatem uocauit. Ac in horum finium expositione, tota hæc oratio nostra uersabitur.

Primũ igitur Deo æterno patri liberatoris nostri Iesu Christi conditori omnium rerũ, gratias ago, uosq; mecum toto pectore agere iubeo, quod Ecclesiam sibi perpetuã condidit, ac Doctores ad eam instaurandã subinde excitat. Quorũ uos ipsi præcipuos animis enumerate, inde usq; à Noha. Quid enim iucundius esse bonæ mẽti potest, quàm de uirtute ac de certaminibus taliũ uirorum, imò de Dei bonitate cogitare, qui hoc ipso beneficio, quod penè cõtinuis ætatibus instauratores excitauit, testatus est, ecclesiã sibi magnæ curæ esse. Sed uenio ad secundũ membrum institutæ partitionis. I. Ecclesia.

Cum alia multa, tum uerò etiam constitutio et series imperiorum, testatur hunc mundum Dei cõsilio ac prouidentia regi, Et, res loquitur in heroicis Ducibus, ut in Cyro, Alexandro, Scipione, Augusto, impetus supra communem hominum naturam flagrare, & accedere fœlicitatem singularem. Hanc Virtutis & Fortunæ excellentiam, sani omnes mirantur, & suspiciunt illos summos uiros, qui aliâs alibi uel constituerunt II. Imperia. Heroici impetus.

runt uel defenderunt, uel instaurarunt imperia.

Etsi autem his antecellunt nostri duces, qui ecclesiam gubernarunt: tamen eorum uirtus non perinde conspicitur ab ignaris rerum diuinarum. Magnifacis sapientiam Solonis, Augusti, & similum, quorum leges, magna imperia, multas gentes complexæ sunt. Prædicas Scipionem, cuius fortitudine & fœlicitate, Roma difficillimis tempestatibus defensa est. Sunt hæc magna, Sed maius est munus Abrahæ, Eliæ, Esaiæ, Baptistæ, Pauli, & similium, uidelicet, de filio Dei & eius beneficijs concionari, & certis testimonijs patefacere arcanam uoluntatem Dei, de rebus æternis. Ad hoc munus præcipuum, delegit Deus suos Prophetas, & Apostolos, In hanc stationem uocauit & Paulum. Id eius proprium munus intelligere, & ab imperijs discernere discamus.

Prophetæ & Apostoli.

Multi ignari Ecclesiæ, longe anteferunt his miseris erronibus Apostolis, Cyrum, Alexandrum, Augustum, & similes. Multi putant artem uulgarem Apostolos circumtulisse, præcepta de moribus, & comparant eos cum Phocylide, Theognide, Hesiodo, aut certè cum Philosophis, ut Epicteto, & alijs. Hæc inerudita somnia abijciëda sunt, & discernendus est Euangelij Doctor, à Ducibus, & legumlatoribus, & Philosophis.

Excellentius hoc genus doctrinæ quàm omnium Philosophorum.

Aliud

Aliud genus doctrinæ commendatum est Prophetis et Apostolis. Et quanquam eadem uox, eademq; sententia est Prophetarum & Apostolorum omnium, de Christo et eius beneficijs, tamen explicatio Paulina illustrior est. Vt igitur in alijs negocijs, aliorum uirtus magis enituit: Elias deleuit idolum Baal in Israël. Esaias depulit Assyrios ab urbe Hierosolyma. Ieremias prorsus nouo modo, contra uetera exempla gentem seruauit, suadens deditionem & triste ac ærumnosam exilium, Ita & Pauli proprium quoddam est decus. Doctrina Pauli.

Non modò latius sparsit Euangelium quàm ceteri, sed etiam futuræ ecclesiæ ad finem usq; monumenta talia condidit, quæ illustrius discernunt Euangelium à Lege & politica sapientia, quàm literæ reliquorum Prophetarum & Apostolorum. Id beneficium si qui leue esse ducunt, hi uel insciciam suam uel impietatem confitentur. Nam multum omnino refert ueras metas et uera discrimina harum doctrinarum intelligere, legis diuinæ, Philosophiæ, & Euangelij. Hæc Paulus, tanquam in iudicio finium regendorum, conspicuis limitibus distinxit, & cuiusq; generis usum monstrauit.

Hoc discrimen confundere, tristius est quàm solem

lem è mundo tollere. Sequũtur enim horrendæ tenebræ, obliuio Christi, interitus ecclesiæ. Quid enim interest inter Ethnicos et Ecclesiam, amissa hac luce, qua statuit Ecclesia, se certò placere Deo, se respici, exaudiri, seruari, propter filium mediatorem. Retinuerant Græci & aliæ multæ gentes, doctrinam de honestis moribus, de disciplina. Quàm multi sapientia et uirtute præstantes, apud Ethnicos, norant esse Deum, unam quandam æternam mentem conditricem rerum. Vt Plato et eruditè et rectè describit Deũ, inquiens, æternam mentẽ esse, causam boni in natura. Quid Esaias aut Paulus dicere aptius poterant? Quid igitur interfuit inter nostros & Ethnicos? inter Platonem et Paulum? Euangeliũ facit discrimẽ. Etsi norat Plato esse Deum, esse mentem æternã, causam boni in natura, tamen dubitabat se respici, agnoscebat se uitia quædam habere, digna pœna. Fugiebat igitur Deum, non uerè inuocabat, et dubitatio magnam ruinam trahit, ut nominat Paulus, peccata quæ per legem existunt.

Ethnicorum.

Plato.

Paulus. E contra Paulus agnoscit quidem se habere uitia digna pœna, sed uidet missum esse filium Dei, ut sit uictima pro genere humano. Scit certò Deum præcipere, ut propter hunc statuamus nos recipi in gratiam, exaudiri, & seruari. Scit

nusquam

nusquam esse Dei Ecclesiam, nisi ubi hæc de filio doctrina lucet. Scit iam se non esse sine Deo, sed inuocat hac fide Deum, & ab eo gubernationem, defensionem et salutem expetit, et expectat: Hæc cum ex promissione data primis parentibus intelligerent pij, gentes oblitæ promissionis, hanc lucem amiserunt, quam quidem rursus accendit Deus, cum per Apostolos spargi Euangelium inter gentes uoluit.

Et ut Paulus clarius testari posset, recipi nos propter filium Dei in gratiã, non propter nostras uirtutes, tũc uocatus est cum acerrimus hostis esset Christi, ac iudicaret Euangelium nõ modò facem esse seditionum et distractionũ Ecclesiæ Dei, sed etiam contumeliosum esse aduersus Deum, ardereq; odio Euangelij non mediocri, etiam aspersus Sanctorum sanguine, & cruoris sitiens, tristiorem carnificinam moliretur. Hæc omni contentione animi agentem Christus uocat. Ac testatur Paulus ipse, commonefieri uniuersam ecclesiam exempla suæ uocationis, ut sciamus, certò nõ propter legem, sed propter filium Dei gratis nobis Deum ignoscere.

Nullo merito suo Paulus uocatus est.

In hunc igitur locum incumbit, Docet quomodo Deus inuocandus sit, fiducia mediatoris, docet inchoandam esse obedientiam, & quomodo placeat,

ceat, monstrat certam & firmam consolationem piis, quæ est inchoatio uitæ æternæ. Traduntur eadem in Prophetis & cæterorum Apostolorum scriptis. Vna est enim perpetua ueræ Ecclesiæ uox, de beneficijs filij Dei. Sed multum lucis addit Pauli disputatio, qui uerè interpres est Prophetarum.

Vna Ecclesiæ uox perpetua.

Cæcitas humanæ mentis.

Sed ô deplorandam caliginem humanarum mentiũ. Etsi hæ tantæ res satis perspicuè in Paulo expositæ sunt, tamen & sunt & fuerunt homines alioqui non indocti, qui cum uiderent non quadrare τὸ ῥήτορ in Paulo ad rationis humanæ iudicium, de iustitia et de lege, discesserunt à Pauli uerbis, & conflictis quibusdam corruptelis, transformarunt Paulum in humanas & Philosophicas opiniones.

Atqui oportuit nos auditores ac discipulos esse, non Criticos seu censores sapiẽtiæ cœlestis, quæ si nihil à Philosophia differret, quid opus esset uoce Euangelij, quòd filius Dei ex sinu æterni Patris protulit? Si existimamus Apostolos quod senserunt et uoluisse et potuisse eloqui, profectò conuenit ex ipsorũ oratione dextrè collatis membris sumere sententiam, & ut dicit Basilius, ποτὶ ἁρμόζειν τὸν λίθον ἐφαρμόζειν, accommodare Lapidem ad Regulam, non Regulam ad

Regula Basilii.

ad humanas opiniones inflectere.

Agamus autem Deo gratias, quod in Ecclesijs nostris rursus simplex & germana sententia lucet, ad quam retinendam, duabus rebus, adolescentes, opus est, uera animi pietate, et acerrimo studio omnium bonarum disciplinarum. Quod Paulus præcipit Timotheo, ut depositum, uidelicet, Euangelium ipsius fidei commendatum, custodiat & tueatur: Idem uobis seuerissimè præcipi statuite, quos ad societatem eiusdem muneris uocauit, quod Christus, Prophetæ, & Apostoli administrarunt.

Ac sæpe mihi cogitanti de hac Academia, quam meritò amamus, tanquam fidam nutricem, alentem nos et cœlesti doctrina, & omnibus alijs honestis artibus, in mentem uenit eius nauis, in qua Paulus uehitur ex Iudæa ad Meliten usque, quæ etsi inter scopulos ita iactata, ac sæuitia tempestatum ac fluctibus concussa erat, ut laceratis ac satiscentibus tabulis uideretur iam mersura nauigantes, integra tamen in portum peruenit, quia Paulum uehebat. Ita & Academiam spero mansuram esse, donec Paulum uehet, hoc est, rectè & fideliter enarrabit. Huius enim doctrinæ lumen est, ut supra dixi, Propheticarum & Apostolicarum concionum.

Vuiteberga uehit Paulum per mare.

Moueor equidem temporum periculis, & impendere mutationes Regnorum, quæ sunt fatales pœnæ scelerum humanorum, nihil dubium est. Sed tamen seruabit Deus Ecclesiam suam, & defendet aliqua piorum studiorum domicilia. Quare tantisper dum hæc Schola Doctorem Paulum audiet, & hæc studia mediocri diligentia regendorum morum ornabit, hanc sedem & hos cœtus Deus, ut spero, proteget. Sed redeo ad Encomium.

Capita Pauli-næ doctrinæ.

Prodest inprimis Ecclesiæ, collatio ut dixi Legis & Euangelij, quæ in Pauli scriptis copiosius & illustrius, quàm alibi explicata est. Possum & alias quasdam materias addere, quæ ab ipso planius tractantur. Discrimen iustitiæ spiritus ac politicæ, et discrimen ecclesiæ et imperiorum. Damnat item perspicuè ἐθελοθρησκείας, ut sciamus quibus officijs iudicet se Deus honorari. Munit et pacē ciuilem, ornat ampliſsima laude totum politicum ordinem, magistratus, leges honestas, iudicia, contractus, militiam, coniugū, œconomiam.

De his rebus sententias huius Doctoris longè antefero Platonis, & Aristotelis politicis, etsi hæc quoque sapienter scripta sunt. Sed addit Paulus salutarem doctrinam, testatur hæc uitæ

uitæ officia à Deo ordinata esse, ideoq; sic inter se deuinctos esse homines procreatione, educatione, gubernatione, contractibus, ut in his bonis rebus ostendamus alijs, nostram de Deo sententiam, exerceamus inuocationem, & mutuam beneuolentiam. Docet item hos labores deo uerè placere, & grata muncra & sacrificia esse.

Hæ Pauli sententiæ, haud dubiè multos graues uiros, qui sentiunt quantum onus sit gubernatio, retinent in sua statione. Certè in meo animo, amorem & reuerentiam legum & ciuilium officiorum ualdè augent. Ac scitis his proximis annis, præcipuè Pauli testimonijs in hoc genere, refutatos esse fanaticos homines multos, qui plerag; officia politici ordinis furenter damnabant, ut olim similes Marcionis & Manicheorum furores ijsdem de rebus, præcipuè suffragijs Pauli oppressi sunt. Pauli testimoniis multos esse refutatos.

Huc accedit, quod in præceptis politicis, quadam non uulgari prudentia monet gubernatorem non hebetem aut rudem, de rebus non leuibus, sed de neruis boni status, & de fontibus maximarum mutationum.

Visitatum est peccare gubernatores ignauia, &

multi sapientes & acres peccant πολυπραγμοσύνῃ. Sæpe igitur monet hunc morbum cauendum esse: Et quia ex ambitione oritur, eruditissime opponit contrariam ambitionem, iubet nos hanc gloriam expetere, uidelicet, studium manendi intra septa & metas nostri muneris, seu ut dicitur, ut suam quisq; spartam ornet.

Sed popularia ingenia magis glorioſam esse ducunt πολυπραγμοσύνην, passim se ingerentem, multos lacessentem, tranquilla consilia turbantem, denicq; negotia undicq; attrahentem, ut Cæcias nubes ad sese attrahere dicitur.

Cleon πολυπράγμων.

Tales fuisse multos in historijs legimus, ut Cleonem, quem dicebant alterum pedem in castris, alterum in curia habere. Quàm multi nunc sunt, qui alterum pedem in curia, alterum in ara collocant, hoc est, qui suis tantum consilijs Resp. regi, & prorsus ad sua iudicia doctrinam attemperari in templis uolunt. Sæpe hoc malum Ecclesiæ nocuit. Sed omitto exempla præceptorum. Nam lector non rudis uitæ communis, si expendet Paulinas admonitiones, animaduertet eum multa significare, quæ sapienti, & sagaci gubernatori prouidenda sunt.

Paulus fuit literatus.

Iam & hoc obscruet iuuentus, Paulum literis & doctrina excultum fuisse, quòd lumina uerborum,

borum, & ordo rerum in disputatione ostendunt. Vtitur enim multis insignibus uerbis, quorum pondera sine liberali eruditione non intelliguntur. Nihil potuit dicere tristius, nihil atrocius ad significandam acerbitatem odij, quo ardent hypocritæ aduersus Euangelium, quàm cum ait, Apostolos dici καθάρματα & περιψήματα. Hæc uerba sine cognitione ueterum historiarum intelligi non possunt.

Sæpe utitur uerbo συμβιβάζειν, cùm de mutua dilectione concionatur. Sed historiæ uim uerbi declarant. Videt Paulus multos de industria hoc agere, ut distrahant uoluntates hominum. Monet igitur ut consilia in actionibus dirigamus ad consociandas uoluntates, & fouendam mutuam beneuolentiam, quod fieri non potest, nisi quadam moderatione, & Philosophia regamus impetus animorum. Ita uocant συμβιβάσικα consilia historiæ, quæ ad hunc finem, quem dixi, directa sunt: Hanc diligentiam, ut nobis commendet, insigni uerbo historicorum usus est.

Iubet Doctores rectè secare doctrinam: Bella metaphora est à sacrificijs sumpta, in quibus ars erat partiri membra, quorum alia cremabantur, alia erant attributa sacerdotibus. Et hæc imago multa significat.

Possem plurima exempla recitare, si tempus pateretur, quæ ostendunt, Paulo nec eruditionem, nec diligentiam defuisse. Et ad intelligenda eius uerba eruditione opus esse. Quod eo dico, ut & ipsum legant scholastici attentius, & ut rectius adsequantur, adiungant liberalium artium doctrinam.

Dixi de genere doctrinæ, quod Paulus maximè illustrauit, ac de alijs quibusdam doctrinæ locis. Nam in Apostolo præcipuè considerandum est genus doctrinæ. Adderam etiam quædam de eius uirtutibus: Sed harum quantum decus sit, non ita multò pòst uidebimus, cùm eius consuetudine fruemur, cùm res eius gestas à Christo prædicari audiemus, & multa eius auditores scisciari poterimus. Nulla enim oratio par magnitudini harum uirtutum excogitari potest.

Paulus noster exemplum,

Sed tamen exempla non negligenda sunt. Etsi gradus uirtutum non imitamur, tamen initia communia esse omnium debent. Confirmetur fides nostra, cùm dit, se grassantem hostiliter, ideo uocatum esse, ut discamus Deum uerè propter Christum nobis ignoscere, modo ut confugiamus ad ipsum. Expectemus auxilium & defensionem, cũ in eodẽ munere uersemur, in quo ipse uersabatur.

Postremò pro nostra mediocritate caueamus,

ne

ne malis moribus excutiamus cœlestia bona, néue dolore afficiamus Spiritum sanctum. Vt pictor, ut Architectus habent ideam, & exempla operum suorum, in quæ semper intuentur: Ita hæc uiuendi ars postulat, ut aliquos laudatos uiros mente intueamur, quos aliquo modo sequi, & imitari studeamus. Vt Cicero Lælium sibi proponebat, alij alios, ita nos in Ecclesia Paulum, Ieremiam & similes intueamur. Horum exemplis fidem confirmemus, excitemus inuocationem, imitemur eorum tolerantiam, lenitatem, & diligentiam in omni officio.

Hactenus de Paulo, quantum & ingenij mei tenuitas & temporis angustia concessit, dixi. Reliqua est pars institutæ orationis tertia.

III. Pro Ecclesiæ conseruatione orandum.

Piæ mentis est sæpe multumq; cogitare, quomodo Ecclesia condita sit, quem habeat Ducem, quos hostes: Vnde sit hæc infirmitas generis humani, unde horribilis confusio uitæ, tot gentium atq; impiorum euersiones, & qui portus Ecclesiæ sit inter tanta pericula. Cumq; humana diligentia seruari Ecclesia non possit, oremus Deum ueris animorum motibus, ut sua immensa bonitate propter filium seruet Ecclesiæ reliquias, & det eis tranquilla hospitia, in aliquibus

imperijs, defendat & iuuet studia, quibus ipse ubique celebratur, nec sinat extingui noticiam Euangelij sui inter homines, nec sinat totum genus humanum ruere in æternum exitium.

Quis est tam ferreo pectore, aut tanta naturæ immanitate, ut cogitans, quanta hominum multitudo manifesto furore contemnat Deum, & sibi æternum exitium accersat, non deploret humanam miseriam? Ergo ne tota natura hominum prorsus pereat, excerpi reliquias, ac seruari oremus.

Exempla omnium ætatũ considerãda.

Deinde de sese quisq; cogitet, exempla uideat omnium ætatum & consideret, quorum cursus salutaris generi humano fuerit, & horum sequatur uestigia. E contra uerò caueat, ne abijciatur inter pestes generis humani, quales multi fuerunt, ut Cain, Pharao, Iudas, Marcion, Manichæus, & alij.

Quod in scena dictum est: Vitam regit fortuna, non sapientia, explodatur ex Ecclesia. Regi uitam sapientia non humana, sed diuina sciamus, quæ duas res complectitur. Iubet te Dei mandatis parere, & ab ipso gubernationem petere. Vt Psalmus inquit: Subditus esto Deo, & spera ab ipso auxilium. Hanc sapientiam, si ducem sequemur, erunt fœlicia πολιτεύματα.

Quàm

Quàm lõgus est catalogus eorum, qui freti sua sapientia, neglecto Deo, et se et Respublicas euerterunt. Non dicam de ueteribus, de Pharaone, de Achab, de Sedechia, de Alcibiade, & similibus. Nostra tẽpora uidete, meminisstis exordia tumultus Monasterienſis, cum homines fanatici audacter falsas opiniones sererent, et paulatim furor creſceret, ut amentia contemptum Dei sequi solet, exitus quàm tragici & horrendi fuerunt? Humana sapientia euertit omnia.

Nec tantum hoc deplorandum est, quod tot homines miseri uel fame, uel ferro, uel alijs cladibus perierunt. Sed multò triſtius est, quod Deus contumelia adfectus est, quòd multos error in æternum eritium præcipitauit, quod Diabolus triumphum egit, tot miseris à Deo auulsis. Hæc ſpectacula intueamur animis, ut quæramus ſapientiam, quæ mentes ita regat, ne in tales caſus cæci præcipitemur.

Econtra conferte Ieremiæ politiam, quæ in ſpeciem misera est, cùm sit ſalutaris populo, & uerè gloriosa, annos amplius quadraginta cõcionatur de excidio ciuitatis, de diſsipatione gẽtis et reditu reliquiarum, toties abijcitur in carcerem, ſæpe rapitur ad ſupplicia, tandẽ interficitur, uel à ſuis, uel à ſuperbiſsimo rege Aphricæ, cui etiam uaticinatus erat exitium. At hic quanquã exercetur Politia Ieremiæ.

magnis calamitatibus, tamen seruator est suæ Reip. Nam huius consilio flos Ecclesiæ Ieconias, & aliquot millia ciuium deditionem fecerunt. Hæ reliquiæ fuerunt seminaria, quæ instaurarunt postea Remp. Nunc cogites animo quorum similium do magis optanda sit, Samuelis ne, Esaiæ, Ieremiæ, Pauli, an uerò Alcibiadis, Caiphæ, Iudæ, Marcionis, Rullij Monasterienſis.

Hæc si sæpe considerarent iuuenes, profectò essent modestiores, & cum doctrinâ salutarem auidius expeterent, tum uerò etiã à Deo gubernationem postularent. Vt oras seruari Ecclesiæ reliquias, ita petito, ut te deligat inter organa utilia generi humano, nec te abijciat inter ἀλάσοφας, et ut Paulus uocat inter uasa iræ. Non enim uult deesse ecclesiæ suæ Deus. Sed petentibus toties clarissimè adfirmat se opitulaturum esse, & iureiurando confirmat suas promissiones. Cur ad eum non accurrimus, qui etiam iureiurando nos inuitat? Sit mediocris diligentia in regendis moribus, & in studijs, & accendatur animus ad inuocationẽ. Hæc profectò non erunt inania. Sic enim Paulus adfirmat, Deus est, qui & ut uelitis efficit, & dat successus.

Quomodo pro reliquiis ecclesiæ orandum.

Sciant pij se à deo excitatos esse, ut salutaria discant, ut ad Ecclesiæ gubernationẽ præparentur.

Hi co-

Hi conatus nõ erunt irriti, modò ut cursum tuum urgeas, nec abijcias inchoata studia. Alij uoluptatibus languescunt, alij desperatione præmiorum, alij alijs periculis deterrentur, ut est magna humanæ naturæ infirmitas, ne doctrina se instruãt, qua opus est Reipub. neúe partem publici laboris expetant. Multos etiam temporum miseriæ iam frangunt, cum Turcica castra sunt in conspectu. Quis erit, inquiunt, literarũ aut doctrinæ usus, si hæc omnia uastabuntur armis Turcicis? Cohorresco audiens, aut cogitans hæc δύσφημα. Sed optimi adolescentes, ingentibus animis repugnemus, cùm cæteris difficultatibus, tum etiam his terroribus. Eò magis colantur studia, quò maius impendet periculum, ut qui erunt superstites, possessionem artium, quæ uitæ utiles sunt, retineant. Etiamsi fatales pœnæ oppriment mundum propter Epicureos furores, idola, libidines, & alia flagitia, tamen certò scimus mansuram esse Ecclesiam Dei, & quidem in hac ultima mundi senecta futuram augustam, & seruitute oppressam, sed mansuram tamen.

Quid plerosq; que à studijs deterreat.

Neruos igitur atq; ornamẽta noster ordo retineat, qua in re hac etiam cõsolatione uos erigite, quod etsi latè grassatur rabies Turcica, tamen quintã Monarchiam nõ constituet. Non omnes in

Europa

Europa gentes hæc barbaries opprimet, sed nihil de imperijs dicam, Deo potius Germaniam nostram commendo, cui in hac calamitate iam proh dolor nimis uerè congruit Almaniæ nomẽ. Nam Almana Ebræis uidua est.

Ecclesia perpetuo mansura est.

Verùm reuoco me, de Ecclesia cogitemus, hanc etiam si qua erit imperitorum perturbatio, mansuram esse sciamus. Huic seruiat nostra militia, propter hanc retineamus doctrinæ possessionem, ut fecerunt in exilio Chaldaico Daniel, Haggæus, Zacharias, et multi similes uiri docti. Etsi certa sedes Ecclesiæ non est in imperijs, tamen hoc promittere pijs Principibus possum, tantisper dum in hac cymba, id est, in Ecclesia erunt, imperia eorum mansura esse. Sed qui hanc cymbam exeutient, qui uastitatem in Ecclesijs sua negligentia facient, ut faciunt plerique, qui studia literaruis extingui sinent, hi audiant has minas, Ecce oculi Dei super regnum peccans, et delebit illud. Addit autem Propheta eandem consolationem, quam toties iam recensui, sed Iacob inquit, non delebo, etsi ut triticum in cribro concutiam, ac purgabo. O miras descriptiones & imagines Ecclesiæ, præsertim nostri temporis, quæ haud dubiè propositæ sunt, ad præmonendos & confirmandos pios, in his ipsis periculis, quæ iam ob oculos

culos uersantur. Non est ignauum agmen Ecclesia, sed intelligit sibi in hac uita ærumnas omnis generis propositas esse, et tamen interim doctrinæ possessionem tuendam esse, nec abijciendam, propter regnorum excidia.

Quare animos uestros confirmate diuinis præmonitionibus, incumbite in studia salutaria uitæ, et militiam hanc non solùm gratam esse Deo statuite, sed etiam ab eo adiuuari. Hac spe si petetis auxilium, certum est, non fore irritos labores uestros, sed salutares uobis & alijs, quo quid potest homini melius aut glorioſius contingere. Hæc cò cogitanda sunt, quia certè hominis est, ad quas metas uita dirigenda sit, et quomodo in tantis fructibus regenda, mediocri quadam diligentia prospicere.

DIXI.

Responsio

RESPONSIO PHILIPPI MElanthonis, ad scriptum quorundam delectorum à Clero Secundario Coloniæ Agrippinæ.

Liber Coloniensis aduersus Bucerum.

NOn dubito & inter ciues Coloniæ Agrippinæ, et in Academia, imò et in Clero, ut uocant, multos prudentes et graues uiros esse, qui uel scurrilitatem sermonis in libro nuper istic aduersus Bucerum edito, detestentur, uel etiam res desiderent meliores. Ac profectò decuit eos, qui ad tantam causam agendam à duobus præcipuis ordinibus delecti fuerunt, non tam suæ petulantiæ morem gerere, quàm seruire & causæ grauitati & ordinum dignitati, præsertim cum et sciant principem honestißima cura adfici, rectè constituendarum Ecclesiarum, & Bucerum meminerint offerre se ad explorationem, καὶ δοκιμασίαν iuxta Ecclesiasticam cõsuetudinem. Quid opus erat petulantia, cum moderatione certare, & insuper addere spurciciem sermonis, excerptis ex Plautico mœdijs obscœnis uerbis? Quorsum attinebat tantum conuiciorum, quantum non una nauis uehat, ut ille fortis uir apud Homerum inquit: dicere aduersus Doctrinam ueram, aduersus tot

Eccle-

Ecclesias Dei, quæ certè Deum fiducia filij Dei in uocant, aduersus respub. quæ præbent hospitium Ecclesijs. Hæc πάξεργα displicere multis grauibus uiris non dubium est. Quare cum decreuissem pauca commonefaciendi lectoris causa respondere, initiò præfandum esse duxi, me tantum litigare cum autoribus illius insulsi & maledici scripti, nec uelle quidquam detractum de urbis celeberrimæ splendore, de dignitate Academiæ & uirorum bonorum in clero. Nam ut de urbe & de collegijs Ecclesiarum nihil dicam, certè Academias omnes propter doctrinarum uarietatem uneror, & Colonienſem peculiariter colui, quod ingenij mei culturam, quantulacunque est, ipsi aliqua ex parte debeo. Audiui enim adolescens duos uiros preclarè eruditos, Georgium Simler & Cunradum Heluetium, alumnos Academiæ Colonienſis, quorum alter Latinos & Græcos Poëtas mihi primùm interpretatus est, deduxit etiam ad Philosophiam puriorem, sæpè conferens Aristotelicam Lectionem, quæ tunc erat in manibus ad Græcos fontes: Alter Cunradus Doctißimi & Honestißimi uiri Doctoris Cæsarij auditor, primùm nobis Heydelbergæ Elementa doctrinæ de motibus Cœlestibus tradidit: Quam ob causam & Doctori Cæ-

Præceptores Melanthonis.

sario

sario peculiarem gratiam & uenerationem tan-
quã præceptori, debere me profiteor. Postea cum
multis eius Academiæ alumnis fœdera amicitiæ
sancta et perpetua fuerunt cum Buschio, cum Pe-
Amici. tro Mosellano, cum Mezlero. Sed longum esset
omnes enumerare. Magnopere igitur bonos o-
mnes in Academia oro, primùm ne me existiment
cũ Academia rixari: deinde, ut ueniam mihi dent,
quod non, ut multorum iniurias, ita et hæc con-
uitia paucorum dissimulo. Dicam uerè quod res
est: Facile erat contemnere cætera, memini illud
Atticus ciuis patiens. Attici ciuis, qui cum ei in foro & populi concio
ne quispiam diu conuicia multa dixisset, & disce
dentem omnibus probris onerasset, prorsus ni-
hil respondit, sed tandem abiens, quia iam tene-
bræ noctis intendebantur, iussit ministrum suum
ad illum transire, eiq; cum face præire domum
redituro. Sed autor libri, quisquis est, in perora-
I. Criminatio autoris. tione ait nostros dicere blasphemias aduersus spi-
ritum sanctum. Hanc tam diram criminationem
præterire impietas esset. Multa Eccius, Pygius,
& alij multi rabiosè scripserunt: sed nescio an
quisquam hac uerborum atrocitate uti ausus sit.
Respondeo igitur nos uerè & ex animo cupere
illustrare gloriam Dei, & filij eius Domini no-
stri Iesu Christi, et spiritus sancti doctrinam ue-
rè &

rè & purè ſonare, & Eccleſiæ ſaluti conſulere, ut uerè inuocet æternum Deum patrem liberatoris noſtri Ieſu Chriſti, fiducia Mediatoris, & petat regi omnes inuocantes Spiritu ſancto. Vt igitur mandato diuino obtemperemus, et hanc inuocationem in Eccleſia purè ſonemus, neceſſe eſt idola et uitioſos cultus taxari. Et non dubitamus Deo & ueræ Eccleſiæ noſtrum ſtudium probari. Regulam etiam ſequimur certam doctrinæ, ſcripta Prophetarum & Apoſtolorum Symbola, Apoſtolicum, Nicenum, & Athanaſij, ſententias Synodorum ueterum, quæ probantur Nicenæ, Byzantinæ, Epheſinæ, Chalcedonenſis, & ſimilia purioris Eccleſiæ uetuſtæ teſtimonia. Nec dubitamus hoc genus doctrinæ quod profitentur Eccleſiæ noſtræ, uerè eſſe conſenſum Eccleſiæ Catholicæ Chriſti, quem & tuemur, &, Deo iuuante, ſemper fideliter tuebimur, aduerſus omnis generis furores Epicureos, Iudaicos, Ethnicos, Mahometicos, hæreticos, & quicunque idola defendunt. Nec ignoramus ueræ Eccleſiæ hæc certamina ſubeunda eſſe, etiam ſi has rixas, humana iudicia ualde uituperant. Sentimus enim Euangelium non eſſe commenticium, ſed ueram Dei æterni uocem. Diſſentimus ab Epicureis, qui putant confictas eſſe omnes religiones, ut initiò ad

Vitioſi cultus taxãdi et idolæ

pacem & ciuilia officia inuitari palabunda multitudo posset, et semper præsentem fortunam qualiscunque est, tuendam esse, ne harmonia politici status conturbetur. Respondi quantum nunc quidem uidebatur, ad conuitium omnium atrocissimum. Nec mihi quisquam tam est amicus toto orbe terrarum, quem non ducam esse refutandum, si audiam hoc eum conuicio genus doctrinæ, quod sonat in ecclesijs nostris damnare. Coherceresapientes gubernatores hanc tantam petulantiam deberent, ne hæ uoces publicis cladibus luendæ essent. Deinde quæ unquam spes esse concordiæ poterit, dum conceditur malis ita debacchari in nostros. Ad hanc breuissimam defensionem pauca addam. Magnopere oro lectorem, ut diligenter consideret, quid in utraque parte reuera agatur, qua de re utrinq; pugnetur. Scio multos Epicureos uel ridere, uel detestari, utranq; partem. Sed ad horum scholam, hæ controuersiæ non sunt referendæ. Boni qui non contemnunt Euangelium, considerent & Ecclesiam, & quid in utraq; parte agatur. Antequam hæc causa mota est, magna ubiq; fuit caligo. Humanis ceremonijs monasteria, templa, imò familiæ omnes ita fuerunt oppressæ, ut Gerson & alij multi hanc carnificinam conscientiarum deplorauerint. Ethnico more

Tēpus ante lucem Euangelii.

invocati

inuocati sunt mortui: ad statuas concursationes factæ sunt: doctrina pœnitentiæ fuit obruta spinis disputationum inextricabilium, de confessione, de satisfactione, de indulgentijs: Silentium fuit de fide, qua accipienda est remissio peccatorum. Hæc ignoratio fidei, etiam inuocationem corrumpebat. Nemo rectè discernebat legem diuinam & humanas traditiones. De lege diuina, quàm absurdæ fuerunt opiniones, cùm scripserunt homines posse legi Dei satisfacere. Cœna domini magna ex parte ad mortuos translata est multis seculis, & horribili idolomania contaminata. De uero usu Sacramentorum silentium fuit. Conciones publicæ multis locis rarissimæ fuerunt, alibi consumptæ sunt in fabulis de Georgio, Christophoro, Catharina, & similibus, aut in augendo quæstu monachorum. Iacebat doctrina de uera inuocatione, de fidei exercitijs in quotidiana uita, de dignitate uitæ politicæ. Si quis negat talem fuisse Ecclesiarum statum, non solùm testimonijs optimorum uirorum refutari potest, sed etiam libris monachorum, qui adhuc extant, & perspicuum signum est: Nunquam tot senes & graues uiri in Germania fauissent initijs renascentis doctrinæ purioris, nisi iudicassent Ecclesiæ opus esse emendatione. Fauebant autem

omnes qui non erant palàm Epicurei. Quosdam mediocres deterruerunt postea exorti tumultus, ut solet diabolus excitare scandala. Hanc nacti occasionem homines prophani, & monachi metuentes suo questui, inflammarunt Principum animos ad exercendam sæuitiam. Nos qui interim magno cum labore, & magno periculo in Ecclesijs & Scholis doctrinam puriorem tradimus, quid agimus? Num opes aut potentiam quærimus? Res ipsa nos purgat, multi enim docti & boni uiri, qui in ocio cum dignitate uiuere poterant, etiam uitæ suæ hanc professionem antetulerunt, quales fuerunt Henricus Sutphanienſis, Iohannes Croesus Theologiæ Doctor, Adolphus, qui Coloniæ crematus est, & possem nominare alios multos. Nos qui sumus superstites, ut nihil aliud dicam, tranquillius uiuere poteramus, si ab hac causa alieni essemus, multis eruditio aditum ad magnas dignitates patefeciſſet: Principes nostri etiam sua onera nõ leuia sustinent. Sed hoc unum agimus, cupimus propter gloriam Dei propugnari & conseruari doctrinam puram & salutarem Ecclesijs. Sumus etiam hortatores, ut omnia ciuilia officia colantur à nostris. Studia literarum quadam non uulgari sedulitate tuemur. Sic ubi exoriri falsæ opiniones cœperunt, summa diligentia

Religionis professio gloriosa.

Cultus officium ciuilium.

diligentia & fide repreſſæ ſunt, ut teſtantur ſcripta noſtra, & ipſa Reſpub. quæ Dei beneficio omnium in Germania maximè tranquillæ, & ſunt & fuerunt. Et quòd autor ſcripti Colonienſis nobis obijcit, accipere nos ab Eccleſia ueras ſententias, id planè & libenter fatcor & prædico. Nulla enim noua dogmata gignimus, ſed ueterem & puram Eccleſiæ doctrinam, quantum Deus concedit, illuſtrare ſtudemus. Samſon inquit: Niſi araſſetis mea uitula, non inueniſſetis, ita ſemper clamamus doctricem Eccleſiam inde uſq; ab initio ſonantem uocem Dei, audiendam eſſe. Obiectio. Sed cur inquiunt, cùm multa ab Eccleſia ſumenda eſſe fateamini, non ſumitis omnia, cur quædam conuellitis? Reſponſio uera eſt. Nullum Eccleſiæ dogma conuellimus, ſed recẽtes errores, qui in eccleſiam contra Euangelium, & purioris Eccleſiæ iudicia irrepſerũt, taxamus: deniq; ut Colonienſibus uerbis utar, non Eccleſiæ, ſed cleri Secundarij, hoc eſt, nothi, & degenerantis, falſas opiniones reprehendimus. E contra quid in altera parte agatur, uix ſuſpicari poſſum. Vt enim in Pſalmo dicitur: oderunt me gratis, ita iſti emergentem Euangelij lucem ſine cauſa aliqua opprimere ſtudent. Sapientes aliqui præſentem politiæ Eccleſiaſticæ formam aiunt fortiter propugnandam eſſe. Semper

Correctis uitiis non dilaceratur Ecclesia.

fuisse prudentum gubernatorum munus cauere leges mutationes. Sed si uerè uellent iudicare, intelligerent correctis uitijs, non dilacerari, sed muniri potius Ecclesiasticam politiam. Minus fortasis esset splendoris, aut plus uerorum ornamentorum doctrinæ, pietatis, authoritatis. Dimicant ergo de splendore, luxu, uoluptatibus, non de politia. Suntq; usitata hæc in Ecclesia certamina, & dijudicantur diuinitus. Quomodo diremptum sit certamen Apostolorum & Iudaicorum Pontificum uidemus. At tunc Pontifices uel maximè gloriari poterant, se politiam à Deo constitutam propugnare. Nunc defendit Clerus Secundarius, humanas, uitiosas, & recentes leges,

Qualis initio politia Ecclesiastica.

& labes politiæ Ecclesiasticæ, quæ fuit initio Ecclesiæ multò pulchrior, quàm nunc est, cùm nondum receptæ essent corruptelæ Cœnæ Domini, & alij abusus: Sed collegia cœtus essent omnium honestissimi piorum Doctorum, & discipulorum. Semper enim Ecclesijs frequentioribus collegia adiuncta fuerunt. Vt enim Prophetas agmina comitabantur auditorum, ut testes doctrinæ Propheticæ, & propagatores essent, ita Apostoli, cùm constituissent Ecclesias, delecta agmina habebant studiosorum, qui eos familiarius audiebant, & se totos inquisitioni doctrinæ dedebant

debant, ut ad posteritatem testes essent de uera sententia Apostolorum, & succederent in munere docendi. Sic Iohannem Polycarpus, & alij multi audierunt. Et fuisse ante Gotthica tempora tales in Germania Ecclesias ac Scholas, multa uetera monumenta ostendunt. Postquam uerò barbaricæ gentes Europam peruastarunt, uix sero pacata Germania, cùm iam uetus doctrina multis superstitionibus obscurata esset, hæc noua forma politiæ paulatim constituta est, quæ tamen ipsa iam senescens facta est squalidior, ut sunt omnium politiarum periodi. Et fortassis dirimet Deus hoc certamen de politia magnis publicis mutationibus. Interim uoce Euangelij collegit Ecclesiæ reliquias, tanquam tabulas ex naufragio, sicut ante Babylonicum exilium colligit reliquias per Ieremiam, ante excidium Ierosolymæ per Baptistam, Christum, & Apostolos, ante dilacerationem Romani imperij per Apostolos, & eorum discipulos. Miro enim modo Deus Ecclesiam suam regit, instaurat collapsam, & seruat, puniens interim impiam multitudinem uarijs cladibus, ut ordine ostendit series historiæ omnium seculorum. Et hac de re sæpe Prophetæ concionantur. Quanquam igitur sapientibus obstrepunt illa præcepta politica, de defendenda præsenti forma,

Ecclesiæ & scholæ olim in Germania.

ma, tamen anteferamus uocem æterni Dei, qui de filio inquit: Hunc audite, Item mandatum immutabile: Fugite idola. Respondi de conuitijs, nunc de disputatione pauca adijciam, non ut hîc instituam integram harum controuersiarum explicationem, sed tantum, ut de præstigijs scripti rudem lectorem commonefaciam. Nam si qui studio ueritatis has controuersias cupiunt integras cognoscere, extant scripta, quæ uniuersæ doctrinæ Ecclesiasticæ summas continent, & lectori non calumnioſe iudicanti satis facere possunt. Nunc cũ ijs rixamur, qui cũ agnoscant ueritatẽ, tamen cõtra animi sententiã erroribus patrocinantur, & stabiliunt idola. Pugnant autẽ partim ui, partim fraudibus: uis est cùm consuetudinẽ, cõsensum magnæ multitudinis allegant: Fraudes sunt, quædam absurdiora occultare, ac promere magis speciosa, pingere quosdam abusus nouis coloribus, fateri quædam uitia & promittere aliquã correctionẽ. Id simulant, ut arte obsistant principijs omnium emendationũ. Nã qualicunq; emẽdatione tentata, uideant secuturam esse magnã inclinationẽ. Ideo metuunt, ut monet Aristoteles, τὸ παρὰ μικρὸν.

II. Præstigiæ huius libri.

Pugna aduersariorum.

Nec uerò integrè disputat liber delectorum de ulla controuersia. Ideò facilius fuit ludere præstigijs, cùm passim excerpant ex materijs quædam plausi-

plausibilia. Plurimæ pagellæ consumuntur in his locis, de confessione, de satisfactionibus, de inuocatione mortuorum, de cœna Domini, de coniugio ministrorum Euangelij.

Præcipuè igitur & ego de his respondebo, in quibus cum uideret lector, qua fide, quo candore Causam agant, sciat hos impostores fugiendos esse.

Responsio ad capita Libri.

Vtilissimum est Ecclesiæ extare doctrinam de pœnitentia purissimam & explicatissimam. Norunt autem omnes fuisse in sententiarijs infinitam confusionem, & infinitos labyrinthos præcipuè in hac materia. Recenserem, nisi & longum esset, & libri ipsi testimonium dicerent.

Doctrina de pœnitentia.

Nec alia res initiò studia bonorum ad Lutheri doctrinã cognoscendam inuitauit, quàm quod requirebant puriorem doctrinam de pœnitentia. Estq; hic locus, Dei beneficio, piè & dextrè à nostris explicatus. Confessiones & satisfactionum leges erant carnificinæ conscientiarum, & de fiducia gratuitæ misericordiæ prorsus silentium erat. Fuit igitur necessarium & patefacere doctrinam de fide, qua remissio peccatorum accipitur, propter Christum mediatorem gratis, et qua uera inuocatio accenditur. Et erudiendæ erant mentes, ne falsæ opiniones de enumeratione &

satisfactionibus excuterēt fidē. Et quid sentiamus liquet ex nostris scriptis. Ipsi enumerationem his necessariā faciunt, quam haud dubiè, nec ipsi præstent. Sed est usitatum hypocritis, imponere alijs onera, ut Christus ait, quæ non attingunt digito. Postea calumnioſe deprauant quædā dicta Buceri. Non esset discrimen, inquiunt, inter Ethnicorum opera, & Christianorum, si omnia essent uitiosa. Quid opus est his tragœdijs? Diligēter docemus quomodo placeat obedientia in renatis propter Christum, cùm tamen sit imperfecta, & semper maneant in hac uita in renatis peccata. Addimus etiam discrimen peccati mortalis, seu regnantis, propter quod amittitur gratia, & peccati non regnantis seu uenialis, ut uulgò uocant. Sed prætereo hanc pagellam, quæ tantum inanem calumniam continet, quæ uel malitiam, uel insciti am scriptoris prodit. Si intelligit doctrinam de iustitia, scit nos recte sentire: Si non intelligit, arrogantia est, quod se censorem facit.

Satisfactiones.

De satisfactionibus tragicè uociferatur. Has omnino tueri conatur, & ait disertis uerbis, satisfactionem expressam esse scripturæ spiritu, ac miscet Cypriani dicta, & testimonia scripturæ. Cyprianus loquitur de ritu sui temporis, quo ante Absolutionem, seu castigabantur, seu explora-

plorabantur hi, qui publica delicta admiserant. Si de his ritibus dimicant, sciunt eos iam multis seculis non obseruatos esse, umbra manet & nomen. Habemus autem satis graues & magnas causas taxandi errores de satisfactionibus, quas definierunt esse opera indebita, & finxerunt per ea compensari pœnas purgatorij, etiamsi fiant ab ijs, qui non sunt in gratia. Postea ex hoc fonte orta sunt deliramenta de indulgentijs. An has nenias & imposturas iterum uolunt proponi populo, quia tam studiose dimicant de nomine satisfactionis, de qua tamen Bucerus nihil contenderat, cum alias res in hoc scripto suo egerit.

Scio in hoc consilio delectorum adhibitos esse quosdam uiros sapientes, qui interdum significarunt se expetere publicam Concordiam, quæ tamen ueræ doctrinæ lucem retineret. Quæ potest autem fieri concordia unquam, dum talibus sycophantis concedunt sine fine licentiam renouandi certamina? Quod uero ait: Spiritu scripturæ disertis uerbis satisfactionem expressam esse. Quam? Scimus tota pœnitentia et bonis operibus mereri pios mitigationem pœnarum præsentium, ut scriptum est: Conuertimini ad me, & conuertar ad uos, &c. Sed quid hæc ad illos ritus Satisfactionum ueteres, aut ad umbram,

bram, quæ adhuc reliqua est? An arbitratur scriptor loqui Prophetas de peregrinationibus ad S. Iacobum, aut ad Annæ caput in hac uicinia. Agnoscis lector candorem scriptoris, cum ad umbram satisfactionum detorquet dicta prophetica, quæ loquuntur de tota pœnitentia, de ueris cultibus Dei, de ueris operibus debitis, non de illis, de quibus dicitur: Frustra colunt me mandatis hominum.

Mos tempore Cypriani.

De more, qui fuit Cypriani tempore, aliàs satis diximus. Nihil ea res ad remissionem culpæ, aut pœnarum purgatorij pertinebat, nemo adhuc ineptias istas somniauerat. Sed erant aliæ causæ politicæ eius ritus. Exempli causa, proderat quasi quadam ignominia notare lapsos, desertores fidei, aut adulteros, nam hæc delicta ethnici non puniebant. Proderat etiam explorare eorum mentes, an serio resipiscerent. Et tamen superstitione creuit eius ritus acerbitas, & quædam sunt duriora apud ipsum Cyprianum, quàm ut probanda sint, ut quod ait, non ualere absolutionem, si non accesserit ille ritus satisfactionum.

Vmbra uetusti temporis.

Manet adhuc umbra uetusti moris, in recipiendis homicidis, qui mos non primùm post Apostolos natus est. Sed constat & apud ethnicos

signa

signa fuisse reorum, quæ gerebant homicidæ, ut de Oreste, de Adrasto legimus: Hæc signa tantisper gerebant, donec certo ritu erant expiati. Arbitror autem à primis patribus hanc ceremoniam institutam fuisse, ut consuetudine homicidarum cæteris interdiceretur, ac discerent rudiores et uitare iniustas cædes, & abominari homicidas. Sed hæc exempla nec culpæ, nec pœnarum remissionem, quas quidem Deus infligit, merentur, imò Deus uult ipsas pœnas nobis tanquã signa reatus esse, ut cum Dauid eijcitur regno, & illa tanta gloria non solùm regij nominis, sed etiam sapientiæ & uirtutis exuitur, hic deformatus à Deo, tanquam signis reatus induitur, hic agnoscit iram Dei, agnoscit se reũ esse, et uerè clamat: Tibi tantũ sum peccator seu reus rea, ut tu iustificeris in sermonibus tuis, &c. Sic ipsas pœnas communes et proprias, quas sustinemus, mortem, morbos, & cæteras ærumnas intelligamus non casu accidere, ut Epicurei somniant, sed testimonia esse iræ Dei aduersus peccata, nosq; reos esse agnoscamus, & cõfugiamus ad filium Dei, qui factus est propiciatio. Sed desino de hoc loco iam dicere, etsi nihil utilius est, quàm in ecclesia sæpe et grauiter disserere de uniuersa pœnitẽtia, idq; sedulo fieri à nostris scio. Sed ille bene saginatus Monachus, qui

Monachus bene saginatus.

qui scripsit librum delectorum, facit, quod solent Hypocritæ, requirit satisfactiones, quas ipse minimè præstat. Non est ociosæ & securæ mentis de magnitudine peccati, de ira Dei, de fide accipiente remißionem concionari. Sed hæc propria et arcana sapientia est Ecclesiæ Dei, nec discitur nisi in uero certamine, uera luctæ, & inuocatione Dei. Deinde ad hanc sapientiam pertinet dextrè discernere politicos mores, & iustitiam spiritus. Erant autem Canonicæ satisfactiones, de quibus Cyprianus loquitur, mos politicus. At conuersio de qua Prophetæ & Apostoli concionantur, complectitur motus animi, timorem Dei, fidem, dilectionem, obedientiam in cruce, & alios fructus spiritus, ut Paulus nominat.

Cum autem hæc tota causa sæpe fideliter explicata sit, & existimem ptjs, qui nostrorum scripta legerunt, abundè satisfactum esse, nihil opus est hîc longiore refutatione. Pauca igitur de inuocatione mortuorum dicam, de qua, ut sæpe aliâs, opponit nobis antiquitatem, ait Theodosium stratũ ad sepulchra mortuorũ, suas preces dixisse, &c.

Respondet ad secula et autoritatem ueterum

Primùm igitur de seculo & autoritate scriptorum ueterum ita respondeo: una quædam est Ecclesiæ Dei Catholicæ perpetua & pura doctrina, per Apostolos tradita, quæ habet Testimonia

monia Ecclesiæ etiam sequentium ætatum. Sed alij scriptores alijs puriores sunt, ut totum doctrinæ corpus, si quis dextrè iudicet, apud Augustinum purius est, quàm apud Origenem. Miscent et singula secula aliquid contagij, ut hominum natura in hac imbecillitate nunquam est sine uitijs. Et natura fauemus patrijs et præsentibus moribus, ideo cum semina superstitionum irrepsissent in Ecclesiam, sancti Patres quædam uel non satis considerabant uel tolerabant, tametsi non probarent. Nota est omnibus Augustini quærela de superstitione suæ ætatis, cum ait seruitutem Ecclesiæ iam duriorem esse Mosaica. Sed ferebat hic quædam uitia, occupatus alijs difficilioribus certaminibus. Deinde nondum adeò creuerant abusus illi, de quibus nunc disserimus, ut postra barbaricis temporibus, & cum accessit quæstus, creuerunt. Erat consuetudo Facere mentionem mortuorum in publicis precibus. Nondum accesserat opinio applicandam esse pro eis cœnam Domini, nondum erat res quæstuosa. Fortassis aliqui priuatim mortuos inuocabant. Nondum tamen erant statuæ, nondum distributa erant munera inter mortuos, nondum Anna dabat opes ut Iuno, nondum Georgius iuuabat Equites, ut Castor & Pollux, denique Semina sparsa erant, quæ adbus

Quærela Augustini.

Mortuorum mentio, & semina superstitionum.

huc erant exigua, sed tamen ueram lucem fidei obscurabant: Alij igitur alijs seuerius obsistebant. Narrat Epiphanius sua ætate mulieres in Syria statuam Mariæ circumtulisse, & ei libas, & nescio quas res alias obtulisse. Hunc morem inter hæreses recensет, & oppressam esse inquit diligentia & autoritate Episcoporum, quod imitatio esset Ethnici furoris. Nunc magna pietas ducitur inuocare Mariam, & donaria liberaliter cumulare.

Statua Mariæ in Syria.

Quare quùm nobis antiqua exempla obijcitis, hoc respondemus, nos fideliter, ut supra dictum est, tueri consensum catholicæ ecclesiæ Christi, & adfirmamus nos de symbolis non dissentire, à probatis scriptoribus ueteribus, congruere etiam ætatem illam nobiscum existimamus in ceteris nostris sententijs, si dextrè de ea iudicetur. Etsi enim ipsi scriptores sæpe negligentius loquũtur, & quædam priuata exempla reperiri possunt, quæ nostris ritibus aduersantur, tamen mos Ecclesiæ publicus ferè conuenit nobiscum. Cœna Domini una communis erat, etiamsi fortaßis reperias exemplum, ubi aliquis sua quadã superstitione priuatim tanquã sacrificaturus, consuetudinẽ publicam mutauit. Ita et mortuos aliqui inuocabãt. Paulatim enim hæ superstitiones irrepserũt.

Nec

Nec ualet argumentum ueſtrum, Hæc facta ſunt ætate Patrum. Retineatur igitur mos præſens: Eſt enim diſſimilis, ut ſi quis dicat, Pater tolerat filium ſæpius conuiuantem, ergo debebit ferre & graſſatorem & inſidiantem alienæ pudicitiæ. Ita uos exemplis ueterum, quæ adhuc minus mali habent, poſterioris ætatis uitia, quæ iam ſimilia ſunt Ethnicis, ſtabilire conamini. Etiamſi Baſilius hac uoce compellat Martyres Ἀγαθοὶ κοινωνοὶ φροντίδων, Δεήσεως σύνεργοι, πρὸς θεὸν παῤῥησιαστικώτατοι: non tamē retinendus eſt mos huius ætatis, cum omnia plena ſunt ſtatuarum, & ad eas alligatur uel Dei, uel mortuorum inuocatio, & ut olim à Neptuno proſpera nauigatio, à Cerere fruges petebantur, ita nunc uarij opitulatores inuocantur. Quare cum uetuſtum morem conſtet diſſimilem eſſe poſterioribus ſeculis, omittite illa priuata et pauca exempla, ac ad normam, uidelicet ad ſcripta Prophetica & Apoſtolica redite. Lapis inquit Baſilius, ad normam accommodandus eſt, non norma ad lapidem inflectenda. Exempla legibus congruant, ut uulgò dici ſolet.

Argumentū ab auctoritate patrum.

Regula Baſilii.

Hæc de ſcriptorum ueterum ætate hoc loco dicta, uolo etiam ualere in reliquis. Non enim prorſus ſine uitio ætas illa fuit, & tamen nec Hiero-

nymus facit mentionem inuocationis, litigans cum Vigilantio de honoribus mortuorum, nec quid fecerit Theodosius clarè dicitur, sed ut fuerit mos dicere: ora pro me Paule, tamen semina erro rum, ut in herbis fuerunt, et his seminibus non ef recentium temporum furor confirmandus.

Sed clamatis, aliquid populi infirmitati, & publicæ tranquillitati condonandum esse: quantu lum mali est dicitis, etiam si pio errore uulgus in uocat mortuos, petit opem ad certas statuas. Sem per uulgus aliquid habet ineptiarum. Huic ora tioni sapientum hoc opponimus, una res est o mnium maxima, inuocatio Dei, quæ propriè di scernit Ecclesiam Dei à cæteris gentibus. Multi & sunt & fuerunt ignari Dei, qui tamen alijs ci uilibus uirtutibus omnibus præditi fuerunt, ut Aristides, Scipio, Pomponius Atticus. Sed hæc uirtus defuit, inuocatio Dei. De hac ecclesiam do ceri necesse est, Hæc est arx piorum, ut dicitur in Salomone, Arx firmissima, nomen Domini. Et quanquam adeò facilis res, & nota ac exposita omnibus, inuocatio esse putatur, ut uos magni do ctores de ea rarò concionemini, tamen facilimè corrumpitur, facilimè excutitur. Norunt omnes homines naturali iudicio, esse Deum, mentem æ ternam, causam boni in natura, ut Plato definit.

Inuocatio Dei arx piorum.

Ideo

Ideo omnes quoquo modo inuocant. Imò quia illam mentem cogitant non esse solam, uult enim agnosci et conspici, addunt ei familiares aliquos: Hos quoq; inuocant. Hinc turba est Deorum apud Ethnicos, hinc mortuorum inuocatio. Quid hæc habent incommodi inquies? plurimùm. Tantum ita uult inuocari Deus, ut se patefecit, uult se unum agnosci conditorem & opitulatorem, & placatus est per filium, Huius fiducia uult inuocari. Cæteræ gentes nec agnoscunt Deum æternum patrem domini nostri Iesu Christi, nec certò statuere possunt respici & accipi suas preces. Ecclesia certa est, & uult Deus nos credere promissioni, quòd propter filium nos exaudiat.

Accurrit populus ad statuas, recitat precationem, non cogitat quid inuocet, Deum ne, an animam mortui? nec cogitat an Deus sic uelit inuocari, & cur uelit certò preces nostras recipere. Hi furores toties damnati concionibus Prophetarum, confirmantur à uobis, dum defenditis hunc morem quocunq; prætextu. Nihil ne sceleris esse putatis miscere religiones, Ethnicam & Christianam, obruere ueram Dei inuocationem, polluere Ecclesiam Dei, spoliare hanc ærumnosam hominum naturam uero præsidio? Si sic cogitant homines: Quirine depelle morbũ, impietas est, quod

Scelus miscere religiones & inuocationem.

tribuunt creaturæ potentiam Dei. Sin autem cogitant, Deus depelle morbum propter preces Quirini, impietas est alligare Deum ad hanc statuam, & fingere has preces hîc magis recipi. Nescit mens an uelit Deus sic inuocari. Et consuetudo abducit homines â uero mediatore, & intellectu mediatoris. Conditi sumus & redempti, ut Deum agnoscamus, uerè inuocemus, ac celebremus, non ut Philosophi putabant, sua quisq; opinione, sed ut se ipse Deus uoce sua patefecit. Quare ad hunc Deum inuisibilem, qui se patefecit exhibito filio, & sua uoce iussit nos hunc filium audire, qui cum suo filio & Spiritu sancto condidit uniuersam naturam, directa sit oratio, & sit accensa fides, quæ credat recipi preces propter filium mediatorem, & petet nos Spiritu sancto gubernari et sanctificari. Sic sonant Prophetarum, Apostolorum & Ecclesiæ purioris preces. Quoties inchoas precationem, cogitet mens, te uiuum & omnipotentem Deum, æternum Patrem domini nostri Iesu Christi, conditorem uniuersæ creaturæ, & conseruatorem cum filio tuo domino nostro Iesu Christo, & Spiritu sancto inuoco, miserere mei propter filium tuum dominum nostrum Iesum Christum, quem pro nobis uictimam fieri uoluisti, & mediatorem ac deprecatorem pro nobis

Preces purioris Ecclesiæ.

bis constituisti, mirando & inenarrabili consilio, ut iram tuam ueram aduersus peccata generis humani, & immensam misericordiam erga nos declarares, & sanctifica ac rege me Spiritu sancto tuo, collige, rege & serua tibi Ecclesiam, rege politias, da nobis uictum, pacem, bona & fœlicia consilia negociorum, &c. Talis aliqua forma sit precum, quæ simul discernat inuocationem nostram, ab Ethnica, Iudaica, Mahometica, & excitet fidem, quæ statuat recipi preces propter filiũ, & placere Deo talem cultum. Harum maximarum rerum doctrinam Ecclesiæ necessariam, delent & extinguunt illæ Ethnicæ opiniones de inuocatione mortuorum, quas uos alitis & confirmatis. Quod idolum hactenus tollitis? Adhuc pecuniam colligi audio ad pallium Annæ faciendũ, inquo, ut in pallio Miueruæ Atticæ intexetis fortaßis gigantomachiam uestram, qua bellum cœlo infertis. Hæc recensui, ut quanta de re agatur, & quid, quo candore agatis, lector consideret. Pallium D. Annæ.

Allegant causam in pagina E iij. cur mortui inuocandi sint, quia inquiunt multa requiruntur ad dignam & sanctam orationem, ut habet Cyprianus, quæ citius in sanctis à corpore absolutis, quàm in uiuis est reperire. Expende lector quale sit hoc dictum. Etsi orantem oportet ad- Cur mortui inuocandi.

ferre ad Deum conuersionem, tamen fiducia petitionis non debet niti propria dignitate, sed Mediatore Christo, sicut ipse inquit: Quidquid petieritis in nomine meo, dabit uobis. Iubet in nomine suo peti, hoc est, nominato ipso, rogato patre propter filium, & hac fiducia, quòd propter eum uelit nos recipere, exaudire, iuuare, ut Paulus inquit: Per hunc habemus accessum ad deum. Item: Talem habentes Pontificem, accedamus ad Deum. Si suam dignitatem metietur Dauid, quando inuocabit? imò sic accedendum est ad Deum, cum conuersione, & confessione indignitatis, ut ait Dauid: Non iustificabitur coràm te omnis uiuens. Item: Tibi tantum sum peccator, &c. Daniel: Non propter iusticiam nostram peto, sed ut misericordiam tuam confugio, & peto propter Dominum, id est, uenturum Messiam. Sic nos Prophetæ, sic Christus, sic Apostoli, sic Ecclesia iubet precari. Sed isti deterrent uiuos, ne inuocent Deum, ac iubent interea quærere mortuos, qui sint pro eis προσβευταὶ, ut memini in quodam pago interrogatos colonos, an scirent preces, respondere, satis esse si sciat eas Pastor, qui propterea conductus sit, ut pro ipsis oret.

Vera inuocatio.

Reliquas nenias & calumnias de hoc loco prætereo. Adhortor autem pium lectorem, ne exi-

stimet

stimet de re leui dimicari, cùm de inuocatione disserimus, sed cogitet ueram inuocationem præcipuum esse præsidium, ut ita dicam, piæ mentis in tantis ærumnis uitæ communis, sicut in Psalmo dicitur. Illi in curribus & equis: Nos autem in nomine Dei nostri inuocabimus. Cogitet item inuocationem ueram præcipuum munus esse, quod Deo præstandum est, & Christi beneficia sine hoc exercitio non posse cognosci. Deinde hæc argumenta sibi proponat. Inuocans naturam inuisibilem, tribuit ei omnipotentiam, quia statuit eam uidere motus cordium in omnibus hominibus. Præterea mens non statuit Deo placere cultum, non comprobatum dicto diuino. Postremò, quomodo corrigitur hic ritus, tamen abducit oculos à mediatore Christo, & labefacit fidem, id est, fiduciam mediatoris, quæ in inuocatione lucere debet. Et parit multiplices superstitiones, quas horrendæ pœnæ comitantur.

Hactenus de inuocatione dixi. Longè aliud est loqui de prædicandis eorum uirtutibus, quæ non solùm imitationis causa proponendæ sunt, sed etiam ut discamus quomodo Deus Ecclesiam gubernet, consideremus quale fuerit Prophetarum, Apostolorum, Episcoporum ministerium, agamus Deo gratias, quòd Ecclesiam seruat. Con-

Sanctorum uirtutes de timore & fide nos docent.

sideremus exempla iræ & misericordiæ Dei, ut in Dauidis, in Manassis historia, quæ nos de timore & de fide docent. Magnum & mirandum horum est hæc tota rerum natura, pulchritudo & ordo corporum cœlestium, motuum leges, terræ fœcunditas, fluminum perennitas. Illustria hæc tot rebus uestigia Dei impressa sunt, sed nullum pulchrius opus, aut spectatu dignius est, aut plura de Deo testimonia nobis cernenda exhibens, quàm homo pius, ut Abraham, Sara, Ioseph, Dauid, Esaias, Ieremias, Elizabeth, Paulus & alij. Multa igitur grauissimè & utilissimè de sanctis dici possunt, remota inuocatione.

Prophanatio Cœnæ domini

Nunc de cœna Domini dicturus, obtestor omnes pios, non ut nostra scripta legant, sed ut oculos circumferant per tot templa uniuersæ Europæ, & considerent, quanta sit huius diuini instituti prophanatio. Maxima turba sacrificulorum prorsus ignorans quid agat, & polluta conscientia seruit consuetudini, aut suo uentri. Præterea cùm ceremonia instituta sit ad fidem in uiuentibus exercendam, transfertur indignissimè ad mortuos. Postremò cùm sacramenta sint certi generis actiones, isti panem circumferunt prorsus extra institutum usum, & extra Sacramenti actionem. Cùm autem Deus ad nullam Creaturam

turam alligandus sit sine suo uerbo, certißimum est extra institutam actionem, panem rem alienam esse à Sacramento. Certum est, cùm baptizatur homo, in actione adesse Spiritum sanctum. Iam si quis baptismi aquam circumferret, quasi inclusus ibi Spiritus sanctus maneat, ac iuberet eam adorari, omnes pij hunc errorem execrarentur. Ita de cœna Domini sciant pij ceremoniam in actione sacramentum esse, non panem ad alium usum circumlatum. Si iam reuiuiscerent Ambrosius & Augustinus, ut non dicam de Apostolis, ac uenirent ad hæc spectacula, in quibus longo ordine incedunt sacrificuli, gestantes ligneas, argenteas, marmoreas statuas, deinde uerò sequitur Hierophantes gestans panem, uiderentq; circumfusam multitudinem inuocare hunc panem, expauescerent, ac interrogarent ubi gentium essent, & quæ nouæ post suam ætatem Ethnicorum ceremoniæ natæ essent: Non enim putarent se in loca Ecclesiæ Christianæ uenisse. Cùm uerò audirent Cœnam Domini in hunc morem conuersam esse, tum uerò simul dolore atq; indignatione exardescerent, & magno animi motu populum ad uerum sacramenti usum reuocarent, & de ueris pietatis exercitijs monerent.

Spectacula Papistarum.

Fuit olim similis Persica consuetudo, circum

ferebatur sacer ignis, quem adorabat populus, ac præibant trecenti sexaginta quinq; sacerdotes, ut numerus congrueret ad dies anni, & gerebant certa ornamenta.

Cùm igitur tanti abusus in conspectu sint, cur adeo duri estis, ut gemitus piorum, & querelas iustissimas audire nolitis? Deinde quanquam ipsi agnoscitis hæc uitia, tamen ea populo excusatis, ne politia Ecclesiastica, ut dicitis, moueatur. Citatis ueterum testimonia, Canones, Synodos, ut indoctis fucum faciatis, & errores confirmetis.

Sacerdos impior Tubingæ.

Memini me à grauibus uiris audire, uenisse Tubingam sacrificulum, qui nescio quas reliquias, ut uocant, osßium circumferens, hoc præconio eas populo commendabat, uidelicet, nihil à pestilentia periculi fore toto anno his, qui semel eas reliquias osculati essent. Ebrardus Princeps sapiens & grauis, non ferendam scurrilem impudentiam in concionibus iudicans, obiurgat asperè sacrificulum illum. Is respondet se uera dicere, quia populus non det osculum reliquijs, sed uitro. Tales sunt uestri Colores, quibus nunc excusatis abusus, ut extricetis uos ex piarum reprehensionum laqueis, & tamen in populo praua consuetudo & error confirmetur. Ambiguas & mutilas descriptiones sacrificij excogitatis, deinde

pro

pro mortuis dicitis ualere, si non adplicationem, at suffragium. Fingitis cothurnos in canone, ut leniatis absurditates. Nam ibi petitis, ut huic hostiæ Deus faueat. Hoc quid sibi uult si filium offertis. Deniq; præparatas elu,iones in multis materijs habetis uelut Iudæi.

Nostra simplicia sunt & explicata. Constat enim apud ueteres annis ferè quadringentis fuisse unam communem cœnam, sine priuatis. Huic mori publico & probato opponitis exemplum inde usq; ex Africa allatum, de priuata missa, qua pulsum est alicubi spectrum. Credibile est paulatim exempla eius moris, præsertim apud barbaras nationes irrepsisse. Sed plus ualeat mos publicus & probatus. Paulatim & mentio mortuorum in cœna, recepta est. Græcus Canon dicit offerri pro Prophetis & Apostolis. Hæc erat gratiarum actio probanda, non fiebat ad eos liberandos à pœnis. Postra opinio nata est, de adplicatione, ut mortui à pœnis liberentur, quæ tamen naturæ sacramenti repugnat, quod ad fidem excitandam in uiuentibus institutum est. Sicut inquit Christus: Facite ad mei recordationem. Præterea oratio, quæ non habet testimonium scripturæ, incerta est. Nusquam autem in Prophetis aut Apostolis extat exemplum.

Vetus

Vetus mos & puritas in cœna Domini.

Vetus igitur puritas restituatur, ut populus recte intelligat uim & usum sacramenti, et assuefiat ad uera fidei exercitia in usu sacramenti, non concipiat falsam fiduciam de alieno opere, non abducatur ab agnitione beneficiorum Christi, sciant sumentes se fieri membra Christi, & hanc sumptionem esse pignus, quod testatur uerè nobis exhiberi, donari, adplicari propter filium Dei, remissionem peccatorum in Euangelio promissam. Et fides excitata hoc pignore nitatur nõ suo uel ministri opere, sed mediatore Christo, cogitet de ira Dei aduersus peccatum, de uictima, de Christo gubernante & defendente Ecclesiam, agat Deo gratias, petat regi nos Spiritu sancto, & flectat mentem ad ueram obedientiam. De his tantis rebus in usu sacramenti commonefaciendi sunt homines, quarum notitia extinguitur, cum alitur fiducia meriti, & adplicationis sacrificuli, & discernitur adplicatio sacrificuli, à populi adplicatione, qua sua fide quisq; sibi in usu sacramenti, & alias adplicat Christum. Suntq; opiniones de adplicatione sacrificuli, natæ ex ignoratione doctrinæ de iustitia fidei.

Plura autem de tota causa aliâs diximus, nec delecti quid uelim defendere ausi sunt integrè dicere, sed allegant mediæ & ultimæ ætatis scriptorum

rum dicta. Prouoco et ipse ad scripta uetustiora, & magnopere optarim conferri scriptores, ac non solùm numerari, sed etiam ponderari suffragia, scio esse magnam dissimilitudinem, & recentiora subinde sunt impuriora. Vltima ætas dicit de interitu panis, & quærit quid edat mus, rodens panem consecratum. Inuitus hæc recito, & cohorresco cogitãs. Quid simile est in ueteribus, Epiphanio, Ambrosio, Augustino, quantò hi circumspectius loquuntur?

Veterũ scriptorum collatio facienda.

Nec tam doctrina, quàm fide & attentione opus est in hac controuersia iudicanda. Omnes sani intelligunt hanc sententiam uerissimam esse, Sacramenta certi generis actiones esse, nec extra institutam Actionem quidquam retinere Sacramenti rationem. Quare non tam insciitiam, quàm negligentiam reprehendendam arbitror in illis, qui errore aut olim hos abusus auxerunt, aut nunc stabiliunt. Nam qui nunc admoniti, tamen propugnant, peccant magis quadam impia peruersitate, quam errore, pios uerò adhortor, ut fugiant prophanationem cœnæ Domini, quæ fit in Missis priuatis, et illa pompa Persica, de qua dixi, & cogitent officium esse unum omnium summum, propter quod præcipuè conditi & redempti sumus, rectè inuocare Deum, & memi-

meminerint mandatum: Fugite idola. *Dixi multò breuius & tenuius de re tanta, & delectos moneo, ut caueant ne maiora certamina excitent. Ipsi dum suo odio & petulantiæ morem gerunt, nouas quæstiones mouent, quarum agitatio ipsis minimè profutura est.*

Simulatio emẽdationis Ecclesiarum.

Aliquoties ostendunt Delecti se quoq; expetere emendationem Ecclesiæ, & accusant negligentiam superiorum, à quibus hactenus eius rei consilia impedita esse queruntur. Hæc artificiosa Ironia est χῆμα πολιτικοῦ λόγου, *ut uocat Thucidides, cum honesto prætextu praua consilia reguntur, ut in Republica sæpe fieri solet. Simulant studium Ecclesiæ emendandæ, cum reuera nolint abusuum neruos labefactari, nolunt attingi inuocationes mortuorum, Missam, cœlibatum, uota, imò adhuc damnant utentes integro sacramento. Mordicus retinent errores doctrinæ de pœnitentia, de iustitia. Qualem igitur expetunt emendationem? dicam: Volunt à Statuis in Templis detergi puluerem, uolunt picturas ueteres obsolescentes in templorum parietibus renouari. Et ut faciant aliquid ex Delphico Oraculo, uolunt aras cubicas duplicari, ut sint angustiores, ferunt leges de non alenda barba, de* βαττολογία *precum non intellectarum.*

ctarum. Hæ sunt illæ magnæ res, quarum restitutionem requirunt, quam deplorant impeditam esse à principe. Odium suum & contumaciam significant, ac iniustè traducunt Principem, qui tot iam annos cum uiris præcipuis summorum ordinum, ut ipsi Delecti norunt, deliberauit, quomodo uerè consulatur populi saluti, & uera inuocatio DEI restituatur. Hæc consilia illi præcipuè impedierunt, qui nec doctrinæ puræ lucem, nec censuram de suis moribus ferre possunt. Non uoluit Princeps proponi sucosas emendationes, sed fidei, & moribus profuturas. Videbat populi insciti am, superstitiones, statuarum adorationem, neglectionem disciplinæ, uidebat pastoribus indoctis commendari Ecclesias, stipendia uerò prædæ esse absentibus. Videbat multis modis prophanari cœnam Domini, uidebat mores sacerdotum corruptos frustra ad canonum uincula reuocari.

Papistæ non ferunt lucem.

Nec uos quidem Delecti hoc passuri eratis, Fuit igitur longa & tarda rei tantæ Deliberatio, ut quærerentur salutaria Remedia.

Opto autem ut inueniat congruentia ad Euangelium Dei, quod norma est gubernationis Ecclesiasticæ. Quam enim uos Normam propo-

nitis

nitis? cum adhuc propugnetis iniustam legem de cœlibatu, quam uos ipsi scitis fontem esse multorum ingentium scelerum, quæ Deum horribiliter offendunt, et sæpe publicis cladibus puniuntur, et exemplo publicis moribus nocent.

Hic magnos aceruos futilium Canonum et argumenta futiliora cumulatis, quibus omnibus oppono unam hanc regulam. Prouidendum est omnibus gubernatoribus, præcipuè uerò Ecclesiasticis, ne legem condant, quæ impedit ueram inuocationem Dei. Constat autem paucos ad cœlibatum idoneos esse: cæteri aut uincuntur communi imbecillitate, aut infœliciter secum ipsi luctantur. Hi impediti maculis conscientiæ, non inuocant, sed fugiunt Deum. Inde multi in Epicureum contemptum ruunt, aut desperatione opprimuntur. Quare hæc lex tot iam seculis infinita agmina animarum à Deo auulsit, & in exitium æternum impulit. O ferrea pectora omnium gubernatorum, si hæc tanta mala non considerant, si non adficiuntur interitu tot animarum, si non putant magnum scelus, impedire ueram inuocationem, si non cogitant Ecclesijs utiliores esse pastores pios & doctos maritos, quàm leues & indoctos cœlibes. Scitis autem uos ipsi multis locis deesse pastores, scitis iam uiginti annis multa bona in-

Cœlibatus impius.

na ingenia, quæ utiliter Euangelio seruire poterant, propter uinculum cœlibatus non accessisse ad ministeria Ecclesiastica.

Memini quendam Episcopum Ratisbonæ Contareno dicere, necessariò concedendum esse coniugum præsbyteris, quia alioqui defuturi essent Ecclesijs pastores, & iam multas stare desertas sine ministris. Tum Contarenus miratus, posse se mederi inquit huic rei, quia Italia Monachis abundat, quos sit missurus Pontifex ad uacuas Ecclesias. Quid agent, inquit ille, cum linguam nostrã nesciant? Contarenus respondet, sacrificaturos esse de more. Episcopus uerecundè respondit, necessarium munus esse, docere populum, et Euangelij cognitione pietatem esse alendam, non sufficere spectacula ceremoniarum. Episcopus ad Contarenũ de cœlibatu. Contarenus.

Cum igitur tam multæ magnæ causæ sint, quæ quidem uobis omnibus notissimæ sunt, ne prohibeatur coniugum, non dubito multos hãc uituperationem coniugij in uestro scripto, magno cum gemitu lecturos esse. Est quædam ita perspicua ueritas, ut non inscitia esse possit, sed sit impudentia fustibus punienda, si quis contradicat, ut cum Academici labefactare principia Geometrica conabantur. Ita cum omnes sani norint quanta Ecclesiæ labes sit, coniugij prohibitio, impudentia Cœlibatus fustibus puniendus.

nō uulgaris est eam defendere. Sed Paulus hac re atrocius loquitur, qui coniugij prohibitionem inquit doctrinam esse dæmoniorum.

Vos uerò non tantum defenditis, sed etiã scurrilem uerborum obscœnitatem, & multa lumnias additis. Decem millia sacerdotum sa iam in Germania, qui sunt coniuges & habe multos liberos. Nec dubium est plurimas matro nas in hoc cœtu Deum uera pietate colere, et h

Eccius impurus redes esse uitæ æternæ. Has omnes Eccius in p stremo suo scripto lupas nominat. Et quidem facetus uideatur, penè in singulis paginis inū sua tanquam Cygnea cantione, idem conuicium repetit. Etiamsi causam non probabat Eccius, p

Augustinus. men erat hominis, sexui parcere. Quantò uer cundius Augustinus, qui tametsi uota solui nolo bat, tamen post uotum, coniugia contracta rati esse uoluit, uidit uir sapiens habendam esse ratio nem mulieris, & de uoto dispensabat, ne iniuri

Canones. mulieri fieret. Nec uetusti Canones primas ac secundas nuptias improbant, tantum à ministerij remouent eos, qui malebant in coniugio uiuere & uitæ genus probant. Eccius spurcissimo os coniugium ipsum damnat, & tot honestas et pia matronas lupas nominat.

Nec profectò quenquam moderatum uirum

in tota

in tota Germania, quamlibet inimicum noſtræ
cauſæ eſſe arbitror, qui non iudicet hanc Eccij ra Colonienſes.
biem à magiſtratibus puniendam fuiſſe. Vos nunc
imitamini, toties uocatis incœſtam, item ſcelera-
tam conſuetudinem, & additis alias contumelio-
ſas adpellationes, & Plautina uerba, quæ non re
citabo, legantur hæ deliciæ in ueſtris libris, non
enim obſcœnitate uobiſcum certabo, etſi mores
quorundam ex uobis ſatis magnam materiam
ſuppeditant. Sed prudentes magiſtratus oro, ut
hanc ueſtram petulantiam coherceant, qui ſi ne-
gligent, uos tamen admoneo, ne contemnatis inge-
nia tot iuuenum, qui iam ex his connubijs nati
ſunt. Vt quiſq; eſt generoſiſsimus, ita maximè ir-
ritatur contumelia matris.

Non dubito autem Deo curæ eſſe familiæ no
ſtrorum ſacerdotum, qui rectè & fideliter docent
Euangelium, & magnas ærumnas propter Chri-
ſtum ſuſtinent. Et ſunt aliqui non obſcuris teſti-
monijs diuinis ornati, quos nominare poſſem.
Seruabit igitur Deus eorum poſteritatem, & adè
tum ad Rempublicam filijs eorum concedet, qui
mihi credite, non obliuiſcentur has contumelias.
Et ne obliuiſcantur, à multis bonis uiris commo-
nefaciendi erunt, qui eos iam optima doctrina
inſtruunt, ut utiliter ſeruire Reipub. & ueſtram

tyrannidem euertere posſint. Tandem ueritas quamuis diu repreſſa, eluctabitur ex præſentibus difficultatibus, & ueſtram hypocriſin, ueſtras calumnias & impoſturas obruet.

Bucerus. Obtulit ſe D. Bucerus ad placidam diſputationem & collationem doctrinæ, nec reprehendo eius conſilium. Sed quid cum ijs diſputare prodeſt qui etiam cùm norunt ſe malam cauſam propugnare, tamē nullum finem faciunt præſtigiarum ne uideantur cecidiſſe cauſa. Quare noluilongas refutationes inſtituere, quid enim attinet hæc futilia diluere? Nemini hodie niſi uolenti imponitur neceſſitas, quia nemo niſi uolens adit ſacerdotium. Pſeudolum iſta decent in comœdia.

Fingite onus eſſe uoluntarium, num propterea lex ualet ſuperſtitioſa, maximæ multitudini impoſsibilis, impediens ueram inuocationem, & exitioſa magnæ parti cœlibum? Nemo niſi uolens pecuniam à fœneratore mutuam ſumit, num propterea lex quæ adprobauit fœnus, iuſta fuit? Deinde quomodo uolentes dicuntur, ut qui data pecunia uitam redimunt à latronibus. Itaq; multos pios & doctos deterrent à miniſterio. Quare iniuſtiſſimum eſt addi neceſſario ordini tam periculoſum onus. Dament, inquit carnem, cur ipſi non domant?

Vtinam

Vtinam crederent uerè offendi Deum impuritate & incendijs animi & corporis in hoc genere, utinam intelligerent quæ uirtus sit castitas, quàm grata Deo? Etsi natura hominis in hac imbecillitate, prona est ad uitia, tamen gradus sunt huius rei. Natura tenera dum crescunt corpora & ante ἀκμὴν talis est, ut nondum ei aliqua coniugali consuetudine opus sit. Ideo in ea ætate si mediocris diligentia & aliqua pietatis exercitia accedunt, puritas rectè conseruari potest. Id sciat iuuentus, ut maiore cura regat mores, nec difficultatis opinione remittat diligentiam. Gradus humanæ naturæ.

Multos implicat Diabolus uarijs uitijs, quæ natura adhuc tenera reformidat. Has insidias diaboli, & praua sodalitia cauere iuuentus discat, ac cogitet Diabolum longam telam texere. Cùm semel sunt impliciti, postea plures lapsus, & graues pœnæ in omni uita sequuntur, quia uox Dei non fallit, quæ ait, scortatores & adulteros iudicabit Deus.

Postea homo uegetus in ἀκμῇ magis experiri uires suas potest. Si donum habet, ut mediocri diligentia adhibita retineat ueram puritatem corporis, præclarè facit, si hoc donum tuetur. Sed si mediocris diligentia non proficit, mandatum Dei est, ut coniugio utatur, sicut diuinitus sancitum

est, & in eo uitæ genere purè uiuat. Est igitur hic

Castitas in coniugio.

quoq; castitas, consuetudo coniugalis, cum puritate illa coniuncta, quia seruatur naturæ ordo, quem Deus instituit, qui & coniungi marem & fœminam certa lege, & hos coniunctos non usqueri affectibus, nec alijs modis contaminari, uoluit. Et pij hac uoluntate uiuentes in coniugio retinere conscientiæ puritatem, & inuocare Deum possunt. Mandatum clarè extat apud Paulum: Vitandæ scortationis causa, unusquisq; uxorem suam habeat. Item: Ne erretis. Nec scortatores, nec adulteri regnum Dei possidebunt. Hæc fulmina opponimus superstitiosis canonibus, qui coniugium prohibent.

Si qui uerò spreto diuino remedio ruunt in libidines, non retinent conscientiæ integritatẽ, nec possunt Deum inuocare. Sequitur ergo aut Epicureus contemptus Dei, aut desperatio, ac reos ostendit maximam partem sacrificulorum in tali Epicureo contemptu Dei, totum uitæ curriculum conficere. Hæc qui uerè mala esse ducunt, legem cœlibatus execrentur.

Sed potest, dicitis, seruari domita carne, Consentaneũ est aliquos fœcundos etiam in ἀκμῇ, sed occupatos magnis & ueris curis, tantisper dum

Augustinus.

sunt occupati, retinere puritatem, ut Augustinus,

nus, etsi iunior uixit liberius, tamen postea cum incidisset in certamina acerrima cum hæreticis, cumq; admotus gubernationi perpetuis curis exerceretur, facilius hæc incendia restinxit. Et tamen querelas multorum talium legimus. Reliqui sunt alij tranquillius uiuentes, qui etsi luctantur secum, tamen puritatem corporis non retinent, ut Gerson alicubi significat. Hæc non est castitas, sed uitæ ratio dissentiens ab ordinatione diuina. Et hi motus incompositi sæpe uulnerant conscientiam, ac impediunt inuocationem Dei. Quare Paulus dixit: Melius est nubere, quàm uri.

Primùm igitur in hac disputatione cogitet pia mens mandatum Dei, quod præcipit castitatem, id est, puritatem animi, & corporis, & consideret horribiles comminationes et pœnas, quibus Deus iram suam aduersus corporum contaminationem declarauit. Notæ sunt historiæ. Inter diluuij causas recẽsentur libidines, postea Sodoma deleta, occisa uiginti quatuor millia hominũ in deserto, suspensi omnium tribuum Principes. Tribus Beniamin ferè funditus deleta, propter stupratã Leuitæ coniugem. Dauid propter adulterium regno expulsus est. Causæ excidij Ieroſolymæ, à Ieremia nominantur duæ præcipuæ, idolorũ cultus, et adulteria, propter has causas et cætera regna toto or-

Mandatum Dei præcipit castitatem.

Pœnæ libidinum.

be terrarũ uarijs tumultibus quaſſata, et mutat
ſunt. Troia euerſa eſt propter raptam Helenam
Romæ Reges pulſi ſunt propter ſtupratam Lucre
tiam. Aegyptij Reges propter uarias libidines i
leti ſunt. Deniq; cur Turci Aſiam, Græciam, Illy
ricum, Pannoniam oppreſſerunt? Non dubium eſt
præcipuè puniri hac triſti ſeruitute propter pro
phanationem Cœnæ Domini, & libidines.

Vera caſtitas. Quare cogitatione mandati diuini, & pœna
rum, nos ad caſtitatem excitemus, et quæ ſit uera
caſtitas diſcamus ex teſtimonijs diuinis, non ex
rancidis Canonibus. Si cui donum contigit, dili
gentia tueatur, ſi quis puritatem corporis extra
coniugium non retinet, ducat coniugem, iuxta le
gem dei, ut in eo uitæ genere caſtè et purè uiuat,

Coniugij exercitia. & ſciat hoc ordine conditam eſſe hominum natu
ram, ut σοχγὴ ſit mutua in utroq; ſexu, et mariti
ſuſcipiant curã defendendi & fouendi alterã par
tem generis humani: Deinde ſciat hoc ipſum uitæ
genus non leuem militiam eſſe, quia mulieri labo
res pariendi, & educandi ſobolem, uiro multiplices
curas domeſticas adfert, in quibus uult Deus
fidei & dilectionis exercitia lucere. Nec tantum
domeſticis curis implicatur maritus, ſed etiã ciui
libus, magis ei propter familiã imbecillẽ opus eſt
communi pace, magis ſtatu mediocri poſteritatis.

Harum

Harum igitur rerum cura, etsi adsici aliquos cœlibes, ut Baptistam, Christum, Paulum & alios uidemus, tamen hi Heroici motus non solent esse in uulgo cœlibum, quod expeditè uiuit, non ut se curis publicis oneret, sed ut pericula & molestias fugiat. Μεγάλη τυραννὶς ἀνδρὶ τέκνα καὶ γυνή, inquit Euripides, uerum est difficilem seruitutem esse coniugium, sed Deo grata est, cũ mens rectè eam sustinet, exercet inuocationem, meminit generationem sic à Deo institutam esse, qua quidem procreandi sint homines in Ecclesia æterna Deum celebraturi, nec uult tam mirando opere generationis abuti, ut cœlibes horribiliter abuntur. Suscipit & reliqua negocia familiæ, ciuitati, Ecclesiæ suæ necessaria. Nam ut hæreditatem, ita honestum ciuitatis statum, et Ecclesiæ puritatem liberis præstare debet.

Nazianzenus episcopo patre natus.

Tales fuerunt coniuges plurimi non solùm in populo Israel, sed etiam Episcopi ueteres, scitis Nazianzenum patre Episcopo natum esse. Is cum prædicat parentum coniugium, narrat tantam eruditionem et pietatem fuisse matris, ut patris fidem sua collatione & disputatione sæpe erexerit & confirmarit, ait & non solum in domestica consuetudine eam lenijsse curas patris, sed etiam cum authoritate in cœtu mulierum ua-

leret, plurimùm ad publicam concordiam gratuitatem ipsius profuisse. Tales multæ fuerunt familiæ præsbyterorum initio, & nunc noui tales multitudines, quarum exempla prosunt totis ciuitatibus.

Christus hortatur ad contrinentiam.

Constituta igitur definitione castitatis, redeo ad refutationem calumniarum, quæ sunt in libro delectorum. Hortatur Christus, inquiunt, ad continentiam, Bucerus dehortatur. Vtri auscultandum? ac tales antitheses multas coaceruant, ut sic cum rudibus faciant. Vera et firma responsio est: Christus hortatur idoneos ad cœlibatũ, ut domum recte tueantur: Idem Christus ijs, qui puritatem extra coniugium non retinent, præcipit ut puri in coniugio uiuant. De his & Bucerus loquitur, prorsus ut Paulus, qui ait: Vitandæ scortationis causa, suam quisq; uxorem habeat. Item: Melius est nubere, quàm uri.

Immundi cœlibes nõ possunt inuocare.

Cœlebs curat ea, quæ sunt Domini. An de cœlibe immundo loqui Paulũ existimatis, qui aut ruit in libidines, aut infœliciter cũ natura fœcunda luctatur. Tales cœlibes cum inuocare Deum nõ possint, quomodo curabũt res diuinas? Cœlebs dono præditus, & occupatus sua militia, ut Baptista, Paulus, Athanasius, expeditior est ad omnes subitos casus, qui incidunt in tãta mole gubernationis. Sed hic heroicus gradus non est uulgaris. Ce-

teri

teri igitur fœcundi in ſua mediocritate fideliter ſeruiãt. Hi etſi diſtrahuntur curis domeſticis, uxoris, liberorũ miſerijs, tamen retinent caput, uidelicet bonã conſcientiam, ut inuocare deum poßint. Hæc res ueram tranquillitatẽ parit. E contra in mundi cœlibes hoc præcipuum bonũ amittunt, et prorſus à Deo auelluntur, et qui æſtus animi, quæ perturbationes, quæ mala ſequantur, notum eſt.

Nos coniugium Sacerdotum eò defendimus, ut ſeruire Deo bona conſcientia Sacerdotes poßint. Vos cur propugnatis cœlibatum? Adeò ne omnes homines ubiq; terrarum ſtipites eſſe iudicatis, ut cauſam nemo uideat, nemo ſuſpicari poßit? Num propugnatis, ut uita ſit purior? ac conſtat quales ſint mores maximæ multitudinis. Num in uitæ puritate inuocatio minus ſit impedita? Imò ut quiſq; maximè intelligit inuocationẽ, ita maximè optat hoc onus ſublatum eſſe. Num ut expeditiores ſint ad eccleſias docẽdas? quotus quiſq; docet. Vna eſt uera et ſola cauſa tuendi cœlibatus, ut opes cõmodius adminiſtrentur, & ſplendor ordinis retineatur. Propter hanc cauſam, quæ in eccleſia minimè ualere debebat, à potẽtibus lex impia defenditur, et multi pij ſacerdotes interfecti ſunt. Hæc delecti non ignorant: Et tamen ſimulant ſe pietatis cauſa cœlibatum, & Vota tueri, eaq́ue ſciunt non

ueris

ueris cauſis, ſed iniuſta ui et crudelitate defendi.

Concio leporum.

Etſi autem ſcio nobis obijci apologum, quem recitat in tertio politicorum Ariſtoteles, uidelicet, ut quondam lepores cum leonibus iura daturi eſſent, dilanitati ſunt, ita nos fruſtra concionari potentibus, & nobis tantum accerſere ærumnas. Non poteſtis, inquiũt, cogere ſummos ordines, ut uſitatam legem aboleant. Quid fruſtra in Republica uociferamini? Talia ſunt Eccleſiaſtica certamina. Et quanquam humanis iudicijs non dirimuntur, tamen non ſunt inutilia. Ridebant Pontifices & Principes Ieremiam, Baptiſtam, Chriſtum, Apoſtolos, donec Ieroſolyma euerſa certamen diuinitus diremptum eſt. Interim tamen doctores illi aliquam Eccleſiam collegerant. Ita & noſter labor non planè irritus eſt. Si non flectere poſſumus potentes, at aliqui priuati mouentur, ut fugiant, ut execrentur idola & libidines. Et ueritas in Eccleſia dicenda eſt, uel ſi fractus illabatur orbis. Quo tempore in Sodomis et uicinis oppidis ſumma fuit morum corruptio & turpitudo, duo uiri erant in uicinia, Sem, & Abraham, qui ſuis concionibus hæc tanta flagitia acerrimè taxabant. Sem penè in conſpectu urbis Sodomorum in Salem domicilium habebat, quæ non plus octo miliaribus diſtabat à Sodomis. Et

Sem.

niderat

uiderat hic uir mundum ante diluuium, audierat primordia generis humani à certißimis teſtibus, gubernarat Eccleſiam poſt diluuium annos iam quadringentos, antecellebat ſapientia, uirtute, ætate, omnibus hominibus eius temporis. Abraham uerò etiam recens, ingenti beneficio urbem adfecerat, cum profligato exercitu hoſtium, captos ciues recepit, & in patriam ſaluos reduxit. Horum tantorum uirorum autoritate & uoce, nihil mouebantur urbium illarum Principes. Quid miremur igitur noſtras conciunculas rideri? qui ſumus uere, ut inquit Chriſtus, puſillus grex. Sed tamen hunc puſillum gregem curæ eſſe Deo ſcio: Nec erunt irriti noſtri labores. Multæ ſunt bonæ mentes, quæ illuceſcēte Euangelio, ueram Dei inuocationem diſcunt, et idola ac commenticios cultus fugiunt. Piget immorari huic diſputationi, etſi de dignitate Coniugij honeſta eſt oratio, ſed eò inſuauius eſt hoc certamen, quia nec aduerſarij, nec delecti in hac cauſa dicunt ingenuè quod ſentiunt. Prætextu pietatis defendunt Cœlibatum et uota, cum ſciant tantum retineri hanc formam politiæ ſuæ, quia ad opum adminiſtrationem & ad ſplendorem retinendum eſt commodior. Finio igitur diſputationem, ſed ita, ut eos qui Deum uerè colere, et ſuæ ſaluti conſulere Abraham,

Vota. lere cupiunt, adhorter, ut illa uincula impia fu-
giant. De uotis etiam cò non est opus longa ora-
tione. In monasterijs fiunt tetræ prophanationes
Missarum, inuocationes mortuorum, et exercen-
tur multæ superstitiones aliæ. Hæ satis euidentes
causæ sunt, quæ uota soluunt, & liberant addi-
ctos huic generi uitæ. Vera est enim regula, uo-
tum non debere esse uinculum iniquitatis. Certè
non debet alligare hominem ad idolorum cultum.
Non est igitur ad hanc ætatem accommodanda
lex Iouiani, quæ loquitur de uirginum collegijs,
in quibus nondum erant uitiosi cultus, qui nunc
defenduntur. Et raptus ea lex prohibuit, quos
Iulianus, odio nominis Christiani concesserat.
Sed uos quidquid usquam in omnibus chartis o-
diosissimum inuenistis, quod quoquo modo de-
torqueri aduersus nostros potest, in hoc scri-
ptum uestrum congessistis, ut doctrinam ueram
& pijs utilem qualibuscunq; præstigijs obruere-
tis, & uestram tyrannidem confirmaretis. Mul-
tis iam seculis captiui et captiuæ in Monasterijs,
iustas & necessarias causas habent deserendi
Monasticea, contaminatam multis uitiosis cul-
tibus. Est enim mandatum immutabile: Fugite
idola.

Dicã ex animo quod res est: Magno cum dolo-
re legi

re legi illam uerborum immanitatem, cum delecti connubia piorum hominum nominant incesta, sacrilega, scelerata. Atrox oratio est, & pertinet crimen ad omnes nostros Principes & Respub. Nam si esset incesta consuetudo, non minus legibus punienda esset, quàm parricidium. Graue enim scelus est incesta coniunctio, & sæpe cladibus publicis punitur, ut Thebanæ & Aegyptiæ historiæ indicant. Vtinam delecti suos mores contemplarentur, qui non leuiter polluunt Ecclesiam, & uerecundius de pijs hominibus, & de nostris ciuitatibus loquerentur.

Atrocitas aduersariorum in connubio piorum.

Prætulit Bucerus periculoso cœlibatui pium coniugium, duxit uirginem honestam Elisabetham, quæ cum ex Euangelio didicisset, fugienda esse idola, uolens reliquit monasticas superstitiones, fugit statuarum adorationes, mortuorum inuocationes, prophanationem cœnæ Domini. Nupta igtur uiro ita uixit, ut eius pietas, pudicitia, & in omni actione modestia, multis bono exemplo essent, fuit puerpera tredecies, sustinuit ærumnas uon leues, matri obeundas, rexit œconomiam magna sedulitate, docuit filias, fuit officiosa erga mulieres pauperes. Poterat cum familia fugere grassantem Argentinæ pestilentiam, nisi maluisset socia esse periculorum mariti, quã ex statio-

Buceri uxor honesta.

ex ſtatione ſua diſcedere noluit. Cum igitur contagia non poſſet uitare, oppreſſa morbo, deceſſit, ſed antea ſe Deo fiducia Mediatoris, piè commendauerat.

Nihil ne ſceleris eſſe iudicatis, quod talibus matronis mortuis, & uiuentibus, quæ ſunt Chriſti membra, maledicitis? Exaggerate Canonum autoritatem quantum uultis, tamen hoc uniuerſa eccleſia fatebitur, idola fugienda eſſe. Nõ ſunt igitur inceſta, non ſacrilega, non ſcelerata connubia, quæ deſerta impia monaſteriorum ſeruitute contrahuntur iuxta Euangelium, ut Deus pura conſcientia inuocari poßit.

Buceri altera coniunx.

Sed reſtat maius crimen, ut delecti uociferatur, & prorſus inexpiabile. Mortua priore coniuge, duxit ſecundam D. Bucerus. Hic tenent irretitum laqueis Canonũ, ut putant, inextricabilibus, hic torrendum eſſe cenſent in tauro Phalaridis. Nihil agam aſtutè. Nuſquam uetuſti Canones damnant tale Coniugium, tantum à miniſterio remouẽt eum, qui ducit ſecundam. In ueſtro ſcripto damnatur pia ſocietas coniugũ. Cum autẽ noſtro tempore pauci ſint idonei doctores, anteferatur illi Canoni Eccleſiæ utilitas. Quanquam cur nobis toties Canonum ſententias obijcitis, cum magna ex parte mores ueſtri publici et priuati diſ-

ſentiant

sentiant ab uniuersa politia Canonum, qui cum iure diuino congruunt? Sed usitatum est hoc quoq; hypocritis, colare culicem, et deuorare camelum.

Paulus. At Paulus iubet Episcopum unius uxoris uirum esse. Rectè. Et qui mortua priore coniuge, ducit secundam, unius uxoris uir est. Et hanc esse Pauli sententiam uetusti Canones indicant. Etsi autem posterior ætas durius interpretata est Paulum, tamen certum est noluisse eum pijs doctoribus ulla periculosa uincula injicere. Norat Ecclesiæ opus esse pijs & doctis ministris, norat cauendum esse, ne inuocatio Dei impediretur. Ideo nominatim concedit eligi castos maritos.

Ociosum genus hominum Canonici. Vos cùm ad gubernacula Ecclesiæ sedeatis, maximè iuuare & ornare Euangelij ministerium oportebat, & ut gloriam Dei illustraretis, & ut saluti populi consuleretis. Hoc scitis esse summi ordinis proprium munus. Sed quid agitis? maxima pars eorum, quos in summũ fastigium euexit Ecclesia, non docet. Desunt multis locis pastores, stipendijs interim fruuntur ocioſi Canonici. Deinde uagantur monachi ut doceant, qui uel ignorant Euangelium, uel adfectibus aliorum seruientes confirmant idola.

Religio Papistica. Religio interim in quibus rebus populo sita sit, ipsa templa uestra ostendunt, in quibus quanta uarietas est statuarum?

Alibi colitur Anna, alibi Maria, alibi stat Se
natius cui pendet de collo marsupium, quia puta
tur seruare ijs pecuniam à quibus colitur, deni
talia simulachra innumera in his præsertim loc
uidetis. Ad hæc concurrit uulgus magna frequ
tia, has cæremonias putat esse religionem. De
ra inuocatione, de Christo, de ueris officijs pieta
tis, de disciplina Ecclesiæ silentium est. Interi
uos, cùm Euangelij ministerium negligatis, ipsi
pellere etiã idoneos & salutares doctores ab hi
necessario munere conamini, prætextu obsole
Canonis, de eo qui mortua priore coniuge, pie
honestè ducit aliam, & hanc habet unicam.

Sed quid disputo, cùm nihil prorsus agam
candidè. Non de illo ueteri Canone dimicatis, si
tantùm quæsitus est à uobis prætextus, ut quo
quo modo arceretis D. Bucerum. Lucem Euang
lij formidatis, & stabiliri uultis populi errore
& superstitiones, ne ocium uestrum interturbe
tur, ut nihil aliud dicam.

Dixi initiò me de paucis locis breuiter resp
surum esse, uel commonefaciendi lectoris caus
uel ut constet nos huic Colonienſi scripto recla
mare. Neq; enim dissimulanda erant tam atroci
conuitia. Prætereo igitur uolens magnos acer
uos calumniarum, quas liber delectorum undiq
conuerri

conuerrit, & ab honestis lectoribus peto, ne de Ecclesijs nostris, aut docentium uoluntatibus & genere doctrinæ ex maledico scripto Colonienſi iudicium faciant, sed ex ueris testimonijs. Ego quid profitear in singulis articulis doctrinæ ecclesiasticæ in meis scriptis ingenuè, planè, & sine sophisticis labyrinthis exposui. Et hanc esse cõmunem doctrinam Ecclesiarum nostrarum scio, nec dubito hoc totum doctrinæ genus, quod sonat in Ecclesijs nostris, uerè esse consensum Ecclesiæ catholicæ Dei inde usq; ab initio. Terra mihi potius dehiscat & obruar tota Aetna, quàm uelim defendere ullas corruptelas doctrinæ cœlestis, aut pugnare cum Ecclesia Dei, in qua cupio ut in æterna schola post hanc uitam etiam uidere filium Dei, patres, Prophetas, Apostolos, & eorum frui doctrina et familiaritate. Hanc futuram scholam mente intueor, quoties in nostras scholas ingredior. Nec uelim unquam meum iudicium ab illis optimis doctoribus seiungere. Cumq; audierim Bõnæ Bucerum, sum ei testis, purè ipsum & fideliter summam doctrinæ Christianæ integrã tradidisse. Schola æterna.

Ad id sanctißimum munus cum grauißimo consilio Archiepiscopi & Principis accersitus sit, cumq; præstet in docendo fidem, diligentiam & moderationem, dignam pio doctore, iniustè Doctrina Bucri sana.

uocationem ipsius reprehenditis. Negari non
test diu à uobis neglectas esse ecclesias. Quem
tur magis decuit cogitare de salute populi, qu
Episcopum & Principem, qui multorum sen
tias, & in his uestras quoq; audire, & consu
uoluit, nec aliud in hac ætate & grauitate qu
rit aut spectat, nisi ut populi saluti consulat. V
ipsi scitis non uti eum amicitia, nisi optimor
uirorum ex summo ordine, quorum prudentia
& uirtutem scitis probatam esse grauissimis R
gibus & Principibus, nec quicquam sine his a
cis constituit, Quare de eius consilio & uolunta
te modestius uos pronunciare & scribere decu

Tragicus epilogus.

Addiderunt delecti tragicum epilogum suae
minationi, oratorum more, in quo primùm de op
bus ecclesiasticis declamitant, postea nostras eccl
sias miscent Anabaptistis, & omnes omniũ furo
res in nos transferunt, ac obliti sua scelera, pro
pter nos plecti Germaniam publicis calamitati

Opes Ecclesiarum.

bus aiunt. Pauca primùm de opibus Ecclesia
rum respondeo: Scio sapientes angi de concor
dia, autoritate gubernatorum, politico statu Ec
clesiæ. Hæc, si uerè uellent iudicare, tueri non di
ficulter posset, si hoc ipsum doctrinæ genus, quod
profitemur, admitterent. Nam Euangelium con
cionatur de agnitione & inuocatione Dei, &

munit

munit politicum ordinem. Sed dum idola & iniusta uincula tueri potentes conantur, dißidia sequi necesse est: Et ex dißidijs in utraq; parte multum mali existere solet. Hoc quanquam ita accidit, tamen ueritatis professionē omittere nō possumus.

Nec motæ sunt hæ controuersiæ propter opes, ut leges Agrariæ. De luce doctrinæ disserimus, hanc retinere cupimus. De opibus & imperijs illi deliberent, ad quos ea res pertinet, & si profecto æquißimum est nobis ignosci, cùm dolemus fame contabescere pios pastores, & pauperes scholasticos, & his mediocrem uictum præberi, & iuuari studia petimus. Sint si ita uolunt, magna collegia nobilium, quorum uirtus & autoritas posßit esse usui Reipublicæ. Quis hæc reprehendit? Satis supereſt Ecclesiasticarum opum alibi, unde iuuari pastores, & scholastici, & prouehi studia possunt. Nec uos delecti ignoratis canones præcipere harum rerum caram gubernatoribus Ecclesiarum & imperiorum.

Quòd uerò dicitis inhiare reformationem opibus cleri, hunc esse Christum, cui seruiamus, modestißimè respondeo, & Bucero, & Principibus, & multis alijs atrocem iniuriam fieri, nec regeram crimen. Nam utri magis de opibus dimicent, minimè est obscurum. Mendacium cleri.

Nequaquam consentaneum est tot sapientes Principes, tot Senatores cordatißimos ulla mercede quantumuis magna, uoluisse sibi tantum periculorum et curarum accersere, quantum adfert Euãgelij professio. Quid nos scholastici? qui propter amorem literarum, cùm tranquillitatem quibus, & dignitatibus antetulerimus, tamen hanc etiam amittimus in hac militia confessionis, cùm in studijs iucundioribus uersari mallemus. Sed Deus tandem dijudicabit quid utriq; spectarint, quem oro, ut petulantiæ uestræ frenum injiciat.

Ecclesiæ tenuia hospitia.

Exulat Elias apud uiduam Sareptanam, cùm impij sacrificuli in regno florerent dignitate & opibus. Ita plerunq; uera Ecclesia habet hospitia tenuia, & magnæ opes sunt penes Euangelij hostes. Quare scimus nos inopiam nostram boni consulere debere, eamq; arte ferre. Sed alij erunt, quos ad rationes retrahent. Neq; tamen deerunt nobis hospitia, nam & librum cœlestis doctrinæ, & studia alicubi conseruari oportet.

Postremò non contenti hac seuicia maledictorũ de incestis, & de sacrilegis, lapides tollunt, & nos iam prorsus obruere & extinguere conantur. Miscent nos Anabaptistis, clamitant propter nos, tanquam propter ἀλάσορας, toti rerum naturæ Deum irasci, hinc morbos & Turcica bella

oriri.

oriri. Audis lector usitata præconia, quibus pij Doctores ab atheis hominibus ornantur. Ita & Paulus inquit: Apostolos duci καθάρματα mundi. Nec aliud onus pij grauius sustinent, quàm hæc iniustißima iudicia hypocritarum. Quare pios toties consolatur uox diuina, ne frangantur animis propter tam uirulenta conuitia. Toties autem testati sumus, quid sentiamus, & non solùm scripta nostra, sed etiam Respub. ostendunt, nos abhorrere ab Anabaptisticis furoribus, qui magna ex parte in ijs locis orti sunt, ubi populo uocem Euangelij non licuit audire. Veræ Ecclesiæ tituli.

Constat nostrorum literis clarißimè discerni à politicis rebus, seu ab imperijs, regnũ Christi, constat magis illustratam esse dignitatem uitæ ciuilis nostris scriptis, quàm ueterum. Quare et Ecclesiæ nostræ suo iudicio uitant Anabaptistarum deliria, & ad ea reprimenda alibi nostras lucubrationes prodesse arbitramur. Quæ enim extant uestra scripta contra Anabaptistas, aut quomodo eorum hypocrisin refutare Monachi possunt, qui similes ineptias profitentur, pietatem esse abdicare reproprium, sordido uestitu, quasi perpetuum luctum simulare, abijcere et contemnere uocem Euangelij de iustitia fidei, et è contra attollere iustitiam operum, induere persuasionem, quod legi Christi regnum et imperia a nostris illustrata.

Dei homo satis facere possit, non discernere perfectam obedientiam, quam lex requirit, à disciplina quam & debent & possunt præstare homines. Hæc Hypocritæ uitæ semina communia sunt Monachis & Anabaptistis.

Nec uerò fieri potest, quin magnæ opinionum morum confusiones, et tumultus in discordijs ciuilibus oriantur. Sed culpa penes eos est, quorum iniusta pertinacia causam præbet discordiæ. Si cederet ueritati error, et cõmunibus studijs pij gubernatores disciplinã regerent, aut nõ orirentur prauæ opiniones, aut natæ ueris et legitimis iudicijs citò obruerẽtur. Sed quia hypocritæ odio ueritatis accendunt discordias, magnæ perturbationes sequuntur: Nam in discordia ciuili, ut inquit Thucydides, nihil mali non inest. Accedunt simul aliæ fatales pœnæ mũdi. Et in hac extrema mũdi senecta, maiores cõfusiones imperiorũ impendẽt, undiq; igitur premitur et concutitur uera Ecclesia, id est, pij sonantes Euangelij uocẽ dispersi passim in imperijs mundi, quos quidem oportet intelligere et quæ sit Ecclesia Dei, et quæ ærumnæ ferendæ, et quæ certamina suscipiẽda sint, et ad has tantas res animum præparare, ut puram Euangelij doctrinam defendant, & alijs tradant. Exitus uerò commendent duci Christo gubernanti suum

Hypocritæ sectant discordias

cœtum,

cætum, qui etiam illa immania cõuitia tandem re
futabit. Etsi autẽ fortaßis aliquibus hæc mea re= Philippi lenitas
ſponſio uidebitur aſperior, tamen ſi legent Colo=
nienſe ſcriptum, magis me lentum et infantem iu
dicabunt, quàm uehementem, quod ſæuiciam ſty=
li delectorum non depello acrius. Noui mei inge=
nij imbecillitatem, et ut in tranquillo flumine na=
uigare, ita in placidis diſputationibus uerſari ma
lim, quàm contendere maledicendo. Habent dele=
ctũ ſuum theatrum, à quo ſciunt ſibi plauſum da=
ri, et ex quo iudices deligunt. Prouoco et ego ad
Eccleſiæ iudicia, hoc eſt, ad omnes pios et erudi=
tos, qui has controuerſias dijudicant, ubicunq;
ſunt. Nãaliter hæc certamina dirimuntur, quàm
cauſæ forenſes Rectè conſtituit Baſilius iudiciũ: Baſilii iudiciũ.
ἀλλ' εἰσὶν ἐπίσκοποι κληθῶσιν εἰς ἀκροάσιν, ὅσοι
κλῆρος κατὰ πᾶσαν τὴν θεοῦ παροικίαν συνηχθή
σαν οἱ δοκιμώτατοι, λεγέτω μετὰ παῤῥησί=
ας ὁ βουλόμενος, ἵνα ἔλεγχος ᾖ τὸ γινόμενον καὶ
μὴ λοιδορία. Vtinam ritè conſtitueretur iudici=
um Eccleſiaſticum. Sed uos aſtutè cauete uobis,
præſcribitis qualem iudicem uelitis, uidelicet, uo Iniqua iudiciæ uitanda.
bis addictum. Multi ſunt Apologi, qui monent,
iniqua iudicia uitanda, ſed recitabo recens exem
plum longè uenuſtiſſimum omnium, quæ uel le=
gi, uel audiui. Duo ſunt in Gallia uiri excellenter

Castellanus & Bigotius Galli

docti, Castellanus et Bigotius. Et quia Castellani disputationes crebrò à rege audiuntur, hortatur quispiam ex proceribus, ut Bigotius etiam audiatur. Interrogat rex in quo doctrinæ genere uersetur. Cumq; alij honorifico testimonio eum ornarent, tandem Castellanus, quia augeri eius opinionem nolebat, interpellans, quid inquit, tantopere prædicatis: Est Aristotelicus. Rex interrogat, qualis sit ea descriptio. Dicã, inquit, Castellanus: Aristoteles ἀριστοκρατίαν adfirmat meliorẽ statũ esse, quàm regnum. Hac uoce apud regem sciebat se omnẽ autoritatem, et Aristoteli et eius studiosis detraxisse. Cumq; rex interrogaret, an hoc scripserit Aristoteles, et cæteri id adfirmarent, audisseq; defendere Bigotiũ Aristotelicas sententias, delirare Aristotelem inquit, & negauit se defensorem harum ineptiarum auditurum esse. Facile uicit Castellanus tali iudice. Hæc narratio imago est iudicij, quod Delecti in libro suo constituunt. Nec nos defugimus cognitionem, sed maximè optamus iudicio uerè Ecclesiastico latius propagari ueritatẽ, et iusto modo tranquillitatẽ Ecclesiæ muniri. Sed quantulũ hæc curã tangat potentes, res ipsa ostendit. Interea tamen pij iudicãt, et regulam norunt, uidelicet, doctrinam Propheticam & Apostolicam, et primæ Ecclesiæ testimonia, ut

supra dixi. Sciunt Ecclesiam extructam esse supra fundamentum Prophetarum et Apostolorũ. Sciunt horum uocem audiendam esse, et anteferendam prauæ consuetudini, quamuis longi temporis. Si uerè iudicamus Deum se patefeciſſe in hoc uno genere doctrinæ, quod tradidit Prophetis et Apostolis, hanc normã sequi necesse est. Sed multi prophani nunc cogitant, ecclesiam politiam esse similem Atticæ, aut Laconicæ, constitutam humanis consilijs, ac propterea semper præsentem formã tranquillitatis causa tuendam esse. Et multi sic sentientes, harum controuersiarum iudicijs præficiuntur, qui hac fascinati persuasione, manifestissimam ueritatem opprimere conantur. Non enim litigamus de rebus obscuris aut perplexis. Necreuerenter sentiunt de Cœlesti doctrina, qui existimant perplexam et ambiguam esse. Agnoscit se et inuocari Deus uoluit, et filium iussit audiri, qui ex sinu æterni patris Euangelium proferens, certam doctrinam ecclesiæ suæ tradidit. Hunc doctorem qui audiunt, facile has controuersias dijudicare possunt. Ad hos prouoco, et oro Deũ æternum patrẽ Domini nostri Iesu Christi, ut propter filium nos regat spiritu sancto, & Ecclesiam suam augeat & seruet.

Ecclesia dissimilis politiæ.

SIT LAVS DEO.

DE

DE LEGIBVS ORATIO Phil. Mel.

DEsiderant in me plusculum fortasse pudoris aliqui, cũ assiduis declamationibus, et infantiam meam uulgò traduco, & humanissimis in hac schola, patientissimisq; auditoribus toties odiose obstrepo. Ego uerò agnosco mearum uirium imbecillitatem, meoq; me pede metior: et cum de me ipso censuram ago, sentio quàm non satisfaciam politissimis quorundam auribus. Verùm cum prouehendæ rei literariæ causa, hoc, quicquid est operæ, à me sumatur, studiũ meum quæso boni consulite. Nam cum pars quædam publici muneris in hac schola delegata sit, parum meminisse uiderer, quam sustineam personam, nisi de adolescentium officio nonnunquam dicerem.

Quod cum pro uirili faciam, eas q; disciplinas iuuentuti commendem, quibus neglectis, cum religionem, tum res bonas alias labefieri necesse est, facile, ut spero, impetrabo, ne mea mihi sedulitas fraudi sit. Sunt enim fauore, studijsq; omnium, iuuandi eorum conatus, qui literis non pessimè consultum uolunt. Neq; aliam ob causam modò dicere instituimus, quàm ut ijs, qui hic ex more declamare

mare solent, si qui forsan imbecilliores sunt, meo exemplo nonnihil animi addam, & tanquam classicum canam: Deinde, ut eruditos omnes publica uoce rogitem, ut in hanc arenam, & ipsi aliquando descendant, cum pueris colluturi. Socratem nihil puduit natu grandem, cum paruis filiolis equitare, ut ille ait, in arundine longa: quanto minus uobis uitio poterit uerti honestissimus conatus, si cum hoc grege de literis nonnunquam commentemini, quarum causa quicquid susceperis, quando mortalia nihil diuinius habent, laudem meretur. Quæso itaq; ut scholæ operam suam ea in re candidè impertiantur, quicunq; literis benè cupiunt. Sic enim statuo, præclarè de rebus humanis mereri, qui puerilia studia honestis exemplis accendunt. Iam & meam facilitatem ita demum probari uobis iudicabo, si imitari cœperitis, quæ si silentio uestro damnata fuerit, bone Deus, quã ipsi nobis displicebimus.

Socrates exemplum pueris.

Sumus autem de legibus dicturi, deq; eo iure, quod in scholis hoc tempore, & in iudicijs, in bona Europæ parte regnat. Nam eæ literæ non nuper malè audire cœperunt, cum alijs prophanarum legum parum pia professio, indignaq; Christianis uidetur, alij satius ducunt, ut iudicia non improbent prorsus: nam id nec Scythæ solent,

Omnia ex legibus iudicanda.

res

res ex æquo & bono ſine ſcriptis legibus iudicare. Horum calumnias pro noſtri ingenij mediocritate, refellere conabimur, ut eos qui ad regendam Rempub. olim acceſſuri ſunt, ad huius diſciplinæ ſtudium inuitemus. Prægrauant autem hanc cauſam mirificè hoc tempore Doctorculi quidam, qui cum uerè ſint ἄθεοι, tamen Euangelij prætextu tyrannidem gerunt, & pro libidine cum humanas, tum diuinas leges figunt ac refigunt. A quibus ſi impetrari poterit, ut nobis dicendi potestatem faciant, ſunt enim per quam moroſi, docebo breuiter, ſacris literis, non modò non improbari ciuiles leges, ſed præcipi etiam, ut religioſe ſanctéq; colantur, qua laude nulla poteſt amplior legibus tribui. Vbi fidem fecero, ciuilem urbium ſtatum nihil pugnare cum religione, exponam quàm prudenter à maioribus factum ſit, quòd Romanas leges potiſſimum delegerunt, quas in cõſtituendis ciuitatibus tanquam Filum ſequerentur, eas q; ſumma cura à nobis ſtudioq; conſeruandas eſſe oſtendam.

Sacris literis non improbari leges.

Quæ malûm dementia tandem eſt, quis furor, falſo Chriſtiani nominis prætextu, ciuilium rerum ſtatum labefacere & conuellere? Quæ barbaries, qui Scythæ iudicia, æqui & iniqui diſcrimen è medio tollunt? Et audent hoc Chriſto quidam,

quidam, si superis placet, Christiani Doctores tri buere? Quid est, si hæc non est contumelia? Qui ex Gentilibus Philosophis in Christum stylo debacchati sunt? Vnum hoc ferè causificantur, quòd quædam leges parùm uideantur aptæ ad ciuilem consuetudinem, societatemq; hominũ tuendam: Neq; censent ullo probro Christi dignitatem grauius lædi posse. Horum uincunt amentiã nostri, qui in ipso contemptu publicorum morum, & in euertendo uniuerso ciuili statu, pietatem collocant. Adeo de Christi nomine superstitio, peius, quàm qui ex professo insectantur, meretur. Nam cùm uim pietatis ignoret, & pro suo arbitrio sibi Deos somniet, non modò nihilo rectius de Christo sentit, quàm Ethnici, sed pietatis etiam titulum ferè priuatis uitijs prætexit, quo sacrilegio nihil abominabilius fingi potest. Et quia uetuit Deus humano artificio imaginem sui fingi, seq; è suo sermone cognosci uoluit, ubi se nobis uelut in tabula deliniauit, petemus & nos è sacris literis, quid de ciuilibus legibus diuinus spiritus decreuerit: quas cum cœlesti uoce probari audietis, par fuerit, & cognoscere diligentius, & obseruare sanctius. Sese enim contemni Deus iudicabit, si ciuiles leges tãtopere nobis commendatas uiolauerimus. Sed recenseo locos

cos qui legibus patrocinantur, docentq; in rebus publicis iudicia esse constituenda, legesq; rationi consentaneas de rebus hercisciundis, de sontium pœnis, & alijs hoc genus ferri posse.

Loci qui legibus patrocinantur.

Primum ius faciunt nobis sacræ literæ, uel Gentilibus uel Mosaicis legibus in prophanis rebus iudicandis uti. Et cum iudicia ampliſsimo testimonio ornant, tum πολιτείας Mosaicam, & Gentilem iuxta probant. Cum Baptistam milites, haud dubiè de genere uitæ consulturi, rogarent, quid à se fieri uellet, nihil hic exegit, nisi ut suis contenti stipendijs, neminem calumniarêtur, aut concuterent. Porrò cum stipendijs iubet esse contentos, publicum munus, quod illis mandatum erat, planè adprobat. Quis nescit autem Magistratuum arma, leges & iudicia esse, quæ domi uim ac iniuriam à ciuibus prohibent? Quare non dubium est, quin tanti leges faciendæ sint, quanti Magistratum Baptista facit. Paulus Magistratuum autoritatem prædicat, cum gladij usum ordinationem Dei uocat, & Magistratum Dei ministrum. Ac quo oraculo ex diametro dissident, hi qui leges impietatis accusant: Est enim hostis Dei, non minister, quisquis ea suscipit, quæ diuinæ leges uetãt. Qui alterius uxori uitium offert, qui res aliorum fraude interuertit, qui periurio

1. Ioannes.

2. Paulus.

fallit,

sallit, qui bellũ cum superis gerit, nõ minister est, demiq; hostis est, cuiuscunq; functio propriè impia est. Quare cum Paulus magistratum Dei ministrum uocat, non hostem, negat eius prouinciam cum religione pugnare: Contra, qui Magistratus damnant, semel uno nomine omnes Latrones & Dei hostes esse pronunciant: quod quàm non quadret ad Paulinam sententiam, perspicuum est. Quid enim tam dissimile uoluit ille esse latrocinio, quàm Magistratum? Hunc tranquillitatis publicæ custodem, nuncupat Paulus, cum gerere gladium scribit, ut bonos honore adficiat. Quod si latrocinium Magistratus est, custodem bonorum qui cedo appellabit? Iubet enim Paulus piorum uotis Magistratus Deo commendari, ut saluti publicam tranquillitatem tueantur. Idemq; exulaturis Iudæis Ieremias præcipit. Ac incolumitatem latrocinio precari, nihilò magis fas est, quàm bene precari lupanaribus. Tam clarè discernit à latrocinio Magistratum scriptura: inter quæ si nihil interest, sceleratus erat Ioseph, cum in Aegypto imperaret, scelerati Cornelius & Centurio, cuius fidem Christus unicè prædicat, plerique item alij qui Respub. & Gentilium legibus administrarunt. De Iudaicis Regibus nondum dico, quos putant minus posse ad nostra comparari,

III. Exempla pii Magistratus.

sed hos quos recensui, quæso patiamini meliori notæ Christianos fuisse, quàm hi sunt, de quorum moribus posteaquam publicas leges contemnere cœperunt, passim malè audit Euangelium. Sed unde tandem honorifica appellatio? Ecquid præcepit Deus de gladio? Primùm minister Dei is est qui eius iussum facit, quique ex eius sententia cōparat, cui qui auscultat, is non modò nihil peccat, sed, quemadmodum sacræ literæ docent, sanctum etiam officium facit. Præcipit autem Deus morte mulctari eum qui hominem occiderit, quæ lex citra controuersiam totam πολιτείαν complectitur. Etenim ut publicæ tranquillitatis causa fas est de capite hominis iudicare, ita et ad rerum diuisionem, ad leuiora negotia transigenda, quæ do aliter publicæ paci consuli non potest, constituere iudicia licuit. Extat lex in Genesi ad Noe, uniuerso mortalium generi lata, estque confirmata Mosaicis edictis, quæ tametsi solis Hebræis proposita sunt, tamen arguunt Deum probare moderem, cum iudicandi res, tum plectendorum sontium. Nota enim Pauli uox est, Legem iniustis latam esse, quæ monet, ut qui spiritu Christi non frenantur, cum Hebræi, tum reliqui mortales, legibus coherceantur, et tanquam carcere septi, teneantur, ne quem lædant, ne cuius rebus damnum

IIII. Leges ueteris testamenti.

dent.

dent. Eodem impios omnes numero cùm Gentes, tum Iudæos habet, gladioq; seu legi ad unum omnes subdit. Suum autem quoddam Christi regnum est, qui cùm non in hoc se nobis ostenderit, ut humanam πολιτείαν conderet, mundi regnum non labefacit, imò in id extrudit eos, quos à turpitudine non dehortatur pietas, ut uis remoretur. Prodijt Christus, ut cœlestibus muneribus, ut immortalitate pauculos quosdam, tanquam in alium eductos mundum, donaret, non ut ciuitates constitueret. Regibus hanc prouinciam reliquit, tenendam conseruandamq; ocij tuendi causa. Ipse in piorum pectora spiritum suum transfundit, ut diuinitatem cum ijs communicet. Ipse uerbo renouat piorum mẽtes, καὶ μεταχηματίζει. Nihil hec ad mundi regnũ, quod in cõponendis tantum moribus, in arcẽda uiolentia uersatur. Id quod nõ facilè tãtùm fert Christus, sed probat etiã, cùm et suos parêre iubet, et ministeriũ Dei esse fatetur. Quare qui ad Respub. accessuri sunt, hos non modo nõ retrahit religio, sed monet etiã piũ officiũ facturos, si publica munera recte gesserint, si ius cãdidè dixerint. Qui secus docẽt, cùm de prophanis legibus, tum de Christi nomine male merẽtur.

V. Litigare Christus uetat non iudicare.

At litigare uetat Christus. Quis negat? Iudicare uerò non uetat. Quantum autem interſit inter

iudicare & litigare, nemo non uidet. Nam ut ni
torem pulsare deus uetat, non uetat obligare u
nus, si quod is fortè acceperit, ita quanquam o
mortalium inter se execretur, mederi tamen tu
pernicioſis morbis patitur. Quare uita damn
ri patiar, remedium par eſt, ut grato animo co
plectamur. Furit hic uindictæ cupiditate: Ille
alterius fraude occupat. Quos cùm in uiam no
reuocet pietas, iudicum autoritate furor compe
mitur. Nihil Dauid, Moſes, Salomon pecca
runt, quantumuis improbis nebulonibus alicub
ius dixerint. Proinde Chriſtus ut litigantem a
uindictæ amore ardentem damnet, tamen ſuas iu
dicibus partes reliquit, ſiue ex Gentilibus leg
bus, ſiue ex Moſaicis ius dicant. Gentium Re
publicas adminiſtrarunt, Ioſeph, Daniel, Na
man, Centurio, qui ſi flagitium eſt Rempub. ge
rere, uel Gentilibus legibus uti, ordine mouen
ſunt. Verùm nolo hîc longius immorari. Nam &
aliâs accurratè hæc excuſsimus, & pijs mentibu
ij loci quos produximus ſatis fecerint. Tantũ n
clamant hi, qui nec ſacras nec prophanas leges
penſi habent. Chriſtus optima fide cenſum Magi
ſtratui numerat, ut exemplum colendarum publi
carum legum proderet. Id adeo imitari oportebat
eos, qui Chriſtianam libertatem ubiq; fortiter il

VI. Chriſtus cenſum numerat.

ſtant.

stant. Et cum diuino suffragio ius publicum comprobatum sit, pietas exigit, ut & diligenter cognoscatur, & religiose colatur & tractetur. Legumlatores ueteres omnes, quo plus autoritatis suis legibus adderent, Deorum oraculis probatas asseuerabant. Minos fingebatur nouem annorum spacio Iouis usus familiari consuetudine, ab eo constituendæ Reipub. rationem didicisse. Lycurgum ferunt & ab Apolline Deum appellatum esse, & sua edicta ῥήτρας uocasse, quòd oracula uideri uellet. Numã aiunt simulasse nocturnos cum Egeria congressus. Fingebãtur hæc, ut cum diuino indicio adprobatæ leges uiderentur, pluris fierẽt. Quantò sanctius à nobis ius publicum coli debet, cùm id non commenticia oracula, sed certißimæ uoces diuinæ nobis grauißimæ commendarint?

VII. Legum latorum ueterum autoritas.

Porrò cùm constet, nihil pugnare cum Ciuilibus legibus religionem, & in rebus prophanis iudicandis fas esse, uel Gentilibus uel Mosaicis legibus uti, expostulabimus aliquanto liberius cum ijs, qui publico iuri præter meritum iniquiores sunt. Non satis, ita me bene amant Musæ, constituere possum, morosi hi mihi uideantur tantũ, an prorsus furere: nam ut illiberalem conuiuam esse censemus, qui apud amicum præsentem copiam nauseat, ita qui præsentes mores, instituta ac le-

Furiosi sunt legum contemptores.

ges temerè faſtidit, opicus mihi & parum urbanus uidetur. Et cùm in omni uita ſapientiſſimi homines præceperint, communibus moribus tanquam ſcenæ obſecundandũ eſſe, ualde iniuſti ſunt, qui tanquam cum rebus humanis bellum geſturi, præter ſua, nihil probant. Sordidos ac plebeios animos ferè præſentium pœnitet, qui cùm libitinę ſua, non ratione omnia metiantur, miro quodam nouandi ſtudio tenentur. Neq; ullus Euripus, ullum fretum tam uarios habet æſtus, ac fluctus, quàm uarij uulgi motus ſunt. Quæcũq; commouerit tempeſtas, ſubitò furit, miſcetq; omnia. Contra, generoſæ mentes cõmunibus ſe moribus attemperant, ſolentq; utcunq;, & ubicunq; opus fuerit, obſequi, quemadmodum ille Terentianus pater monet. Iam non ſimplex ruſticitas, ſed ferror eſt planè, patrios mores, ac patria inſtituta odiſſe. Etenim cùm patriæ ſanctum quendam amorem omnibus indiderit natura, prorſus oblitiſci uidentur, qui patrias leges tantopere auerſantur. Sapientiſſimus Poëta fingit Vlyſſem optare, ut uel fumum de patrijs exorientem ſocis uideat: hi leges contemnunt, ornamentum patriæ pulcherrimum, quarum beneficio ipſi et aluntur, et ſeruantur, ut ne naturæ quidem plus quàm his debeant. Mirum in Vulturio plus eſt humani, quàm huius generi,

Patriæ leges colendæ.

generi. Ego profecto, quoties defatigatum animum remittere, recreareq; libet, nulla in re suauius, atq; in patriæ recordatione acquiesco. Id quod fieri non posset, nisi mirum quendam eius amorem inseuisset natura.

Patriæ amor.

Videor mihi iam agros peruagari, iam in hortis reptare, iam ad flumen deambulare: Hîc naturæ opes, industriam colonorum meorum ciuium tacitus contemplor, admiror maiorum prudentiam, qui agros, qui oppidum ipsum diligentissime ornarunt & munierunt. Hæc cum animo considero, & propemodum intueor, mediocri ne me uoluptate perfrui censetis? Me uerò cùm locî amœnitas per sese delectat, tum quia patriæ nomẽ accedit, ualde adficior. Nec minus tali patria capior, quàm ille Ithaca, qui quamuis sterilem, & in asperrimis saxis tanquam nidulum adfixam, pluris immortalitate fecit. Et cùm tantopere solùm ipsum ametur, non possum non fauere, & legibus, quibus ciuium inter se studia uoluntatesq; conciliantur & deuinciuntur, quæ domesticam disciplinam, bonos mores, popularium libertatem tuentur, quæ profecto non minus nos, quàm lares nostri, delectant. Proinde, cùm inflammet nos natura, & adsuefecerit consuetudo ad amandam colendamq; patriam, & ingrati erga benemeren-

tem, & in penates suos impij, & alieni prorsus ab humanitate sunt, quibus domesticæ leges sordent. Capitale est Magistratum pulsare, hi cùm prorsus ex Rep. Magistratus, iura omnia exterminent, quòd non supplicium merentur? Nolo hîc causari, frustra eos niti, recepta non posse ferè priuato cuiusquam arbitrio cõuelli. Fingere succedere. Quid erit ciuitatibus nostris calamitosius? Quas, Deum immortalem, hæc nouitas debet turbas? Nam ut sine ualetudinis iactura nemo uictus rationem mutat, ita nec leges sine publica perturbatione mutantur. Nec ad ciuitatum otium, & ad concordiam stabiliendam quidquam perinde cõducit, atq; ueterũ legum morumq; conseruatio: quòd cùm urbium exempla passim testantur, tum monet aureus ueteris Poëtæ uersiculus.

Leges & uictũ mutare periculosum.

Ennius.

Moribus antiquis res stat Romana uirisq;.

Valeant igitur, qui uel adeo inciuiles sunt, ut attemperare se communibus moribus nolint, uel adeo arrogantes, ut rectius se Rebuspub. consulturos confidant, quàm maiores, uel adeo ferrei, ut nullus rerum patriarum amor tangat. Et si ita uidetur, in νεφελοκοκκυγιαν commigrent, Senatui populoq; cuculorum imperaturi. Quanquam autem hæc abundè magna ratio bono uiro sit, cur præsentes leges amplectatur, quòd usu recepta

receptæ sint, & in mores peneq; in naturam nostram uerterint. (Stultum est enim cum publicis moribus dimicare) tamen excutiamus rem paulò accuratius, temerè ne an consultò maiores nostri ex scriptis legibus iudicari res maluerint. Scripto iure utendum. Non nuper in scholis hac de re altercantur, utrũ satius sit ex scripto iure, an ex Magistratuum arbitrio res iudicare. Verùm nos non quod ociosi in scholis literatores somniant, sed quod prudentissimi quiq; probarunt, qui Respublicas tenuerunt, sequemur. Nam cum humanæ prudentiæ ciuilia officia religio commiserit, & prudentum exemplis, & communi sensu hanc causam metiemur. Quæ fuit autem usquam Respublica mediocris sine certis legibus constituta? Scripto iure usi Aegyptij, Cretenses, Athenienses, Romani, addam etiam Iudæos. Et Lycurgus, tametsi nullas scripserit leges, certas tamen quasdam prodidit, non tabulis, sed ut uulgo notiores essent, memoriæ ciuium insculpendas. Quare ut nihil ijs patrocinetur, qui hoc tempore scriptum ius tuentur, defendere eos tot gentium iudicia facile queant, quibus quo ore cedo, qua fronte reclamare audebitis? Et haud scio, an hæc ueteribus illis legum latoribus consilij ratio. Quum libertatis ac tranquillitatis publicæ causa conditæ sint ciuitates,

tes, & constituta iudicia, ut in tuto sint suæcuiq; res & uita, & sub iuris autoritate, tanquam sub umbra lateant. Idq; præsidium non maiorum industria, non hominum conspiratio comparare, sed Deus ostenderit, præstandum est ne ius sit obscurum, incertum, aut ambiguum. Quæ est enim iuris uis, aut autoritas futura, si subinde Vertumni in morem uariet? Nemo fortunas suas uitamq; non satis exploratis, aut infidis custodibus tuto committi putat. Porro ubi Magistratuum arbitrio sine certis legibus res iudicantur, cum imperitorum, sæpe etiam improborum potestate ius sit, fit ut per imperitiã sæpe Magistratus æqui & iniqui discrimen nõ perspiciat. Quoties recti species decipit? quoties iudicio gratia, aut malevolentia officit? Neq; enim obscurum est, quàm leui momento ab æquitate mediocrium hominum animi sæpe abstrahantur. Quid quòd ea imperitorum pertinacia est, ut ad æquitatem flecti non possint, ubi nõ cogunt leges. Cedo quid arbitrare sumptuosos sibi Germanicos regulos, nisi leges prohiberẽt? Qui, si quando iuris species suffragaretur, citius omnia miscerent, quã de sententia, de possessione decederent. Nunc cum reclament leges, deterret à flagitio nonnunquam pudor. Quotus enim quisq; tã corneæ fibræ est, ut publicam legum uo-

Ex arbitrio periculosum iudicare.

cem

cem omnium de se iudicium prorsus contemnat? At si nullæ obstrepant leges, cum licentia ferè deteriores reddat, uideas aperta tyrannide grassaturos, non aliter atq; solebant Athenis triginta illi, qui cum pessimo exemplo iudicia sustulissent, perinde quasi publicam carnificinam exercerent, optimum quenq; iugulabant. Itaq; quemadmodum in periculosis tempestatibus, non solet uentis temerè committi nauis, sed gubernator præficiur, qui arte regat, ita fluctuantes Principum animi, certa lege frenandi, regendiq; sunt, ne priuatæ cupiditates à iure, uelut à portu reijciant. Et cum in cognoscendis causis, sæpe non pessimis Magistratibus iuris species imponat, sæpe transuersos rapiat ambitio, ne periclitaretur libertas, æqui & iniqui formulas præscribi oportuit, quas in consilium adhiberent ius dicturi. Nam si Magistratui potestatem feceris, quidquid libet statuendi, uide in quam nos seruitutem conijcias? Iure possessiones adsignauit, si aliud uidebitur, ius eriteripere, quod dictum est, indictum fuerit, quod modo erat ratum, irritum fuerit.

Triginta Tyranni Athenis

Quidquid decreuerit, in uento & rapida scribere oportet Aqua, usq; adeo non constabit sibi, & Iure subinde mutato in aliam se formam πρότεως more uertet. Non domus, non

non liberi, non coniunx, quibus ne noſtra quidem uita nobis carior eſt, in tuto erunt. Res bonæ omnes, pietas, humanitas, doctrina, artesq; uniuerſæ, quæ ocium, pacemq; amant, exulabunt. At cum his uitijs leges medeantur, nec libertatis ullus præterea fidelior ſit cuſtos, quid uetat legum beneficio uti? Quæ Magiſtratibus fiduciarum tantum noſtri poteſtatem faciunt, ut ius noſtrum quoties periclitamur repetere liceat. Ariſtoteles in ea demum Republica quæ ſcripto iure regantur, deos imperare adfirmat, quod libertatem leges tueantur, qua haud ſcio an hæc uita nihil dulcius habeat. Quid enim fœlicius, quàm iniuriæ metu uacare, ſocietateq; hominum tuto frui? Proinde ille ne bono quidem uiro ſine Legibus Rempublicam mandari patitur: Sed recita uerba.

Aristoteles.

Verùm dicet aliquis malignè me de hominum ingenijs ſentire, cùm nullius adeo exploratam fidem, ac uirtutem eſſe duco, cui tuto ciuitas committi poſſit. Ego uerò optarim paſſim imperare Neſtoras, uerùm uidemus quanta ſit optimorum Principum paucitas. Nec obſcurum eſt uetus illud dictum: Omnium bonorum Principum imagines in uno annulo ſculpi poſſe. Quare facilepatior, in mediocribus, ut ſunt ferè, certo iure uim regi,

Rari boni Principes.

regi, & officij sui, si qui sunt imprudentes Magistratus, admoneri. Hæc mea est ratio: nec fœliciorem mihi Rempub. somnio, quàm qualem existere res humanæ sinunt. Finge autem rerum summam ad Stoicos delatam esse, qui nec gratia, nec odio adficiantur, qui falli nequeant, quid ijs facies, qui, ut est uulgi improbitas, malunt legibus, quàm uel sanctißimis Magistratibus credere? Est enim quorundam tanta rabies, tantáq; pertinacia, ut æquitate fideque iudicum satis fieri sibi non patiantur, sed cum summo iure contendant, extremaq; omnia experiantur, sæpe infensius cum iudicibus, quàm cum aduersario concertent. Hic uerò Magistratuum autoritas periclitabitur, nisi publicè receptæ leges defendant. Adeò non modo aduersus Tyrannidem, in legibus innocentiæ præsidiũ est, sed et Magistratibus aduersus uulgi importunitatem, hic tanquam aheneus quidam murus est: Denique commune uinculum inter se Principum, ac multitudinis est, ius scriptum, ad pacem tuendam comparatam. Iam et improbi ciues facilius in fortunas aliorum impetum facient, cum uel nullæ pœnæ certæ absterrebunt, uel ius erit incertum. Contra, ut ij, qui iter faciunt, cum uiam indicant, Mercuriales statuæ nihil mouent, nec ubi errent: Ita boni ciues, cum certum ius

Rabies litigantium.

Ius scriptum uelut Mercurialis statua.

ius præpositum est, securi degunt, cum docent leges, & quid pro se quisque præstare debeat, & quid cuiusq; sit proprium, et improbis certũ exitium minantur. Cum autem libertas nihil nisi inane uocabulum sit, si bonis securitatem demas, crudele fuerit, ius scriptum è medio tollere, si quid ad securitatem in bonorum animis alendam confert.

Tollit intestinas discordias.

Accedit huc, quod ut modestissimi homines inperent, tamen futurum sit, ut de iure sæpe dissentiant, nisi ex certis legibus res iudicentur. Quæ est autem pestis ciuitatibus pernicioſior, intestina discordia? Quas hæc urbes non funditus euertit? Quare nulla tam parua res est, quæ modò ad concordiam conseruandam conducere uideatur, quæ negligenda sit. Sæpe autem ex leuissimis iniurijs, non secus atq; ex minutissima scintilla, grauissimum incendium oritur. Non rarò et res grauissimæ in disceptationem ueniunt, ubi si Magistratibus de iure malè conuenerit, studijs, factionibusq; publica trãquillitas turbabitur, dum suus quæq; pars sententiæ suffragatores, addo etiam uires, publicæ salutis oblita, cõparat. Quam autè non solitudinem malis, quàm intestinis flagrantibus odijs urbem colere? Proinde, cum Hebræos Deus inter se quàm coniunctissimos esse, rectissimeq; consentire uellet, certas leges tulit, ut ex præ-

Leges Hebræorum.

scripto

scripto res iudicarent, ne quando ius controuersum dißidium pareret. Pleriſq; item aliis ciuitatibus uel Principum Tyrannis, uel ciuiles diſcordie impoſuêre legum condendarum neceßitatem. Nam cum inter ſe Athenis, de iure publico, perpetuò conflictarentur, tres per id tempus factiones, homines, opinor, non peßimi, ſed male inter ſe, ut fit, in imperio cohærentes, eaq; diſſenſio, morbo ciuitatis ingraueſcente, & gliſcentibus odijs uniuerſis exitium minaretur, Reſpublica Soloni mandata eſt: is leges tulit, quibus libertatem, & otium urbi reſtituit. Et cum cerneret has unicum eſſe concordiæ uallum, conſtituit, ut qui ius dicerent, conceptis uerbis iuſiurandum darent, ſe ex legibus res iudicaturos eſſe. Qui Magiſtratuum arbitrio ſimpliciter omnia committunt, cum Solone, ſi libet, expoſtulent, non mecum, qui ad conſociandos inter ſe ciuium animos, tantum facere momentum ſcriptas leges exiſtimauit, ut ex ſuo arbitrio Magiſtratus ius dicere uetuerit. Sed recita iuſiurandum ἡλιαστικὸν, ſic enim Demoſthenes uocat. Fuerunt & he ferè cauſſæ, cur Romani ſcripto iure uti maluerint: Nimium ſibi Principes ſumebant: Plebs non ſatis tutò creditam Optimatibus libertatem exiſtimans, ſæpe Imperium authoritatemq;

Solonis leges pro concordia conſtituenda.

Leges XII. tabularum.

temq; detrectabat, de iure sæpe dissentiebant inter se etiam boni uiri. Hæc coëgerunt tum plebis temeritatem, tum Magistratuum uim certis legibus moderari: suntq; duodecim illæ tabulæ, fons iuris nostri, prudentissimorum hominum iudicio propositæ. Id iugum cupidè uniuersa ciuitas accepit, cum sentiret urbem non diu futuram incolumem, nisi legibus muniretur.

Consuetudini mos gerendus.

Porrò cum ciuitates orbis terrarum Principes, coëgerit necessitas penè Diomedea leges condere, quis furor est, apud nos iam usu receptas uelle abrogare, ac inducere? magna consuetudinis uis est, quæ mores omnes, quibus assuefacti sumus, sine perturbatione publica mutari nõ sinit. Quare leges uel hoc nomine, quod consuetudini mos gerendus est, oportuit conseruari. At cum de rebus humanis etiam bene mereantur, publicam tranquillitatem & libertatem tuentur, obsecro non insaniunt, qui refigere iubent? Actum fuerit de religione, de humanitate, de rebus bonis omnibus, nisi cœtus hominum iure coganturac defendantur. Neque uerò inter cætera legum beneficia hoc prætereundum est, quod de expetendis, fugiendisq; rebus, rectas ciuibus opiniones inserunt. Id adeò ad formandos mores, magnum habet momentum. Errant enim mortalium

sm ingenia, nisi certis præceptis regantur, et ut quidq; maximè commodum in præsentia uidetur, ita maximè lucere putant, oculos mentemque libido præstringit, ut quod maximè cupimus, sæpe, nisi dehortetur legum autoritas, optimum esse ducamus. Auarus nihil esse uitij in fœnore faciendo existimat. At si ualerent leges, quæ fœneratoribus maiorem mulctam constituerunt, quàm furibus, quis non execraretur fœnus? Sunt quos parum pudet mentiri, At cum ex lege duodecim tabularum è saxo Tarpeio deijciebatur, qui falsum testimonium dixisse conuictus erat, cane peius et angue mendacium oderat multitudo. Perpetuum ocium nunc in lauta uitæ parte ponunt. At cum Atticis legibus capitalis esset desidia, grauiter animadiebat: Furem abominamur, quod in eum grauissimè animaduertatur, augetq; crimen pœnæ atrocitas. Prædonis loco habes eum, qui debitoris rem aut pecuniam usurpat, nisi sponte datam. Peperit hanc opinionem lex, quæ pronunciat, uim esse, quoties quis id quod deberi existimat, per iudicem repoſcit. Nihil autem cum opinionibus, tum moribus nostris instabilius esset, nisi ex certis legibus compararentur. Nam ut nautæ cursum ea sydera, quæ eodē semper loco circumaguntur, dirigunt; ita par est, ut ad leges, quæ à sapientissimis

Legum uis atq; autoritas.

Leges idē sunt Reipub. quod nauis sydera.

mis hominibus latæ, & uirtutis uiam rectissimè indicant, & sui nunquam dissimiles sunt, opiniones nostras exigemus. Sed ut nulla ratio sit, ac scripto iure utamur, certè Romanæ leges meritò tur, quas huc importaremus. Quare maiorum strorũ prudentiam laudo, quod Romanas potissimum leges delegerunt, quas in iure dicendo sequerentur. Et quando hactenus benignè mihi audiendo, operam nauastis, fauete quæso et reliquæ orationi. Exponam enim breuiter, cur tantopere uet à Romanis leges mutuari. Vetus hic mos ab optimè cõstitutis urbibus, exempla petere. Nihil puduit Atticos, Aegyptias quasdam leges capere, ut Herodotus testatur. Nemo Romanus uitio uertit, quod cum cogeret publica necessitas leges conscribere, in Græciam legatos misêre, inde legum formulas adferrent, et de Repub. instituenda summos in Græcia homines consulerent. Id & cum maiores nostri fecerint, cum Romanæ Reip. instituta ad nos attulerint, quid quæso peccarunt? Quæ tandẽ ars ex liberalioribus illis mi nobis nata est? Literas, temporum discrimina, syderum ortus et occasus, architectonicam, Mathematicam exteri docuêre, sine quarũ cognitione, planè mãca est: in quibus si nihil offenditperegrinitas, quid uetat externis legibus uti? Quis dubi-

Leges ab externis sumptæ,

tut noſtra cultiora eſſe, & literis & legibus Romanis aduectis, quàm fuêre priſco illo barbaro ſeculo, cùm nec ingenuis artibus animi noſtrorum priuatim fingerentur, nec publico iure, aut certa diſciplina manſuefierent. Adeóne præſentium pœnitet, ut mutare cum ueterum barbarie libeat? quæ cuiuſmodi fuerit, uel ex eo poteſt æſtimari, quòd humanis hoſtijs apud hos litatum eſt. Eant quos tantopere uetuſtas delectat, & glandibus eium ueſcantur. Iam cùm Romani literas nos, artes, aliáq; docuerint, quid fuit cur non illorum leges etiam imitaremur, cùm nulla fuerit Reſpub. quæ aut plura nobis, aut illuſtriora uirtutis humanitatiſq; exempla, aut humaniores leges proponere potuerit? Fuit illud omnino unicum uirtutis atq; humanitatis in terris domiciliũ. Longum fuerit recenſere, qui ibi iuxta et in toga & foris, omnium belli pacisq; artium periti, clari fuêre. Noti ſunt Camilli, Curij, Fabricij, Fabij, Claudij, Scipiones, Craſſij, Iulij, Ciceroneſ, Sceuolæ. Didicerant hi Reſpub. regere, nõ in umbra, et in ocio, ut greci, ſed in ſole ac puluere, uſu magiſtro, uim, inconſtantiam, uariasq; uoluntates uulgi, domi foriſq; toties experti, norant quibus artibus in officio retinenda tractandaq; ſit multitudo, norant quæ pharmaca ciuitatũ morbis cõuenirent. Itaq;

Reſpub. Romana.

Vergilius cùm alias artes alijs gentibus cõcel
Romanis ſcientiam gerendæ Reipub. tribuit:

Tu regere imperio populos Romane memẽ
Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos.

Exempla optima proponẽda

Porrò cùm hi qui Muſicæ operam daturi ſunt,
nobiliſſimos ſe magiſtros conferant, cùm pict
optima ſibi exempla proponant, cur non et in
renda Repub. optimæ conſtitutæ urbis tum ex
pla, tum leges uſurparemus? Mileſias credo
Sibariticas leges iſti, ut ſunt impuri, nobis fere
qui Romanas tantopere oderunt. M. Cicero,
de optimo ciuitatis ſtatu diſputat, non alias
Romanas leges fert, eaſq; naturæ maximè om
um conſentaneas eſſe cenſet: cui ſi quid credim
à natura diſcedunt, qui à Romanis legibus di
dent. Vernaculo quodam iure Saxones adhuc
cubi utuntur, in quo quàm multa ex Romanis
gibus emendata ſunt? Quid fuit miti
quàm quod uetuêre Saxones, ne negotiis am
ſo patre, auita hæreditas ueniret? Correct
eſt in comitijs populorum Germaniæ, latum
ut deinceps Romanum ius ea parte Saxones
querentur. Et municipalia paſſim ſtatuta, quo
æquitas poſcit, ſunt enim ferè barbara, Roma
legibus emendantur. Adeoq; magno conſenſu
Romanum tanquam oraculum, nationes om

Ius Saxonum ex Romanis legibus emendatum.

de æq

de æquitate consulunt, sentiuntq; leges et placita omnia ad hanc regulã exigi debere, et in hoc exta re uolũt, ut in dijudicãdis pensitandisq; omnibus, quæ in publicis consilijs decernuntur, gnomonis uice sit. Tam sanctam plurimarum gentium conspirationem reprehendere, quid aliud est nisi insanire? Et meo iudicio sanè quàm multum interfuerit Reipub. ut maximè in fòro apud nos non uersentur Romanæ leges, in Bibliothecis eas adseruari, ut inde gerendæ Reipub. rationem æqui & iniqui iustium discrimen peterent, quicunq; ad publica munera tractanda animum adiecerãt. Quid enim furiosius est, quàm quod ferè euenit, accedere ad Rempub. nullis instructos literis, nulla præditos, neq; humanitatis, neq; æquitatis scientia? Insceuam nemo prodit, nisi histrionicam probè meditatus: nemo fidibus ludit, nisi Musicam teneat: Quantò magis oportet eos, qui Respub. capessunt, qui consilium, qui opem innocentibus policentur, honestis artibus dedolari antea, & in schola bonarum rerum studio, grauioribus negocijs præludere? Sunt enim hebetiores ferè discerendis rebus communibus, quorum iudicium nulle literæ acuerunt, aut confirmarunt, & feri magis impotentioresq;, quorum pectora mansuetior disciplina non mollijt. Belluam aliquam immani

Qui sint ad Remp. idonei.

Imperiti in Republica belluæ.

ſæuitia ex cauea in mediam multitudinem iuris emiſſam eſſe, non imperare hominem, ſicubi in in culti imperitiq; magiſtratus poteſtate Rempub. eſſe uideris. Quare à doctiſsimis hominibus de re gendis ciuitatibus, de iure, æquo ac bono multa conſcripta ſunt, ut uim uirtutis & iuſtitiæ Prin cipum oculis ſubijcerent. Extant Platonis politi ci libri non pauci, extant eodem argumento & Ariſtotelici, depinxit graphicè Principem Xeno phon, quem Scipio ſic amaſſe fertur, ut nunquam de manu poneret. Fateor de rebus humanis iſtos benemeritos eſſe, & multa utiliter monuiſſe, di gnosq; duco eſſe, qui in manibus, in ſinu geſtentur ab omnibus, apud quos in precio uirtus eſt: uerùm neſcio quo modo mihi adumbraſſe magis, quàm uiuis coloribus expreſsiſſe Reſpub. uidentur, dum à communi conſuetudine, et ciuilibus moribus longius recedunt, & pro ſuo quiſq; ſtomacho ciuitatem ſibi ſomniat. Plato, ut cætera omittam, milites res etiam militare iubet. Ariſtoteles dubitat, an oppida mœnibus cingẽda ſint. Ad hæc frigidis ar gutijs ferè immodicè delectantur. Socrates apud Platonem ex iuſtitia κλεπτικὴν facit. Ariſtoteles partim Geometricis proportionibus, partim in Arithmeticis conſiſtere iuſtitiam ſcribit. Laus ingenij petitur his parergis, ad rem non ita multum

Ad umbratæ Reſpublicæ Philoſophorũ.

tum faciunt. Absolutam uerò ciuitatis effigiem est cernere in his legibus, quæ non in scholis natæ sunt, sed in curia, in foro, ut bonis profugium, & portus, & aduersum improbos teli uice essent. Vt offendunt Mimi, nisi proximè repræsentent, quos imitari instituêre, ita & leges parum probamus, à communi captu remotiores. Quare hoc mihi planè persuasi, utiliorem esse Romanarum legum cognitionem ijs qui Respub. gerunt, quàm Philosophicarum in hoc genere disputationem. Grauiter, ciuiliter, & humanitus omnia constituta sunt à legum autoribus, idq; res cogebat. Erant enim ad ciuilem hominum consuetudinem leges accommodandæ, non aliter atq; pharmacum attemperari oportet ægri corporis naturæ ac uiribus.

Philosophorum Mimi.

Philosophi sibi in Scholis quædam liberè permisere, quæ in gerendis rebus publicis non fuerit consultum sequi. Sunt quædam in Europa gentes, quæ non iudicant res ex Romanis legibus, sed uernaculis. Et tamen qui ibi Respub. gesturi sunt, ferè Romanas leges apud exteros discunt, qui, ut accipio, interrogati, quid, cùm nostrarum legum non sit apud eos usus, in eis cognoscendis tantum operæ ponant, respondere solent: Animam sespiritumq; legum,

Quarundam gentium leges animam & spiritum sumunt ex Romanis.

sic enim loquuntur, excipere, hoc est, æquitatem ac naturam hinc decerpere, ut de patrijs legibus rectius iudicent. Laudo prudentißimam uocem, qua significant omnia rectius perspexisse summos illos uiros nostri iuris autores, & neminem satis instructum esse ad ciuitatem regendam, qui non in his cognoscendis tyrocinium fecerit.

Antiquitus multa apud Iureconsultos.

Quid quòd in his Iureconsultorum literis bona pars antiquitatis reliqua est? Veteres mores sermonis Romani pleræq; figuræ, quas nisi hi explicarent, in alijs scriptoribus nonnunquam non aliter atq; in luto hæreremus, nec intelligi optimorum autorum pleriq; insignes loci possent. Quid si historia, si aliæ ueterum literæ nobis, ut debent, curæ sunt, cum his passim lucem adferant Iureconsulti, uel à Grammaticis et Rhetoribus eorũ commentarios adseruari oporteret. Itaq; nisi simul omnibus literis bellum indicemus, & planè in barbaras degenerare iuuabit, non permittendum est, ut situ ac senio Romanæ leges emoriantur. Quosdã nobilium urbiũ picturæ, quosdam marmora, quosdam statuæ delectãt, eaq; summa cura conseruant. Quæ malum, barbaries est, leges, plusquàm aureum pucherrimæ urbis monumentum, & Germanam εἰκόνα obliterare. Quidam clarorum hominum sententijs unicè capiuntur, parietibus inscri-

Quo in precio habendæ leges Romanæ.

inscribunt, annulis insculpunt, illiniunt omnibus chartis, si qua insigniter placuit. In his uolumi-nibus tot extant gnomæ, quot leges erutæ ex in-timis sapientiæ penetralibus, ex doctissimorum Poëtarum, Oratorum, & Philosophorum monu-mentis, & recitant doctissimos rerum humanarũ omnium imperatores, & Iuris consultos nostro-rum rabularum dissimiliores, quàm sunt Chio-rum in talis Coi, sed instructi literis, usu Reipub. domi foris q; gerendæ exercitati: uel tantorum uirorum memoriæ hic honos debetur, ut tanquam exuuias, eorum scripta conseruemus. Quod cum summa cura maiores nostri præstiterint, æquius est illorum nos exemplum imitari, quàm ijs obse-qui qui non modò legibus malè propitij sunt, sed prorsus neq; ius, neq; bonum, atq; æquum sciunt, melius peius, prosit, obsit, nihil uident, nisi quod libet.

Refutatio ad-uersariorum.

Poscit hic locus, posteaquam sententiam de le-gibus nostram exposuimus, aduersariorum calu-mnias refutare, quæ quia leuiusculæ, & penè ridi culæ sunt, paucis à me perstringentur. Mutilæ, in quiunt, legum Rhapsodiæ sunt. Publica ea cala-mitas est, quàm insectari minimè conuenit, mise-rescere erat humanius. Optarent autem boni o-mnes, si quid uotis proficitur, integra ueterum Iu

1. Mutilas esse leges.

re cõsultorum uolumina extare. Verùm cùm hæc tantùm fragmenta, fortuna nobis reliqua fecerit, impium fuerit, uelut ex naufragio receptis hoſtibus, uitam inuidere, præſertim non malis. Nam qui hæc conſarcinarunt, integras tamẽ ſententias nobis, et legum capita, quãtum ſatis erat, tradiderunt. De ſingulis caſibus anxiè ſuperſtitioſéq; cõſtituere nihil refert, ſatis eſt genera rerum, & cõmunes quaſdam formulas, quemadmodum in aliis fit artibus concipere, quibus ſimilia inter ſe facta metiamur, ne, ſi res in immenſum creſcat, nemo conſequi poſſit. Deinde in legibus omnibus res ita agit breuitatẽ adfectare, ut animis facilius inſigi poſſint tanquam breuia ἀποφθέγματα. Sed ogganiunt aduerſarij, obruta eſſe omnia et conſtrata ſordidis interpretum commentarijs. Ego uerò Romanis legibus patrocinor, nõ neotericis interpretibus: quorum, ſi prodeſſe uoluere, laudandus eſt conatus, & tamen quicquid iſtic uitij eſt, id uniuerſum ſemel imputo inſcitiæ humanitatis, & elegantium literarum: quibus qui non ſunt perpoliti, hi nihilo ad tractandas grauiores diſciplinas, magis adpoſiti ſunt, quàm ad lyrã aſinus. Primùm enim cum Romano ſermone conſcriptæ ſint leges, quomodo in eis uerſabitur, qui linguæ figuras ac uim non tenet? Iam, etiamſi Scythi-

2. Omnia eſſe cõmentariis obruta.

cis

eum legum sermo esset, tamen pinguius iudicant, docent obscurius, et imprudentius, quacunq; de re dicere instituunt, dant sine mente sonũ, quotquot dicendi artes non attigere. Magna uis est in humaniorum literarum studio, quam animo rectius cernere, quàm oratione depingere possumus. Et exempla superioris ætatis commonent, quid sapiant, quotam mentis uncìam reliquam habeant ij, qui ab istis artibus alieni sunt. Vides quàm ineptè tradiderint suas artes Philosophi, quanto conatu, quantas nugas docuerint. Nihilo saniores Iureconsulti fuêre, qui disputarunt de Lazaro, ualuerit ne testamentum, postquam is reuixit, & hoc genus innumera. Solebat apud nos doctus quispiam homo, istorum ineptias festiuo commento ridere. Non procul oppido quodam, aiebat, ad flumen pistrinum, ex quo cùm non ita multò antè aquatum asinus descendisset, cùm in extrema ripa seu lutulenta, seu tenuior aqua flueret, quàm ut os imbuere posset, in proximam Cymbam, fortè pergit, unde uberiorem iusti amnis aquam hauriret. Porrò cum inscendisset nauiculam, impetu detorquet à ripa in medium flumen, quo cum esset excepta, secundis Ventis in scopulum defertur. Hic postquam impegit, facta est, & imperitus ille Nauclerus in undis

Disputatio de Lazaro.

Ridiculo perstringuntur inepti Iureconsulti.

undis perijt. Doluit molitori, ubi rem resciuit, ja
ctura, & piscatorem in ius uocat, damnum dedis-
se accusat, quod eius nauigio iumentum auectum
sit. Cõtra ille factam ab asino pauperiem, seq; da
mnũ accepisse exclamat, quod nauigiũ amiserit,
in flumen ab asino impulsum. Vtrinq; acerrime a
cõductitijs rabulis certatum est. Iudici causa uisa
est intricatior, quàm ut liceret, nõ consultis iuris
professoribus, pronunciare. Deferunt ad legulei-
os. His uerò negotium mirum factum est, dũ pro
se quisq; uindicare asinum cõtendit, disputationes
uarias instruunt, rixãtur de asino in scholis et cõ
ciliabulis pertinacius, opinor, quàm Græcus ille
de asini umbra, et haud scio, an nondum etiam de
summa rei decreuerint. Obsecro non insanire tibi
uideantur, si qui se in tã ridicula causa diu torque
ant. Verùm, mihi crede istorum disputationes sa-
tiliores sunt hac molitoris cõtentione. Quotus e-
nim quisq; de communibus rebus ciuiliter, & ex
communi sensu iudicat? Ingenia in stultis formu-
lariorum literis obbrutuerũt, hasq; in scholis &
foro, nõ aliter atq; suas epodas Magi non intelle-
ctas recensent. Nihil hic de Grammaticis & pue-
rilibus erratis, de barbarie sermonis queror, quã
præscriptione tuentur, iudicij inopiã accuso, quæ
sit, ut nec ius nec fas in pleriſq; causis cernant.

Formularia.

Adu

Aduersus eam pestem dicendi, artium studio mens præmunienda est, perinde atq; aduersus Circes uenena, Vlyssem molyherba Mercurius præmunijt. Si quid iuris interpretes insciti literarum peccarunt, uestrum est, uestrum inquam, honestissimam prouinciã repurgare, et explosis indoctis cõmentarijs à situ et squalore leges adserere, et germano nitori restituere. Id humanius est, quàm leges ipsas neutiquã malè meritas de nobis, obliterare. Sed audio etiam de professorum moribus nonnullos queri. Primùm optarim hos cẽsores in suis uitijs emendandis, nolo enim nunc quidquam acerbius dicere, tam esse acres, quàm sunt in reprehendendis alienis oculati. Deinde cum sint in hoc ordine pleriq; boni uiri, iniquum est legibus imputare, si quid adferunt uitij professores. Iam ego ob hanc causam doctissimos et optimos quosq; cupio legibus discendis operã dare, ut extrusis ueteratoribus et sycophantis illis, iudicia, forumq; redeãt aliquando in bonorũ ac doctorum uirorũ potestatẽ. Modo res iudicãt indocti ferè, qui ne nihil sapiant, unũ aliquem ex uulgaribus pragmaticis in cõsilium adhibẽt, in quibus ut quisq; est indoctissimus, ita est audacissimus & nequissimus. Huius uidẽt oculis, huius audiũt auribus reliqui omnes, quod hic somniarit, reliqui decernũt: Ait, aiunt: Negat,

Artium studia necessaria.

3. Querela de professoribus.

Audacia indoctorum Legulciorum.

Negat, negant. Capita sunt sine linguis, ius ipsi et uim æquitatis ignorant. Leguleius ille naribus omnes tanquam bubulos trahit. In tanto iudicum ueterno, irrepunt in forum, & uanissimi rabulæ causas acturi, qui, quando is quæstus est uberrimus, ex litibus lites serunt, clientes deglubunt, Respub. depeculantur, indoctum iudicem nouis subinde technis ludificantur. Non possum adduci ut credam, Athenis unquam sycophantas, qui sic dicebantur, ullos nostris impudentiores, nequiores sue fuisse. Ausim et hæc uitia insciti æ elegantium literarum imputare, quarum qui sunt imperiti, nescio quibus artibus ad honestatem flecti possint, quando uim uirtutis, nullæ aliæ literæ perinde oculis nostris subiecêre, atq; hæ, quæ humaniores rectissimè uocantur.

Et cum ne leges quidem ipsas attingant isti, tantùm ex uersutorum quorundam formulis sapiant, ne possunt quidem contagione pestilentissimarum literarum non inf ici.

Accusatur à Solone pernitiosæ legis autor.

Proinde cum nulla meliore disciplina animi ad uirtutem assuefacti sint, nihil pudet in quæstus habere, uitiare leges, detorquere malitiosis interpretationibus, in quam uolunt partem. Solonem refert Demosthenes, cum reum ageret quendam pernitiosæ legis autorem, dixisse; Cum capitale

pitale sit numisma adulterare, morte mulctandos esse etiam eos, qui leges uitiant: Propterea quod ut in priuatis commercijs ac contractibus numismate utimur, ita publicis commercijs, & negocijs leges esse numismatis uice. Rectè Solon. Atq; utinam eò redeat res, ut in nostris iudicijs petulantia, impudentiaq; rabularum coherceatur, mulctetur dolus. Id adeò fiet, ubi ad Rempub. boni uiri accedent, literis & cognitione iuris instructi, quibus isti imponere nec ausint, nec possint. Itaq; Reipub. interest, ut optimi quique & uirtutis amantissimi ius perdiscant, ut si quando publicum munus tractandum est, rectè gerendæ prouinciæ artes teneant. Videmus enim quos ludos Rebuspub. ubique Magistratus imperiti, & indocti reddant, quos, ut boni sint, necesse est multa incautos peccare, et tamen ferè ita fit, ut deteriores sint, quo sunt indoctiores.

Dixi de legibus, longius fortasse, quàm ferebat tempus, sed omnino parcius, quàm et res poscit, et ego uolebam. Reliquum est, ut eos qui in legibus uersantur, adhorter, ut strenuè pergãt, nec e medio cursu reuocari se indoctorum uocibus patiantur. Nã cum iudicia adprobet religio, nõ modò nõ impium, sed sanctum etiam officiũ faciunt, qui ritè de iure respondent, aut res iudicant. Cohortatio ad studium Iurisprudentiæ.

Pleriq;

Plerique posteaquam hanc induêre persuasionem, uersari se in re prophana, et quam Deus nihil moretur, minore fide curaq; munus suũ obeunt. Hos meminisse uolo, Deum et iuris autorẽ esse, et uindicem futurũ. Libra et pondus, inquit Salomon, iudicia Dei sunt. Quare si quid iniquũ statueris, non hominum tantum mores uiolari credas, sed Deum à quo iudicia constituta sunt, offendi sentias. Non hominis, ait optimus princeps Iosaphat, exercetis iudicium, sed Dei: adest spectator et arbiter consiliorum uestrorum Deus: Sit timor Domini uobiscum, accuratè rem gerite. Hoc uerò diuinus spiritus oraculũ, non illi tantum seculo, sed omnibus qui ubiq; ius dicunt, prodidit. Nulla sanctior in terris functio est, quàm οἰκονομία Ecclesiastica. Huic proxima est, ius dicere, quam sirecte gesseris, nemo Monachus, nemo Heremita superiore est apud Deum loco. Prophanum munus est, sed quod nõ minus religiosè tractari oportet, quàm ad aram accedendum est sacrũ facturis, imò hic uerè sacrũ facis, cum publicæ trãquillitati et paci operam nauas. Quò pluris autem hoc officium Deus facit, eò sunt execrabiliores, qui publicã in foro sycophanticã exercent, bonorũ extortores, legum cõtortores, qui uel ob hanc causam ferendi non erant, quod à ciuitatibus horũ flagitia Deum

Iosaphat II. Paralip. XIX.

Sycophantæ non ferendi.

non

non rarò abalienent, grauiter ſuccenſentem conſtupratis iudicijs. Porrò cum non diſſideant cum pietate leges, et uſu receptæ ſint, nihil moremur eos, qui ſe in ſectandis ciuilibus moribus ad uulgus uenditant. Nam ſine publica calamitate receptas leges mutari non poſſe, et res docet, et ſapientiſſimi quiq; monuerũt. Extabat apud Locros in bene conſtituta ciuitate, ea de re lex, ut quiſquis aduerſus receptas leges rogationem ferret, is cum inſerto in laqueum collo ſuaderet: quæ ſi uidebatur è Repu. eſſe, ſaluus euadebat autor: ſtrangulabatur autem conſtricto laqueo, ubi oratio diſplicuiſſet. Neq; dubium eſt, quin id ita conſtitutum ſit, ne temerè inducerentur uſu confirmatæ, probatæq; maiorum iudicio leges. Et Athenis νομοφύλακες erant, qui apud præfectos in omnibus publicis cõcilijs, candidis faſcijs coronati adſidebant, ut prohiberent, ne quid cõtra receptas leges enſium. decerneretur: Deniq; ut quæq; ciuitas optimè cõſtituta fuit, ita minimè paſſa eſt leges antiquari. Proinde nos quoq; publicũ ius dilgẽter tueamur, præſertim cum Romæ natũ ſit, in principe orbis terrarũ Rep. in prudentiſſimorũ et doctiſſimorũ hominũ concilijs, quorũ nõ modò literæ nos æqui et iniqui diſcrimẽ docent, ſed exempla etiã et res præclarè geſtæ, ad uirtutis ſtudiũ adhortantur.

Locrenſis lex.

νομοφύλακες Athenienſes.

Dixi.

DE DIGNITATE LEGVM Oratio.

Vtilis honorifica legum opinio,

Nihil in uita utilius est, quã inseren
itq; instillare animis bonã et hon
rificam opinionem de legibus. No
ulla maior est uitæ ac morti perni
cies, quàm assuefacere animos ad leges contemn
das aut cauillandas. Hæc sæpe inculcari adole
scentiæ cum sit utilissimum, rectè fieri iudico,
quod in his promotionum spectaculis sæpe iden
argumentum de dignitate legum repetitur. Qui
& honestius est, quàm prædicare & ordinem
dona Dei, & ad earum rerum intellectum & re
uerentiam exuscitare imperitam adolescentiam,
quæ sunt in uita utilissimæ? Aut quarum rerum
commemoratione potius personare doctorum co
tus debent, quàm his sermonibus, qui prosunt ad
ornandam gloriam Dei, & ad disciplinam iuuen
tutis, præsertim cum indoctorum & malorum
cõgressus abundent conuitijs legum? Ac mihi sæ
pe in mentem uenit, hæc conuitia non tantum ex
quadam hominum iniusticia aut imprudentia ori
ri, sed sparg à Diabolo, tanquam spicula ad sau
ciendas rudes mentes, ut legum reuerentia extin
guatur, & sequatur dissipatio disciplinæ, quæ et

Diabolus reuerentiam legum extinguit,

religioni

religioni & tranquillitati communi noceat. Est autem nostri loci atq; officij, reuellere illa spicula, hoc est, falsas persuasiones ex animis hominũ, & cum oratione, tum exemplis illustrare atq; ornare legum ac iuris dignitatem, ac retinere disciplinam quantum possumus. Cùm igitur in hoc loco alius uir clarissimus D. Doctor Hieronymus, quem non solùm propter beneficia, quæ in me priuatim contulit plurima, sed etiam propter excellentem uirtutem & doctrinam ueneror, & tanquam patrem colo, grauissimè nos adhortatus sit omnes ad reuerentiam legum, deinde etiam auditores nostros ad diligentiam in discendo. Ego hoc tempore aliud argumentum, & si uicinum, sumam: Tractabo enim scholasticam disputationem utilem studiosis, Quòd Christianis non sit necessarium uti legibus Mosaicis, sed quod liceat uti legibus, quæ iuri naturæ consentaneæ sunt, etiamsi ab Ethnicis Magistratibus conditæ sunt. Deinde ostendam, Romanum ius antecellere legibus aliarum Gentium, & uerè quandam Philosophiam esse. Scio enim ante aliquot annos, quendam Iudaico ingenio præditum, contendisse hîc etiam publicè, non licere Christianis Ethnico iure uti, quia Christianos oporteat uerbo dei gubernari. Postea in publicis concionibus damnabãt eius sectatores

Duo proponit de quibus dicturus est.

pœnam usitatam furti, et pleraq; alia institutæ uilia Imperij horum temporum. Porrò hæ tri nitiæ legum abrogationes & iniustæ sunt, et cutiunt Respub. ut euentus in illo terribili m uulgi, ante annos tredecim ostendit. Sunt et hi in administratione ciuitatum non pauci, quor conscientiæ superstitiosis opinionibus crucian quia non rectè institutæ sunt de rerum politic usu. Nec hi errores nunc primùm nascuntur, u ra Monachorum deliramenta sunt, quæ Diabo nunc uelut sopitum ignem rursus exuscitat, u let easdem hæreses subinde renouare. Quare p dest iuuenes admonere, & ut de hac quæstion ctius iudicent, & ut in dogmatibus iudicandi ræ Ecclesiæ sententias consulant. Ac primùm

I. Christiani gubernandi uerbo Dei,

luam argumentum quod opponitur, Christia gubernari debere uerbo Dei: quare contendi opus esse scriptura in iudicijs ciuilibus. Expedi & plana responsio est de corporali uita, ut de bis, medicina, architectonica. Christianos etia gubernari uerbo Dei, sed generali, quo finit ip harum rerum approbatum esse à Deo, imò i ipsas res Dei dona esse, condita ad usum nostru Cæterum ut Medicus seu Architectus nõ sum præcepta suarum artium ex scripturis, ita nec gis latorem de rebus politicis opus est, præter

neral

neralem regulã, ſumere ipſam artẽ ex ſcriptura. Nã Euangeliũ cùm propriè cõcionetur de æterna & ſpirituali uita, non mutat, non labefacit œconomiam, aut politicam uitam, quæ collata ad interiores cordis motus, perſimilis eſt domui: Vt enim domus eſt ſingulari arte extructa, aptè contignatis omnibus partibus, ac tegit hoſpitem aduerſus tempeſtatum iniurias, interea tamen hoſpitis animus non intra hos parietes cohercetur, ſed tacitus de Dei uoluntate & de æternitate cogitans, procul tanquam in cœlum ſubleuat: conſiderat enim omnium ætatum mutationes, religionum ortus ac diſcrimina, Imperiorum uices, triſtes caſus, quibus hæc humana natura obnoxia eſt, et è regione beneficia Chriſti: Deniq; & de hac ipſa domo cogitans, miratur opificium, & agnoſcit etiã corporali uitæ præſidia diuinitus donata eſſe. Ita uniuerſa politia ceu domus quædam eſt, mira arte diuinitus fabricata, legibus Magiſtratuum, ordine, contractibus, iudicijs, diſciplina, præſidijs armatis, pœnis, &c. His ſepti ac uallati muris, tamen Deũ agnoſcere poſſumus, ac ſtatuere, hanc ipſam politiam, qua hæc uita defenditur, eſſe uelut domum diuinitus nobis conditam: nec intereſt uitæ ſpirituali ac æternæ, utrum hæc domus, id eſt, politia, ſit à Moiſe, an ab alijs Legumlatoribus, ut ita

Politia ceu domus artificioſa

dicam, fabricata, modò ut sit consentanea iuris
turæ. Id primùm hoc argumento confirmo: Ap
Primum testimonium. stoli in Actis capite 15. pronunciant perspicue p
esse onerandas Gentes lege Moisi: Imò Petrus
uerè obiurgat diuersum sentientes, ac inquit, u
tentare deum, quo durius nihil dici poterat. Na
tentare Deum, est illudere ei, ordinando aliqu
prætextu diuinæ autoritatis. Quare Petrus co
qui Ecclesiam ad legem Moisi adigebant, nõ la
ter peccare ostendit. Quia enim falso prætex
diuinam autoritatem, horribiliter illudunt De
Ac loquitur Petrus pariter de ceremonijs, & i
politicis legibus, sicut disputatio integra tes
tur, ubi allegãt testimonium spiritus sancti, qu
Gentes prorsus alienas à politia Moisi Deus
cauit, & tandem disertè iubent nihil imponi Ge
tibus, præter ea, quæ in illo decreto continentur
Gentes qui non & allegant Apostoli scripturam, Gentes salua
centur. re. Propriè autem nuncupantur gentes, quæ no
habent politiam Moisi: Quare non necesse fu
Alterum testi- Gentibus legem Moisi imponi. Addo & aliud
monium. stimoniũ: Ad Ebreos scriptum est, Legem Moi
institutam esse usq; ad tempus aduentus Christi
Ergo politia illa post id tempus non est neces
ria. Discernit & Christus suum regnum à corp
rali, cùm ait: **Regnum meum non est de hoc mun**

do. Imò ut milites Christum spinis coronant & configunt, & in purpura traducunt, Sic illi Christum per contumeliam coronant, qui falso prætextu autoritatis ipsius, dilacerant & euertunt politias, & nouam constituere conantur. Qui eo etiam peccant, quòd obscurant & obruunt spiritualia beneficia & fidei exercitia, cum hominibus offundunt hanc speciem, quòd Christus nihil nisi illa ciuilia officia Moisi requirat. Ne tenebræ prorsus delent Euangelium. Postremò mandat Euangelium, ut Magistratibus ethnicis obtemperemus: Quare necesse est legibus eorum obedire: Nam lex est uox ipsa Magistratus. Nec aliud est obedire Magistratui, nisi eius legibus et decretis obtemperare. Possem alia multa argumenta addere, sed cùm hæc perspicua et firma sint, nõ addam plura, præsertim cùm sacræ literæ etiam exempla multa proponãt piorum extra politiam Mosaicam. Vt enim non dicam de Patribus ante legem, postea etiam multi pij fuerunt inter gentes, & quidem gubernatores magnorum regnorum, Naaman, Nabugdonosor, Darius, Cyrus. Nec Danieli apud Persas licuit hæreditates diuidere Iudæorum legibus: quot Rom. Centuriones ac milites in historia Euangelica laudantur? Quare nihil dubitemus placere Deo, etiã cæteras politias, si tan-

Tertium.

Exempla.

si tantum, ut dixi, non pugnent cum iure naturæ, quod est, ut Paulus inquit: Ius Dei diuinitus inscriptum humanis mentibus, ut à Deo haberent regulam, quæ leges gubernaret, & dijudicaret. Postquam igitur ostendimus placere Deo etiam cæteras politias, bonæ mentes hoc diligenter cõsiderent, illas quoq; esse Dei opificium seu fabricationem, ut ita dicam. Nam & Daniel expressè ait Deum constituere regna, & Paulus inquit Imperia esse ordinationes Dei. Magnum igitur scelus est, legum uiolatione, quasi telam diuinitus textam dilacerare, id quod Diabolus miris modis conatur. Quid enim pulchrius, quid amabilius esset imperijs, si harmonia societatis humanæ nõ interturbaretur? Si principes ueram religionem propagari curarent, ac defenderẽt, si mores ciuũ diligenter regerent, si cõtrouersias cognoscerent, & bonos tuerentur, ac proueherent, improbos uerò cohercerent, ac punirent? Si ciues essent concordes & modestè parerent, si ecclesiæ essent tranquillæ & rectè gubernarentur, si in scholis artes utiles traderentur, & disciplina sæuerè retineretur? An non talis status esset illa aurea ætas, quam Poëtæ describunt? Hic ordo est imperiorum diuinitus institutus, & quem Deus conseruat, quatenus bona manent. Sed diabolus rabiosè hunc chorum

Harmonia imperiorum.

Aurea æras.

rum interturbat, incitat Tyrannos, ut tanquam Gygantes illaturi bellum cœlo, abolere religiones conentur, ut iniustis cædibus grassentur in ciues, polluant flagitiosis libidinibus uniuersam rerum naturam, licentiam scelerum confirment, deleant honesta studia, dilacerent Ecclesias. Talis status Romæ fuit, Neronis & similium Tyranno rum tempore. Sic Diabolus corrumpebat harmoniam diuinæ ordinationis, & tamen interea Deus non patiebatur eam prorsus deleri, ac paulò post eam restituebat extincto Tyranno. Vt autē Tyrannus ille erat Diaboli organum, dissipantis diuinam ordinationem, sic sciant omnes legum cōtemptores, se Diaboli organa esse, & daturos Deo pœnas, sicut toties Deus minatur & testantur exempla omnium ætatum. Cernit Deus omnium uindex, & uel Magistratuum sententijs præbet puniendos improbos, uel ipse alijs horrendis pœnis eos excruciat. Nō Magistratus cohercere Clodium poterant, Milo tandem cohercuit: Non Antonium leges, non Senatus authoritas, non fœdera sanctissima retinere potuerant, quò minus bella ciuilia moueret: Itaq; Tyrannus tandem non impetrata uita à uictore, cùm miser uidisset reginam Cleopatram sibi mortem consciscentem, ingenti dolore, & ipse sese iugulat. Non hæc casu

Pœnæ istius conturbatæ harmoniæ. Nero.

fieri, Adolescentes, existimemus, sed ordinatione Dei, qui sic ulciscitur hominum furorem, qui leges contemnunt, & harmoniam societatis humanæ ab ipso institutam conturbant. Quare nõ tantum ex historijs exempla quærenda sunt, sed præsens uita suppeditat innumera. Quare uereri leges et amare tueriq; disciplinam discamus, & fugiamus eos, qui non obtemperant, non tantum cum hominibus, sed cum Deo pugnare, & concutere, quasi domum diuinitus fabricatam, hanc politiã qua cõtinemur. Sed dicam nunc de altera parte, uidelicet, de Romano iure, quare id potißimum amplexa sit Respublica. Iudaicæ leges nõ nisi illi nationi conditæ sunt, nec possunt conuenire pluribus gentibus. Assignant enim certas sedes certis familijs, & has uetant mutari: Hoc non potest nisi in angusto loco obtineri. Spartanæ leges non diuidunt agros, sed iubent communiter coli, & postea fructus diuidi: Ne hoc quidem nisi inter paucos obtineri potest. Habent & alia uitiosa instituta de connubijs. Atticæ leges, propius ad Romanam formam accedunt, sed Romanæ plus grauitatis habent in plerisq; delictis puniendis: melius etiam describunt iura testamentorum, discernunt hereditates, fidei commissa legata: Deniq; uberior est doctrina Romanis. Sæpe enim miror insolenti

Altera pars de iure Romano, quod plus grauitatis habet cæteris.

am

dam quorundam, qui existimant iusta & æqua, sine arte & sine doctrina perspici naturali quodam sensu, sicut apes architectonicam norunt sine doctrina, sed hi tota uia errant. Etenim ut in alijs artibus initia quædam monstrat natura, ut in mensuris admirandis, deinde arte doctrina proficit: Ita in hac iuris & morum gubernatione initia à Natura esse fateor. Necesse est enim esse certa principia, sed ex his fontibus duci regulæ sine doctrina non possunt. Quoties affinitas decipit homines? Vt hoc tempore, quàm turpiter prætexitur interesse, immanibus usuris, interdum falso prætextu societatis, interdum simulatis emptionibus uoragines usurarum teguntur. Hæc deprehendi & emendari sine eruditione, doctrina, non possunt. Quæ tenebræ essent iudiciorum, quæ confusio, si non essent arte tradita discrimina actionum? Quis sine doctrina uideret, cur à rei uindicatione publicanum distingui oporteat? & hoc genus alia multa? Res igitur cogit fateri, necessariam esse artem & eruditionem doctrinam, ad dijudicanda iusta & æqua, eamq; præcipuam esse partem moralis Philosophiæ. Nihil est indignius homine docto, quàm artis suæ laudem augere aliarum artium uituperatione: sunt enim omnes excellentia Dei dona, quare

Iusta & æqua sine doctrina non perspici.

quare omnes uenerari & amare debemus. Sed cùm sit admirabile opus Dei in animis hominum, nosse numeros & ordinem, unde existunt multæ artes, Arithmetica & Dialectica, cur non etiam admiramur illas noticias, quæ discernunt iusta & iniusta, ac pariunt doctrinam iuris? Hæ noticiæ sunt quædam imago Dei, et magis regunt uitam, quàm aliæ noticiæ seu ideæ artium. Ex hac admiranda luce & Dei imagine, orta doctrina Iurecõsultorum, non minus est ars, quàm cæteræ disciplinæ. Itaq; cùm sit arte aliqua opus, ad intelligenda & discernenda iusta & iniusta, quos alios artifices, nisi doctißimos, peritißimos homines, qui in sapientißimis consilijs summi imperij hoc disputauerunt, sequeremur? Rectè igitur Romano iure utimur. Quantum fuerit studium doctrinæ inde usq; ab Augusto ad Iustinianum, multa sunt perspicua signa, sed cætera omittam: Augustus cum quidem excelleret ciuili sapientia inquestionibus iuris, quàm multa de Trebatijs, Tuberonis, Labeonis, & Capitonis sententijs constituit? Labeoni etiam liberè aduersanti sæpe cessit. Sed, ut sunt morosi interdum etiam leni & moderati Principes, Augustus & si non læsit Labeonem, tamen offendi se eius libertate significauit, eoq; Capitoni minori natu consulatum dedit. Re-

Studia doctrinarum apud principes inde ab Augusti temporibus.

tinue-

tinuerunt Augusti morem, & post eum Principes, nec sine Iureconsultis ultra decreta in ciuilibus quæstionibus faciebant. Nerua & Cassius adfuerunt Tyberio, Cassius Vespasiano, Traiano et Adriano Celsus, & plerique alij. Neq; tamen in consilium admissi sunt ulli, nisi iudicio Senatus Romani essent Principibus commendati. Postea Antonini Pius & Marcus multò etiam frequentius consilium Iureconsultorum habuerunt. Alexander Seuerus, cuius plurimæ extant in codice leges, nullum Decretum, nisi uiginti Iurisconsultis adhibitis, ædidit. Hunc morem cum cogito, non possum non reprehendere negligentiam & barbariem nostræ ætatis, qua tam multi summi Reges & Principes respondent, aut sine doctis uiris, aut certè sine frequentia & disputatione doctorum. Ideò absurda multa et dissidentia à iure ædūtur, quæ existimationi principum non leuiter officiunt. Cum igitur illi clarissimi uiri artem effecerint, et omnia exquisite complexi sint, quæ ad tuendam societatem humanam pertinent personarum gradus, rerum diuisiones, acquirendi modos, contractus, successiones, hæreditates, obligationes, actiones, pœnas delictorum: conuenit agere gratias Deo, quod tale ius imperio rediderit. Neq; enim sine Dei consilio accidit, quod

cum

cum post inclinationem Romani imperij etiam amissus esset usus harum legum, & successissent barbarici ritus iudiciorum, tamen annis post Iustinianum quingentis, reuocatæ sunt in forum, & in scholas Romanæ leges. Hæc restitutio multos mores barbaricos correxit, non modò in iudicijs, sed etiam in reliqua uita. Profuit etiam studijs: quare hoc tantum bonum propter communem utilitatem tot gentium tueamur. Namscriptum ius est firmum præsidium aduersus tyrannidem, & quò eruditius est, eò plus continet æquitatis. Hoc muro septa est libertas populi aduersus potentum cupiditates. Si tolleretur hoc ius, quæ sequutura esset Tyrannis, cum pro legibus essent potentum adfectus? Facile est enim fingere prætextus, et specie aliqua affectum tegere. Rectè inquit Cicero: Vbi discessum est à iure, omnia sunt incerta. Multò maior esset incertitudo, si prorsus nullum extaret ius scriptum. Natura autem ita fert, ut incertitudo illa ac Tyrannides rursus præberent occasionem noui iuris scribendi: quod si fieret, scriberentur agrestia, et inerudita, ut nunc fit in aliquibus locis, & dissimilia in singulis oppidis. Nunc non modò æquitas nostri iuris prodest ad tranquillitatem, sed illud etiam conducit, quod multæ gētes iuris similitudi-

Ius scriptũ præsidiũ aduersus tyrannidem.

ne

ne cõsociantur. Quare hoc ius, quod à sapientissimis uiris in Repub. præstantißima scriptum est, quod magno consilio summorum uirorum restitutũ est, quod est æquißimum et maximè consentaneum rationi, quod munit nos aduersus Tyrannidẽ, quod prodest ad bonos mores, retineamus, & omni studio propugnemus. Tanta est enim æquitas, ut etiamsi in fõrum et curiam non esset receptum, tamen in scholis legi oporteret, ad discendam naturam iusticiæ & æquitatis. Nusquam enim extat perfectior et illustrior imago iustitiæ, quàm in his legibus. Quare etiam à Deo optare debemus, ut hanc doctrinam ad Reipub. tranquillitatem conseruet. Dixi.

ORATIO IN PROMOTIONE

cuiusdam Iuris consulti, habita à Doctore Sebaldo Munstero, Res non iudicandas secundũ arbitrium Iudicis, sed secundum scriptum ius

Anno 1532.

QVm ante paucos dies uir clarißimus Doctor Hieronymus, Præceptor noster optimè meritus, & de magnitudine Profeßionis nostræ sapientißimè dixerit,

rit, & grauißima oratione negligentiam diſcen-
tium caſtigauerit, ſpero uos propter authorita-
tem uiri ſummi libenter meminiſſe eius orationis,
eaq; ita affici, ut genus ipſum doctrinæ ſua ma-
gnitudine metientes, ſtatuatis uobis et ſolidam e-
ruditionem expetendam, & ad eam conſequen-
dam, ſtudium acerrimum conferendum eſſe. Me
quidem ipſum ualde mouit, et curam mihi ſolli-
tudinemq; maiorem, accedenti ad forum et Re-
pub. circumdedit. Itaque de his ipſis rebus mih
arbitrabar à me dicendum eſſe. Nam neq; auc-
ritatẽ maiorem ad uos adhortandos afferre q
quam poteſt, quàm ille affert, propter ſumma
doctrinam, et maximum rerum uſum. Neque
deo quid dici grauius in ea cauſa poßit. Quo
autem hæc ſcena me quoq; dicere aliquid cog
peto à uobis, quia in hunc locum aſcendi non p
uato conſilio, ſed autoritate ampliſsimi ordi
noſtri, ut me pro ueſtra erga hunc ordinem be
uolentia dicentem benignè audiatis. Inſtitui
tem diſputare de quadam uulgi perſuaſione bo
num ſiue imperitorum ſiue inuidorum, qui
ſcriptum ex foro & iudicijs eijci uolunt, & i
dicari res ſine certis legibus arbitrio eorum, q
iudicia exercent. Nam hac opinione refutata,
cile intelligi poteſt, hoc doctrinæ genus, in q
uerſ

uersamur, Reipub. necessarium esse. Nonnulli ægrè ferũt, sibi in iudicijs nihil loqui licere, nisi dicta à Iureconsultis: Et quia pudet uelut mutas personas assidere in iudicijs, non de publica utilitate, sed de sua existimatione dimicant, iubent afferri hoc scriptum ius, ut ipsi quoque sapere aliquid putentur. Et adplaudunt his indocti atq; imperiti multi, sed reclamant exempla tot Rerumpublicarum et sapientissimorum uirorum, qui leges scripserunt, & usu compererunt, non posse teneri tranquillitatem Rerumpublicarum sine scripto iure. Atq; ego interdum de his rebus cogitans, conferre soleo Medicinam, & hanc scientiam rerum iudicandarum. Planè ridicula res esset, si quis literas omnes & doctrinam, quæ Medicinam continet, aboleri uellet, & ex quadam communi prudentia potius consuli ægrotis. Obsecro quale futurum esset hoc medendi genus, sine doctrina, sine experientia, sine obseruatione ulla? Profectò nihil aliud nisi carnificina esset. Ita iudicia in domesticũ latrociniũ conuerterentur, si sine legibus pronunciare liceret, quidquid aut stulto, aut imperito, aut irato iudici in mentẽ ueniret. Et ut maximè iudicia prudentes & boni tenerent, infinitæ inter hos dissensiones orirentur. Multa enim incidunt ubi aliud alijs uidetur,

Ius scriptum Reipub. necessarium ad tranquillitatem retinendam.

Medicina.

"Et qui uelit ingenio cedere rarus erit. Deinde
"maximè conueniat inter hos, qui pronuncian
"quomodo poterit persuaderi contentiosis litigu
"ribus, rectissimum esse quod illi pronunciant, si
scriptum ius extet, quod cum sit commune fœde
ciuitatis, ut ille ait, litigatori non licet eius auto
ritatem detrectare. Nam his legibus quasi pact
est cum Magistratu, cumq; tota Rep. ne quid m
ueat contra eas. Itaq; scriptæ leges muniunt iud
cum autoritatem aduersus improbos, & conten
tiosos litigatores. Neq; ego ignoro quæ contra
cantur, semper enim facilimum est præsenten
Rerump. statum reprehendere. Sed quid futurum
esset, sublatis legibus? si eius status incommod
uidere possemus, præsentem formam magnopere
nobis defendendam esse statueremus. Exempla no
deamus. Etenim non ferenda arrogantia est, ut
re omnium maxima dissentire à sapientissimis u
ris, qui maximas Respub. constituerunt. Nullum
certum ius habebant Athenæ, itaq; ex iudiciorū
confusione maximæ seditiones extiterũt. Nec po
terat restitui ciuitatis tranquillitas, nisi certæ l
ges essent, quibus propositis, nemo posset fidem iu
dicum in dubium uocare. Idem Romæ accidit: Et
quidem populus Romanus Græcas leges deseru
bi, ut optimæ atq; humanissimæ eligi possent, cu

Muniunt iudicum autoritatẽ scriptæ leges.

rauit.

rauit. Quid, quod ita Deus ipse iudicauit, qui cùm Rempublicam Ebreæ gentis constitueret, certas leges tulit, et ex scripto iudicari iussit. Quanquam si rectè æstimare uolumus, non hæ tantum Ebraicæ leges diuinitus traditæ sunt, sed sentiendum est uerè diuinitus Respublicas etiam apud Gentes constitutas & gubernatas esse, sicut Paulus testatur, omnes Respublicas, omnia imperia, à Deo ordinata esse. Quare Deus non solùm Iudaicarum legum, sed etiam harum nostrarum author est, quas sapientissimæ nationes, & optimè constitutæ ciuitates tenuerunt. Extat hæc disputatio & apud Aristotelem, Vtrum satius sit res ex scripto iure iudicare, an ex arbitrio iudicum: sed Aristoteles longè præfert ius scriptum: Et quidem ita dicit: Qui legem præficit, Deum et leges uult præesse, sed qui hominem præficit, addit ei beluam, uidelicet cupiditatem & iracundiam, quæ sunt beluina, & peruertunt animos etiam in uiris optimis. At lex est mens sine cupiditate. Sed quid isti Centauri iudicium Aristotelis morantur, qui neq; maximorum uirorum, qui Respub. constituerunt, neq; sapientissimarum ciuitatũ, deniq; neq; dei iudicio mouentur? Scilicet plus uident homines ebrij, stulti, imperiti, quàm Solõ, quàm Senatus Athenienſis ac Romanus, quàm

Ebreæ gentis leges.

Aristotelis egregia sententia de iure scripto.

Moſes, deniq; quam Deus ipſe conditor Rerum publicarum & legum autor. Sed quid in re manifeſta opus eſt longa diſputatione? Hæc dixi tum ad præmuniendos adoleſcentes, ne pernicioſis illis opinionibus indoctorum adſentiantur. Demoſthenes in quadã grauiſſima cauſa, dicit legem fuiſſe apud Locros, ut ſi quis ſuaſurus eſſet nouam legem, proponeret ſuam ſententiam uniuerſæ ciuitati, collo inſerto in laqueum, ut ſi diſplicuiſſet, ſtatim ſtrangularetur, ſin autem placuiſſet noua lex, dimittebatur autor incolumis exempto collo ex laqueo. Et quia nemo facile indiciũ uniuerſæ ciuitatis ſubire auſus eſt, annis amplius ducentis, nulla noua lex lata eſt. Hæc Demoſthenes recitat, ut doceat in bene cõſtitutaRepub. præcipuè hoc caueri, ne temerè leges mutentur. Proinde ſciatis uobis, adoleſcẽtes, nullo modo ineptis illis ſentiendum eſſe, qui ius ſcriptum, & hãc doctrinam quam profitemur, ex foro explodi uolũt. Quin ita cogitate, inter cætera honeſtamenta hoc quoq; requiri, ut de iure ac legibus recte ſentiatis. Vos uerò ſcholaſtici iuris, memineritis hãc doctrinã nõ ſolùm ad hoc tradi, ut callidicos efficiat callidiores, ſed multò magis, ut uiros iuſtos ac bonos efficiat. Hoc putetis in hac doctrina præcipi, quod eſt apud præſtantiſſimũ Poẽ-

Locrenſium lex.

Vergilius.

Diſci-

Discite iustitiam moniti, & non spernere diuos. Dabitis igitur operam, ut cum ipsa doctrina studium iustitiæ & omnium uirtutum coniungatis. Quod quidem facietis, si ad perfectam doctrinam aspiratis. Nemo enim perfectam doctrinam consequi potest, nisi dignitatem & magnitudinem harum rerum intelligat. Id autem fieri nõ potest, nisi uim uirtutis intelligat. Et cùm perfectam doctrinã expetitis, ordo etiam adhibendus erit, & sumenda ex alijs artibus instrumenta necessaria ad hanc professionem. Quare si quis est qui contemptis omnibus literis, irruit ad ius, is sciat se ipsi doctrinæ iuris iniuriam facere, quæ neq; uult contemni alias bonas artes, neq; percipi sine magna scientia multarũ aliarum artiũ potest, Dixi.

ORATIO PVBLICE HABITA Vuitenbergæ in promotione Doctoris Iuris, de Scripto iure, & dignitate ueterum interpretum iuris.

VTiliter institutum est, ut in quadã frequentia omniũ ordinum, & totius scholastici cœtus decernantur gradus, & doctrinæ testimonia.

Primùm ut publica ſuffragiorum noſtrorum re-
nunciatio plus autoritatis haberet: Deinde ut in
hac frequentia, iuuentus de ſtudiorum dignitate
atq; utilitate admoneatur. Itaq; alij ſumma cum
grauitate hîc ſæpe de legum dignitate, & de hac
toto genere doctrinæ dixerũt, ac oſtenderunt hæc
noſtra ſtudia præcipuè ad Rempub. pertinere, ſe-
cuturamq; ingentem cõfuſionem ac barbariem re-
tæ hominũ, ſi hæc eruditior doctrina iureconſulto-
rum deleretur. Nec uerò quicquam honeſtius eſſe
& omnibus bonis uiris, ac præcipuè noſtro ordi-
ne dignius, quàm propugnare leges aduerſus ſe-
rorem uel populi, uel Tyrannorum. Nullæ uic-
riæ, nulli triumphi plus ueræ laudis merentur
quàm hæc defenſio, propugnatioq; iuris et doctri-
næ, quæ eſt Reipub. neceſſaria. Quanquam autem
hæc cauſa ſummis eloquentiæ uiribus ornanda e-
rat, tamen omnium laudanda eſt uoluntas, qui ſi
amſi nõ poſſunt parem eloquentiam tantæ cauſæ
adferre, mediocriter declarant ſuum ſtudiũ & iu-
dicium. Alij plus adferunt uel autoritatis uel fa-
cultatis, ſed tamẽ quia mihi nunc hæ partes dicen-
di à uiro clariſſimo Decano collegij noſtri, domi-
no Doctore Hieronymo, præceptore noſtro ſum-
ma obſeruãtia, fideq; colendo, mãdatæ ſunt, æqui
eſt, uos quoq; propter autoritatem Collegij, mi-
bona

Iuris & doctri-
næ propugna-
tio illuſtris.

bona cum uenia audire, etiamsi non possum pro dignitate hanc nostram doctrinam ornare.

Caligulæ odium aduersus scripta Iuris consultorum.

Suetonius scribit Caligulam, qui uerius fuit immanis quædã belua quàm Imperator, si uixisset, aboliturum fuisse omnia scripta Iureconsultorum. Sunt autem non pauci hoc tempore, qui similiter oderunt ius scriptum, sed præcipuè tamen iureconsultorum doctrinam, ac mallent res iudicari arbitrijs potentum, non scripto iure, quemadmodum hodie dicuntur Scythæ, aut aliæ barbaræ nationes regere suas ciuitates, et iudicia exercere sine scripto iure. Horũ errorẽ breuiter refutabo.

Causæ tantũ odii.

Quæ sunt autem causæ quare potentes oderunt ius scriptum? Prior est, quia nolunt legum uinculis coërceri, nolunt suas cupiditates frenari autoritate certi iuris, sed expetunt Tyrannicam licentiam, & faciendi & decernendi quicquid libet. I.

Altera causa est, quòd nõnulli fremunt, se suis Iureconsultis in Repub. tanquam mutas personas esse, quod uelut in aliena tutela esse, et ad alienum præscriptum decernere cogantur. Hanc seruitutem, ut ipsis esse uidetur, ægrè ferunt, præsertim si qui sunt ferocioribus ingenijs præditi. Nam ut natura alij temperantiores, facilius patiuntur iustas leges, alij intẽperantes minus eis sunt morigeri. Ita in genere sit: aliæ naturæ magis cõtumaces II.

sunt, & minus patientes freni. Hi sunt odij fontes quos dixi: Quod cùm sit iniustum, & noceat Republicæ, repugnare bonos & prudentes omnis odio decet, ne abolita doctrina Iureconsultorum infinita tyrannis ac barbaries sequatur.

Scripto iure ciuitates regendæ.

Vetus est autem disputatio, utrum magis expediat, regi ciuitates arbitrijs gubernatorum, an scripto iure: sed cùm oporteat ius esse certum, voluntates autem gubernatorum sint incertæ, saepe etiam pravæ, necesse est extare certam regulam quæ dominetur in iudicijs & gubernatione. Ideo præstantissimæ Respub. etiamsi primùm tantùm consilijs Principum administratæ sint, tamen postea sciptum ius expetiuerunt, id est, Attica & Romana, ut certi iuris authoritate tuta esset libertas. Quàm pauci sint boni Principes, dictum Claudij cuiusdam indicat, qui ait: Omnium bonorum Principum imagines in uno annulo sculpi posse.

Rari boni Principes.

Deinde & boni facilè deprauantur inter tot corruptelas. Nec de nihilo est, quod ille in Tragœdia ait: Vt nemo doceat fraudes, & scelleris uias, regnum docebit. Sæpe uerò optimis & uigilantibus, tamen falsa recti species imponit. Ideo cõsensus prudentum testatur, melius esse scripto iure: Atq; ita pronunciat Aristoteles, cuius uerba tanquã oraculum inculcari, præsertim

nostra

nostræ ætatis hominibus oportuit, sic enim ait: Qui legem uult dominari, uult præesse Deum & leges: qui autem hominis arbitrio uult regi ciuitatem, sæuissimam beluã addit. Nam cupiditates & ira gubernatores deprauant, etiamsi fuerint optimi uiri, quare lex est mens sine cupiditate. Nec disputabo de re manifesta prolixius, nemo enim sanus non uidet melius esse uti certo iure, quantum fieri potest, quàm incerto.

Quanquam autem illi, qui nostræ doctrinæ iniqui sunt, non prædicant se hoc uelle, ut nullæ extent scriptæ leges, sed illas longas doctorum disputationes & molem commentariorum improbare se dicunt. Scio hac in re multos errare, etiã ex Scholasticis, qui imaginantur iuris scripti possessionem, sine disputatione interpretum retineri posse, sed longè falluntur. Tollere doctrinam, est in uniuersum abolere ius scriptum: nec enim leges sine illis lumen habere possunt, neq; natura patitur, ut ullum usquam ius extet sine disputationibus, sicut grauissime dictum est à Pomponio indigestis, legibus latis natura licet euenire, ut interpretatio desideret prudentium authoritatem, & necessariam disputationem. Hæc sententia, cum sit uerissima, gratia potius habenda est peritis, qui illustrauerunt leges suis lucubrationi

Interpretes adferunt lumen legibus.

bus, quàm reprehendenda induſtria. Sempero
mnibus ſeculis, in ciuitatibus bene moratis, di
ſputationes de legibus extiterunt: ſcribuntur e
nim leges de moribus & hominum actionibu
quibus nihil eſt flexibilius & magis uarium. N
proponuntur, ut in Geometria, ſententiæ de me
ſura aliqua immutabili figurarum, & tamen o
pus eſt regula & arte, quæ negotia ad ſo
tes reuocet, ut id, quod naturæ propius eſt decer
Theologicæ explicationes. natur. Videtis in Theologicis præceptis, tamet
pauca & tantum uniuerſalia ſint, tamen adhibe
dam eſſe explicationem. Nam dicta de faculta
tum deſertione, de non iudicando, quantum par
rent abſurditatis, ſi non accederet erudita inte
pretatio?

Quantò magis opus eſt interpretatione in ho
uarietate forenſium ſententiarum, quæ colligun
multa particularia. Fuerunt igitur ſtatim imit
poſt natas leges, qui adderẽt interpretationes: C
Athenis à certis Magiſtratibus interpretati
petebatur. Laudanda eſt igitur prudentia ſum
morum uirorum, qui poſtquam Imperatoris Lo
Lotharius. tharij tempore rurſus ex bibliothecis prolat
ſunt humanæ leges, & in forum, ac curiam reuo
catæ, ſtatim addere commentarios cœperunt. Vi
dutẽ ſingulari beneficio Dei arbitror tunc reſti
tut

tum esse ius Romanum, ita non potuit fieri, nisi diuinitus, ut simul tot præclara ingenia exorirentur, quæ operam cõtulerunt, ad illam ueterem doctrinã illustrandam. Qua in re si quis cogitet quanta fuerit difficultas initio, non poterit nõ uituperare stultitiam, atq; ingratitudinem eorum, qui hos Herculanos labores, nõ magni pendunt. Vetus consuetudo fori ac iudiciorũ Romanorum fuerat antiquata, erant ignotæ historiæ ueteres, quæ etipsæ lumẽ sæpe afferunt legibus, lingua uetus corrupta erat. In his tantis impedimentis, tamen ingenti animo Irnerius, & deinde alij cœperunt conferre textus, quærere sententiam ex ipsis legibus, ideam totius ueteris Reipub. animo informare, & quasi imaginem quandam imperij restituere: Ita cœpit lingua uetus fieri notior. Irnerius

Magna gloria est Solonis, et aliorum, qui ciuitatibus leges scripserunt, & Respub. sapientes constituerũt, nec dubiũ est eiusmodi opus inter humana omnium longè difficillimum & utilissimũ diuinius regi. Sed nõ minor gloria debetur meo iudicio Irnerio, & cæteris, qui illius glorioſi laboris socij fuerunt. Necesse est enim scriptores illos, nõ solum ingenijs, sed etiam usu & peritia administrandæ Reipub. excelluisse: Nec sine acerrimo studio ars integra comprehendi animis potuit.

Multa

Multa monebat illos peritos uiros usus, quem habuerant in administratione: Nam Irnerius longo tempore ferè totam Italiam rexit. Sed tamen usus sine diligentia, sine studio, non sufficiebat. Tanto labore patefactas & illustratas leges rursus obruent æternis tenebris, isti qui interpretes aboleri uolunt.

Vsitata querela est non intelligere hominum præsentia bona, ita est profecto. Si deessent ueterum commentarij, quis nunc intelligere artem posset? Quare cum sit opus scripto iure, & conseruari has Romanas leges omnes prudentes optent, necesse est etiam his interpretes adhibere, ac sequi tanquam artifices & monstratores uiæ. Sapientissimè inquit Constantinus in Codice de iudicijs, lege, placuit. Aequitatem scriptam anteferendam esse stricto iuri: Cum enim multi habeant in ore nomen æquitatis, & hanc uelint anteferre legibus, Imperator illa iudicia laxat, ac reuocat nos ad scriptum, idq; pronunciat æquissimum esse, quod scriptum est; Fortassis autem hanc uocem Constantini reprehendent aliqui, qui dicent æquitatem esse moderationem scripti, ut uult Aristoteles, non ipsum scriptum: Sed hæc cauillatio facile dilui potest. Regulariter ea, quæ lege constituta sunt in eo

Constantini dictum sapiens.

Vbi locus moderationi.

su, de quo principaliter lex loquitur, sunt æquissima: Vt cum lex recens, furem capitali supplicio puniri iubet, loquitur principaliter de eo, qui atroci consilio furatus est, non de eo, qui uel ætate lapsus est, uel fame impulsus: Iudex igitur in casu, de quo lex principaliter loquitur, non discedat à lege. Nam cum legitimis imperijs obedire nos iusserit Deus, necesse est etiam, parere uoci legum. Deinde quorsum attineret proponi ius scriptum, si liceret Iudici priuato arbitrio discedere à scripto, quoties uellet? Hæc licentia quid esset, nisi legum dissolutio & abrogatio? Sed cum incidit casus, de quo lex non principaliter loquitur, propter aliquas circumstantias, ibi locus est illi moderationi, de qua Aristoteles loquitur. Furtum.

Lex de sabbato, præcipiebat uacationem, uidelicet, ut populus audire doctrinam cœlestem posset: At cum Antiochus in Sabbato cessantes Iudæos adoriebatur, nec iam populus audire conciones posset, sed defendere armis ueram religionem deberet, ne funditus interiret, rectè fecerunt Doctores populi, qui non obseruata uacatione Sabbati, hostes depulerunt, ac profligauerunt. Nam lex de Sabbato non complectitur hunc casum necessitatis. Regula est igitur. Scripta æquitas semper in ijs casibus, de quibus scriptum loquitur, Vacatio sabbati.

quitur, nec ab ea regula discedendum est. Sed de
mitto hanc disputationem, illud tantum mones
adolescentes, ut infigant animis hanc uocem
Constantini de scripta æquitate, sciantque
hunc esse interpretum scopum, ut illam scriptam
æquitatem collatis textibus ac rationibus colli-
gant.

Extant in præceptis politicis multæ grauissi-
mæ sententiæ, quæ prohibent non necessariam le-
gum mutationem. Sed recitare plura testimonia
longum esset, tantum commemorabo unum quod-
dam exemplum, quod extat apud Demosthenem.
Locrensiũ lex. Locris ait legem fuisse, ne aut præsentes leges ab-
rogarentur, aut nouæ ferrentur: Sed si quis es-
set aut abrogaturus aliquã, aut nouam laturus,
proponeret suam sententiam publicè, stans collo
inserto in laqueum, ut, si lex placuisset populo, di-
mitteretur author laxato laqueo: sin autem dis-
plicuisset, laqueo constricto mox strangularetur
author. Nihil est incertius populi iudicijs, ideo
annis ducentis nemo ausus est subire huius iudi-
cij periculum, nec ulla noua lex proposita est,
præter unam: Vt ambo oculi effoderentur isti, qui
Lex de mono- culo, unoculo effodisset unum illum oculum. Videte
quãta seueritate ueteres legumlatores cauere te-
merarias legum mutationes uoluerunt. Prouidit

idem

idem callidè Lycurgus, qui cũ exponeret ciuibus se consulturum oraculũ de legibus promulgatis, ac peteret, ut iusiurandum darent, se interim dum abesset, non immutaturos esse leges. Discedẽs igitur, non est reuersus, ut perpetuò obligatos religione iuramenti teneret. Ita durauerunt leges ille annos quingẽtos. Hæc atq; alia multa à doctis proponuntur, ne iura uero cõsilio recepta, temerè mutentur. Præcipuè uerò Christianos decet cauere, non necessarias disputationes, cum propter Deum legibus et uniuersæ politiæ reuerentiã debeãt. Nec dubium, quin si amitteretur hæc erudita iuris doctrina, magna confusio, et barbaries in iudicijs et moribus secutura esset: quã, ut prohibeat Deus, qui est autor boni status politici, opto. Dixi.

Lycurgi prudens calliditas

DE AEQVITATE ET IVRE STRICTO ex L. placuit, C. de iudicijs. 1542.

NOta est uobis honestissima consuetudo, & propter graues causas in Academijs instituta, qua solemus in his congressibus de doctrina uiri cuius dicere. Quid enim est dignius Hominibus, præsertim nobis, quorum iudicijs & exemplis

plis uita aliorũ quoq; regi debet, quàm in conuer-
tibus de Deo, de uirtute, de honestis disciplinis dis-
serere, et cũ nos ipsos, tum alios ad decus excita-
re. Nunc uerò etiam tempora postulant, ut hæc
nostra exercitia, maiore cura, & diligentia tue-
amur, & propugnemus, Videmus enim laxatis
frenis disciplinæ, mores populi subinde magis cor-
rari, contemni leges, doctrinam uitæ utilem, reli-
gionem. Ideò acrius & uehementius pugnare o-
portet, ne amissis literis, legibus, & religioni-
bus, infinita uitæ confusio, Dei obliuio, libidinum
impunitas, & æterna latrocinia sequantur. Ad
hæc mala prohibenda, certè opus est eruditione,
cultura, & his qualibuscunq; exercitijs schola-
sticis, quæ potentes minus adiuuant, quàm de-
bent. Quare ut nos ea quantum possumus, con-
iunctis et copijs et studijs, defendamus, optandum
est. Sæpe autem hoc loco de legum dignitate gra-
uissimè dictum est. Ac magnopere prodest excita-
ri, ali, & confirmari in animis hominum amor
politici ordinis, & ueram reuerentiam erga le-
ges: eandem ob causam teneant animis infixam
hanc sententiam: Deum uerè esse autorem et cu-
stodem politici ordinis, ac lucere Dei sapientiam
& bonitatem erga genus humanum, non minus
in ordine politico, quàm in terræ fœcunditate,

Deus custos est politici ordinis

& si-

& similibus beneficijs, quibus corpora nostra diuinitus aluntur.

Quare hunc ordinem uitæ contemnere aut uiolare, quid est nisi Deo bellum inferre? qui assiduis exemplis omnibus ætatibus testatus est, se frenum injicere legum contemptoribus. Quid supplicia assidua latronum, sæua bella omnium temporum? Quid sunt nisi uoces Dei, quibus clamitat, se sui & suarum legum contemptum punire? Et tamen ferrei sunt hominum animi, ut his tam terribilibus exemplis parum moueantur. Sed uos qui collitis doctrinam uirtutis, certè decet affici uoce Dei & exemplis iræ diuinæ. Hac uti commemoratione in præsentia uolui, ut præcipuum uobis argumentum proponerem, quod maximè uos omnes ad legum amorem incitare debet, quo si qui nihil mouentur, hi non oratione regendi, sed tanquam furentes compedibus, & catenis constringendi essent. Et quidem constringet eos tandem Deus æternus, qui est author politici ordinis & legum custos. Porrò cum has conciones quotidie in scholis, & in templis audiatis, nunc omissa longiore oratione, pauca quædam disputabo de lege Placuit, codice de iudicijs. Nam & hæc ipsa disputatio, ad defensionem & laudes scripti iuris pertinet. Verba legis hæc sunt: Placuit in omni-

Pœnæ sunt uoces Dei.

Verba legis Placuit.

bus rebus præcipuam esse iustitiæ, æquitatisq
scriptæ, quàm stricti iuris rationem: Huius leg
uerba quidam inter sese pugnare dicunt. Scr
ptum ius id aiunt esse, quod in scripto & leg
uerbis continetur, ut strictum ius erat Roma
legis, eum qui contra Dictatoris interdictu
pugnauerit, interficiendum esse. Pugnauit abs
te Dictatore Papyrio, Magister equitum Qu
tus Fabius contra edictum, inuitatus occasio
rei bene gerendæ & uicit. Quid hic faciet Pa
rius, si scriptam æquitatem sequeretur, aut q
interest inter strictum ius & scriptam æqui
tem? Nullam inquit Papyrius uictoriam plus
faciendam esse, quàm militaris disciplinæ co
seruationem. Vt igitur sanciat disciplinam
legis uerbis obtemperet, iubet magistrum equ
rapi ad supplicium. Si igitur, ut in hoc exemp
apparet inter scriptam æquitatem, et strictum i
nihil est discriminis, uidetur absurda esse aut
cio sa huius legis oratio in codice. Aristotel
paulò aliter de æquitate disserit, uocat enim æq
tatem moderationem non scriptam, quæ tamen
bet honestam & probabilem rationem, ut in
casu Papyrij, Dictatorem aliquid remittere de
uitute conueniebat. Quia magister equitum
ambitione incitatus, nec temerè pugnauerat, s
face

Aristotelis de æquitate sententia.

facere se contra utilitatem Reipub. & contra uoluntatem Dictatoris iudicauerat: Si occasionem è manibus dimitteret, quam Dictator si adfuisset, nequaquam neglecturus erat. Attribuit igitur Aristoteles sapienti iudici potestatem moderandi scripti, & penè nimium inflectens legum auctoritatem, ait eas uelut plumbeas regulas ad negotia accommodandas esse. Fit hoc fortasse sæpius quàm prodest, ut & Celsus questus est, ut dicitur in lege, Si Seruum. ff. de uerborum obligationibus, prætextu æqui & boni sæpe periculose errare. Quanta licentia potentibus conceditur, si permittendum est, ut à scripto iure recedant priuato arbitrio, facilè est enim ingeniosis excogitare rationes in speciem probabiles, in humanarum uoluntatum actionibus, quæ sua natura admodum sunt flexibiles, & propter uarietatem causarũ et circumstantiarũ agitari uariè possunt.

Athenienſium grauitas.

Quare laudanda est Athenienſium grauitas, qui lege constituerunt, ut lecti iudices iurarent se pronunciaturos esse iuxta leges, hoc est, non priuato arbitrio, non commenticia aliqua legum moderatione. Experientia docuit uitam non posse carere scripto iure, sed uos non solùm experientia moneamini, sed multo magis uoluntate diuina: Deus uult scripto iure uitam regi, à quo si licet

discedere priuato arbitrio, leuis erit ius autori-
tas, & quantum in exemplo mali est. Deinde
sentio, ut Magistratui officiũ rectè facienti de-
nos parêre iußit, ita legum uoci parendum
Melius igitur Architecti dixerunt: Lapis ad
gulam, non regula ad lapidem accommodanda
Id magis probandum est, quàm quod de plum-
regula dixit Aristoteles. Rectè igitur textum
ster in lege Placuit, iubet scriptam æquitatem
qui. Idq; semper æquißimum esse statuamus, q
in lege graui consilio recepta constitutum

Scripta æqui-tas.

Cur igitur discernit textus ille scriptam æqui-
tem à iure stricto, quod aliud non uidetur
quàm scripti uerba, sed ego strictum ius hoc
calumnioßam interpretationem intelligo. Iude-
nebant uerba scripti de sabbato, ne fierent ope
seruiles. Ideo in sabbato nunc quoq; adeo sup
stitioßum est otium, ut non solùm non coquant
die, non accendant ignes in fornacibus, sed ne
dem mucos decerpant sua manu à lychnis. Ca
sam dicunt non rerum magnitudine, aut par
tate æstimanda esse hæc officia, sed legum uerb
Speciosa est oratio & sæpè ualet: Sed tamen
uerborum angustiæ, non rarò pariunt absurd
sententias, & rectiora officia conturbant.

Illud igitur rectius est, cùm quælibet lex de
aliqu

aliquo casu qui plerunq; accidit loquatur. Hic casus in accommodanda lege intuendus est, ut sit norma interpretationũ. Lex quæ capitali supplicio fures punit, intelligit grassatores & insidiatores, quorum ætas & consuetudo intuenda est. Aliàs est, si puer nõdum satis intelligens quantum sit in furto turpitudinis, alienum quadam ætatis stultitia auferat, aut si quis modestus, per negligentiam non reddidit alienum: De his casibus legem non loqui consentaneum est. Esset igitur strictum ius calumniosum, uerba referre ad casum alienum à principali intentione legis. Erat in lege Sabbati principalis intentio: Prohibere operas seruiles, hoc est, assiduas, abducentes à ceremoniis diuinis. Est igitur strictum ius, id est calumniosum, cõplecti casus cæteros, id est domesticæ necessitatis operas, quæ non abducunt à ceremoniis. Itaq; noster textus sententiam utilem uitæ, moribus, paci continet. Cùm iubet scriptam æquitatem sequi, prohibet Tyrannides & potentibus frenum injicit, ne ex priuato arbitrio res iudicent: Deus enim uult & ipsos gubernatores teneri legibus, non uult cæcas eorum cupiditates dominari, uult legibus ciuium uitam, corpora, fortunas, connubia munita esse. Non igitur sumendum est ex facultatibus ciuium, quantum aulæ

De iure stricto

possunt profundere, non contra scriptam æquitatem sæuiendum in corpora, aut uitam moderatorum ciuium. Cernit Deus omnia uindex, quippe tentum iniusta facinora magnis cladibus punire solet. Scriptum est: Regnum à gente in gentem transfertur, propter iniurias. Rursus etiã textus noster occurrit alteri malo, quod prætextu scripti contra iustitiam facit, uidelicet sophistice, seu calumnioſæ interpretationi, Nam in textu nostro, strictum ius de calumnioso intelligitur, cui hoc semper pugnat scripta æquitas. Non est autem rarum scripti prætextu ludere, & exlegibus optimo & diuino consilio conditis ac receptis Cothurnos facere, qui magna imperia saepe grauiter concusserunt. Dixi de textu legis Falcuit, quantum huius temporis angustia fert. Est summa rei ex scriptis legibus res iudicandas esse, nec concedendum, ut priuatis arbitrijs, seu gantur moderationes, sed statuendum id esse æquissimum, quod uerè sentit lex, neq; tamen calumniose interpretandas esse. Iam cogitate, quàm difficilis & magna res sit, simplicem ueritatem in tam flexibilibus materijs retinere & tueri. Sinti tur custodes iuris primùm uiri boni, & amantes ueritatis & iustitiæ: Deinde etiam eruditi, nigilantes, exercitati. Nam & boni aliquando spe-

Iniuriæ regnorum.

Summa rei.

Qui ueritatem tueri debeant.

rũ

recti labuntur. Ideo acerrimo studio opus est, ut intra metas & septa ueritatis opiniones nostras includamus. Quod in Reipub. gubernatione munus noster ordo sustineat, non est obscurum, nostris consilijs & sententijs iudicia, fœdera, & pene omnia uincula pacis regi solent. Id munus longe maius est, quàm cui humana sapientia par esse possit, sed Deus facientes adiuuat. Fides, diligentia, studium, animi moderatio à nobis requirunt: Hæc si præstabimus, aderit etiam Deus pijs, & eorum consilia reget, & dabit exitus placidos. Quare, scholastici, uos adhortor, ut professionis huius difficultatem animo consideretis, ut magnitudo periculi publici, & uestri, uos ad discendi curam, & ad modestiam inuitet & excuscitet. Deus uoce parentum et magistratuum destinatos ad hanc professionem, uocat ad Reipub. gubernationem, quæ est res sacra, omnium maxima, difficillima & periculosissima. Annitendum est igitur omnibus uiribus, ut ad rem tantam accedamus non prophanis animis, sed prospicientes magnitudinem muneris à Deo impositi, & adferentes timorem Dei, modestiam, eruditionem mediocrem, & studium salutaria agendi: Hoc ut fiat à nobis, faciat Deus æternus pater liberatoris nostri Iesu Christi, Dixi.

ORATIO DE DIGNITATE Legum. M. D. XLIII.

VSitatum est hoc loco, & in his spectaculis aliquid de legum dignitate dicere, ad quarum reuerentiam certè excitari homines maximè prodest. Etsi autem & ego de eodem argumento dicere cupio, tamen quo sæpius de imperijs, de uitæ gubernatione, de legibus & iudicijs, quæ sunt nerui gubernationis, tranquillitatis, et disciplinæ, cogito, eo mihi difficilius est eligere ex tanta mole rerum quod dicã. Primùm enim quã difficile est respondere Cyclopum & Centaurorum opinioni, qui in tanta confusione rerum humanarum, hoc totum quod uocamus legẽ, & politicam sapientiam, dicunt inane nomen esse, ui & armis rapi imperia, et regi arbitrijs potentũ tantisper dum tenentur. Nam ut uetera exempla omittam, quid Turcica barbaries ullas leges curat? Progreditur quod potest & ui oppressis imperat quæ libet. Ante centũ annos Constantinopolis florentissima schola fuit nostrarum legũ: Nunc procul pulsa hac doctrina, omnia uniùs tyranni nutu, aut barbari alicuius ducis

Vbi Centauri ibi confusio, nulla sapientia

ducis reguntur. Sic cũ orbis terrarum dilacerare
tur ab Alexandri satellitibus, quæ ibi legum uox,
quæ doctrina politica usquã audiebatur? Cum igi
tur magis rabie Tyrannorum & arbitrijs poten
tum omnia gerãtur, quis locus est sapiẽtiæ, et no=
stræ politicæ arti? Nec enim illud imaginandum
est, nostrã artem similẽ esse militari, quæ nunc ho
stibus, nunc ciuibus seruit, et utrinq; iniustis cupi-
ditatibus operam locat. Alia res est hæc politica
ars, seu iuris doctrina, nusquã locũ habet, nisi in
tranquilla ciuitate, & in eo consilio, quod ad nor Aut lex, aut tyrannis.
mã iustitiæ suas sententias accommodat. Vt Athe
nis donec Solon præfuit ciuitati, ualuit legum au
thoritas. Romæ legum reuerentia mansit, donec
Augustus uixit, sed utroq; loco breui pòst oppres
si sunt ciues Tyrannide, et leges conticuerunt, ut
Solone uiuo, Pisistratus rapuit dominationẽ, post
Augustum, mox Tyranni aliquot quàm crudeli=
ter grassati sunt in Rempub. Hæc exempla sæpe
mouent etiam magnos homines, ut aut nullum,
aut exiguum usum esse nostræ doctrinæ arbitren
tur, qui quidem dictum illud Ciceronis in ore ha-
bẽt: Inter arma silent leges. Marius dixit, se legũ Marii uox.
uocem inter classica & tubarum sonos non audi=
uisse. Et Nazianzenus de Iuliano inquit: Volunta
tem principis esse ius nõ scriptum. Vt igitur ipse

meum animum, & si quos fortasse alios confirmẽ, refutare illam uituperationẽ nostræ doctrinæ in stitui, & ostendam & esse, & futurũ esse usum huius artis, etiamsi magnæ fuerunt, & nunc sunt, & impendent aliæ rerũ humanarum mutationes, nec nobis studium abijciendum esse, sed eò magis colendum, ut conseruetur. Ac primùm constituemus esse artẽ politicam: Non enim frustra Deus indidit humanis mentibus leges naturæ. Harum explicationẽ uoluit extare in literis et monumentis sapientum, hãc uoluit esse imperiorum et iudiciorum regulam, quæ non propterea nihil est, etiamsi multæ aliæ res gubernationẽ interturbant,

Vsus legum perpetuus.

Vt ars medica uera, est diuinitus tradita, & salutaris humano generi, etiãsi corpora humana non tantum medicæ artis præceptis reguntur, sed sæpe occultis, aut subitis causis læduntur, quæ prouideri non possunt. Ita nostra ars uera est, diuinitus monstrata generi humano, & salutaris, etiãsi aliæ res accedunt, quæ hãc sapientiam sæpe reprimunt. Lacerãtur imperia interdum fatalibus pœnis, uel Diaboli furore & tyrãnorum cupiditatibus: Cedit talibus temporibus sapientia politica.

Simile ab arte medica.

Quid enim loci erat bonis uiris, cum triginta Tyranni tenerẽt Athenas? Et quia sæpe uiolentia dominatur, & multæ existunt subitæ, & improui

sæ mu-

se mutationes, Epicurei putãt res humanas casu ferri, et tantum quemq; obtinere posse, quantum ualet potentia. Sed nos, qui in Ecclesia Dei instituti, certò scimus Deum esse inspectorem & iudicem uniuersi generis humani, sciamus imperia neque oriri, neq; interire casu. Deinde hac nos consolatione maximè sustentemus. Et si concutit Deus aut euertit imperia, tamen ecclesiam suam non sinit funditus deleri, & hæc, ut maneat, dat hospitia, conseruat connubia, procreationem, educationem, contractus, literas, doctrinam de cœlo traditam: Esse igitur cœtus legibus iunctos necesse erit. Quare etiamsi multa incidunt tempora, quibus politica sapientia parum habet loci, ut in sæuissimis tempestatibus nautæ periti uincuntur, tamen donec erit Ecclesia, cœtus erunt legibus iuncti, hos si regerent indocti, sine certo iure, sine literis & eruditione, quales tenebræ essent uitæ? ac redeo ad exempla superiora. Solon leges tradidit Atticæ ciuitati, quæ etiamsi non sustulerunt omnia uitia, tamen contractus & iudicia quadam humanitate rexerunt, & uoluntates ciuium coniunxerunt. His legibus ad Romana tempora annis plus quingentis ciuitas usa est. Etsi autem interea urbs bello Persico incensa, & deleta est, cum ciues essent in nauibus, & uxo-

Deus inspector generis humani.

Politiæ nautæ periti periclitantur.

& uxores & liberos abdidissent inter scopulos marinos, tamen non propterea Solonis leges fuerunt inutiles, quæ et antea in pace tranquillitatẽ retinuerant, et aliquantò pòst, rursus instaurant ciuitatẽ. Nec illud urbis incendium, etsi ligneas tabulas cõsumpsit, propterea leges delere potuit, quæ infixæ animis ciuiũ tum maximè ualuerunt. Hac disciplina institutĩ ciues, norant barbaricos mores non esse admittendos, norant dimicandum esse coniunctis uiribus pro defensione libertatis, hoc est, disciplinæ et honesti status, et ob hanc causam omißis priuatis certaminibus, concordiam inter se tuebantur, extabãt leges, et quotidie earum exempla spectabantur in factis Themistoclis, Aristide, Cymonis, & aliorũ honestorum ciuium. Ita cùm Roma à Gallis caperetur, nõ propterea Respub. deleta est, etiamsi ædificia incensa sunt: Manet enim uirtus et disciplina ciuiũ à legibus orta. Hæc præsidio et saluti sunt ciuibus: Etiãsi Nero aliquãtißper latrocinium inter ciues exercuit, ac oppreßis legibus etiam Iurisconsulto Caßio Longino oculos effodit: Etiãsi Baßianus fratre necato, etiam Papinianum Iurisconsultum nolentem prætextus fingere ad excusandum parricidiũ interfecit, tamen non propterea in uniuersum deletæ erant leges. Ne funditus periret humanum genus,

Robur legum in tempestatibus.

Tyrannis inimica legibus.

nus, Deus adhuc politicum ordinẽ apud aliquos tuebatur, erãt alicubi in prouincijs Magistratus mediocres, qui legũ uocem audiebant. Non amittenda est igitur doctrinæ professio, etiãsi aut bella, aut Tyrannides aliquantisper eius usum impediunt: Imò bona ingenia hoc pugnent ardentius, de uerarum legum defensione, quia uident in tãta infirmitate humana, in tanta cõfusione earum auctoritatem sæpe, tum negligi, tum opprimi. Ideo tradidit Deus humano generi artem politicam, et hanc ipsam doctrinam, ut quantum potest, sanabiles homines ad iustitiã flectat, et iniustos impetus reprimat. Nihil mirum est eos, qui ignorant causas harum confusionum in imperijs, nec didicerũt ex cœlesti doctrina, quomodo cõfirmandi sunt animi, uehemẽter odisse imperia, in quibus rarò boni præsunt, et ut sunt mediocres, imò boni et sapientes, tamen multitudo est uarietas negociorum, non concedit eis, ut in omnia sint intenti. Pompei iustitiam et integritatem amabãt prouinciæ, ut cum secum duceret multos rapaces comites, tamen has iniurias propter beneuolentiã erga Pompeium dissimularent. De Dauide etiam querelæ sunt filij. Deniq; amentia est in hac naturæ humanæ imbecillitate, et in tanta Diaboli sæuitia, quærere animo politiam, sine uitijs et sine erroribus.

Vt

Vt igitur imperia oderunt hi, qui causas confusionum nesciunt, ita & leges adspernantur: Cum uident eas multis ingentibus malis non mederi, et hanc totam doctrinam uitæ inutilem esse censent, sed nos monet cœlestis doctrina, oriri multas ingentes confusiones uitæ, cũ à Diabolo, tum ab humana uel negligentia, uel petulantia. Nec posse gubernatorum consilijs, ac legibus reprimi omnium furores, aut corrigi. Et tamen inter has difficultates non esse gubernatoribus curam deponendam, nec inutilem esse eorum diligentiam: Sed quædam mala, uel reprimere, uel mitigare. Iubet item Deum inuocari, ut adsit huic difficillimo labori, et quidem monet sine auxilio Dei, sapientiam illam politicam sæpe hallucinari, et exitiosam esse ciuitatibus. Quàm multi summis ingenijs præditi, cum quidem patriæ bene uellent, tamen suis consilijs euerterunt Respub. quia freti sua sapientia, res mouerunt non necessarias, ut Pericles, Demosthenes, Pompeius, Cicero. Tota nia erramus, si sine Deo fœlicem esse sapientiam arbitramur. Hac igitur consolatione nos confirmemus, præsertim in his orbis terrarum periculis, et labante tota mundi machina, sciamus ruere res humanas, et tamen fulciri hanc ruinam à Deo, et bonos uiros debere suo quenq; loco anniti, ut pro sint

Sine Deo sapiẽtia hallucinatur.

sint communi saluti. Hæc in præsentia duxi commemoranda esse. Nam mihi aspicienti legum libros, et cognita pericula Germaniæ, sæpe totum corpus cohorrescit, cum reputo quanta incommoda sequutura sint, si Germania propter bella amitteret hanc eruditam doctrinam iuris, & hoc curiæ ornamentum. Crescent Tyrannides, erunt omnes literæ in maiore contemptu, Ecclesiæ magis negligentur, denique multiplex barbaries sequetur. Quare primùm oremus Deum, ut pacem nobis concedat, deinde ut hæc studia tueatur, quod quidem cò magis impetrabimus, si nos ipsi consilia nostra fideliter ad gloriam Dei illustrandam, et salutem communem referemus. Non igitur deterreamur periculis, non frangamur animis, etiamsi interdum, uel iniquitate hominum, uel perturbatione communi rerum humanarum, pia, moderata, salutaria consilia impediuntur, nec possessionem studij nostri deseramus, ipsi præsertim, cum labor multorum nostri ordinis in consilijs publicis etiam Ecclesiæ Dei seruiat, quam cum Deus seruaturus sit, seruabit & politicas arteis Ecclesiæ seruienteis. Non ideò Architectonica deserenda est, etiamsi multæ artes, uel bellorum cladibus, uel alijs modis euertuntur. Tuendæ & colendæ sunt bonæ artes, & petend-

Politiæ seruiēs Ecclesiæ.

petendũ à Deo, ut ipse gubernet studia, et exitu
det utiles ecclesiæ suæ. Quid Daniel, Esdras, Ne-
hemias exules fecerunt? uiderant templum, quod
Deus condi iusserat, funditus deletum esse, uide-
rant urbem regnum omnium solo æquatam, cui
promiserat Deus regnum, neq; tamen fracti desi-
ratione, sua studia abiecerunt: imò ne in exilio, e
in ea gentis dissipatione, doctrina propria Eccle
siæ interciderat, maiore eam diligentia & disci-
bant, et suis tradebant, norant enim non interi-
ram esse Ecclesiam Dei. Ita et nos uota nostra e
spes nostras, ad ecclesiam Dei adiungamus, hanc
intueamur, et hac spe nostra studia colamus: Hæc
nauis et nostrã doctrinam uehat, et uehet haud
biè, si nos hãc nauim ornare studebimus. Possu-
autem optimè mereri de ecclesia nostri ordinis u
ri: Cum mentes principum à quibus consuluntur
ad curam defendendi pia studia, et artes saluta
humano generi flectunt. Dixi pauca de profes-
bus. Sed priusquã desino, etiam hic cœtus schola
sticus de suo officio commonefaciendus est, sæp
in concionibus sacris, sæpe in lectionibus pro
nuntur uobis diuinæ sententiæ, de disciplina, de
nis moribus, de pœnis quæ uiolationẽ disciplin
sequuntur. Et pœnæ sunt in conspectu: Turci im
punè grassantur in uicinia, distractæ sunt prin
pa

Nauicula Ecclesiæ.

Cohortatio ad pietatem et doctrinam.

pum uoluntates, Germania nõ defenditur, imò & domesticũ bellũ satis crudele, tum gerit tũ parit. Si hæ tantæ causæ non mouent uos ut uiuatis modestius, ut confugiatis ad Deum? quid mea oratio proficere potest? quid nos de legũ dignitate apud eos concionari possumus, qui ut Cyclopes, neque Deum neq; leges ullas curãt? Pudet talia dicere in schola, quæ debebat nõ solùm audire, sed etiã colere uirtutis doctrinã. Si esse Deũ conditorẽ rerũ, & iudicẽ factorum nostrorũ sentitis, afficiamini monitis cœlestibus, ipsum autorẽ rerum, et iudicẽ uestrũ agnoscite, et ei in his officijs quæ legum uoce requirit, obedite. Videtis à Deo ordinatas esse uices dierum ac noctiũ, æstatis et autumni: Has uices esse certas omnes fatemini, cur igitur de premijs rectè factorũ, et de pœnis malefactorũ dubitatis? Certa lege Dei obruũtur pœnis omnes scelerati. An casu putatis subijci iã mundũ barbaricæ tyrãnidi Turcarũ, qualis alia nulla similis unquã fuit? Nequaquã hoc casu accidit. Sed hoc tri ficarcere, hominũ furor cohercendus et cõpescendus est, qui nullis legibus frenari suos mores sinũt, qui cõcedi sibi licentiã, ut beluæ uolunt, exercẽdæ petulãtiæ ut libet. O deplorandã principum negligentiam: His malis mederi eos oportebat, ut hanc indomitã turbã seuerissimis pœnis ad modestiã re-

Vices præmiorum & pœnarum.

uocarent, quod nisi tandem facient, Deus iratus has gentes seruitute Turcica opprimet, sed redeo ad scholasticos, Obtestatur uos hic uniuersus cœtus præceptorum uestrorum, & præcipit uocatio uina, ut et reuereamini Deum, et uiuatis modeste us, eaq; in re cum uestræ saluti, tum communi sulatis. Nisi enim erunt modestiores mores, pro

Ornamenta uitæ &c.

ctò hæc bona, lucem doctrinæ de Deo, Ecclesiæ leges, literas, et cætera uitæ ornamenta amisse estis. Quãta bona amisit Adam uno lapsu? Quo diu Ethnici in tenebris, et horrendis scelerib uixerunt? propterea quod eorum maiores spre rant doctrinã primorum patrum. His exemp uos ad pietatẽ et modestiã excitate, quod si fec tis, non solùm dignitatem legum uerè intelligi sed etiam in gubernatione eritis fœlices: Deus

Vox Dei leges.

nim promittit suis sapientiam et successus. Ita telligetis leges esse Dei uocẽ, et hunc politicum dinem à Deo, et institutum esse, et aliqua exp te conseruari, ut in societate humana innotesc ipse, et nos copulati mutuis officijs, testimonio stræ sententiæ, de Deo et de filio Dei, et mutuã beneuolẽtiam ostẽdamus, nosq; mutuis exemp ad uirtutẽ accendamus. Ad hæc intelligenda, pro ctò opus est, ut dixi, quodã studio uirtutis, timo Dei, modestia, et diligentia regendorum morũ

Dixi.

Ora

ORATIO IN LAVDEM ARTIS Medicæ, Vuitenbergæ habita.

VEreor, Viri amplißimi, ne qui de Medicinæ dignitate malè exiſtiment, cũ eam ſub inde laudibus ornari, & encomijs celebrari à noſtri ordinis hominibus audiant. Omnibus enim in ore eſt, rebus perſe parum honeſtis ac pulchris, alieno ornatu, & orationis fuco opus eſſe, quibus commendentur, quando nihil in ſe habent, quo ſibi gratiã aut decus parent. Sicut fœminæ inhoneſtæ ac deformes, quia ipſæ pulchritudine carent, à ceruſſa formæ adiumentum petunt, quo ſe alijs uenditent. His (ſi qui ſunt) noſtri conſilij rationem reddendam duxi, ne re aliter atq; eſt intellecta, & falſa perſuaſione adducti, de diſciplina præclara iniquè iudicent, aut de honeſtis factis inhoneſte pronuncient. Nos non prædicamus laudes Medicinæ, ut eĩ gratiam & uenuſtatem conciliemus, quando tãta eius natiua elegantia et innatum eſt decus, ut nullum non modo lenocinium requirat, ſed etiam nec ulla arte magis exornari poßit, quàm natiuo pulcherrimo fuco. Sed quo adoleſcentibus adhuc rerũ imperitis, eius ſplendorem ac maieſtatem oſtendamus,

Medicinam rẽcte laudari.

mus, ne ignorent, quantum hæc ars in se boni ha
beat, & imprudentes rem singularē prætere
ut est ea ætas infirmi consilij, & præceps, ne
dicio, sed libidine fertur, sed ei dux, quem adm
nentem sequatur, defuerit. Verùm admodum p
cis de re amplißima dicam, quod intelligo mihi
sermonis copiam, & bene dicendi facultatem
esse, quam eius artis uirtutes depoſcunt, si hom
num oculis exhibere uelis. Neq; eo consilio ha
prouinciam suscepi, quòd hoc me præstiturum
fiderem, sed ne in pulcherrimam nostri Gymn
consuetudinem peccarem, quæ tanti bonis
est, ut non dubitent difficilia & ardua, & pr
sus quæ supra suas uires sunt moliri, modo il
seruent. Quare dum publicæ utilitati inserui
nor, & piè quidem, licet parum fœliciter, me
so benignè & patienter audite. In disciplinis
excellentibus illustrium hominum ingenijs inue
tæ sunt, & incredibili grauium uirorum cura
industria perfectæ & expolitæ, ea princeps ar
gina existimari sine controuersia debet, quæ ho
statis splendore, utilitatis magnitudine, iucundi
tis illecebris, reliquas omnes uincit, tum rebus
manis inprimis necessaria est, quā esse medici
ut uere, ita & liberè pronunciare nihil uereman
quæ honestam rerum naturalium scientiam,

Medicinæ dignitas.

elegā

degentem humanæ naturæ cognitionem complectitur, eaq; tradit, quibus uel bonam ualetudinem tueamur, & sustentemus, uel malam corrigamus ac emendemus, ad hæc, quid commodi aut incommodi quæq; res nobis adferant. Quid autẽ bo no uiro, & excellentis ingenij homini honestius, quid melius, quid dignius, quàm uersari in earum rerum inquisitione et indagatione, quarum scientia, & splendoris, et magnificentiæ plurimùm habet? ipsum uerò ac fructum immensum, maximeq; naturam rerum omnium parentẽ attingit? Iamq; animum attollere humo, & sublimia petere, & aëris naturam & cœli uim inspicias, & uigilantibus oculis in ijs obserues, quæ cura & admiratione digna sunt, quæq; commodi aut detrimenti aliquid hominum naturæ portendant, ut possis et commoditates ex omnibus decerpere, et damna cauere. Iam uerò infinitis herbarum generibus contemplandis te debere, ibiq; diu morari, et propius cognoscere admirabiles illas, & planè diuinas earum uirtutes atq; opes, quæ tam uariæ, tam præstantes, tamq; incredibiles sunt, ut nihil profectò in ipsa natura sit, aut dignius, quod suspiciamus, aut pulchrius quod inuestigemus, aut iucundius quod cognoscamus. Videtur enim ipsi naturæ studio fuisse, raraq; suæ benignitatis munera, et non

Honestum.

Rerum naturalium cognitio.

mediocrem boni uim, in intimis herbarum medul
lis recondere & occultare, quo bonos & alacres
uiros ad inquirendum acueret, & eorum studia
& industriam liberalibus præmijs remuneraret.
Quemadmodũ uiri principes, eorum uirtuti qui
in certaminibus præstiterunt, exquisitos honores
habere solent. Cuius rei locuples testis Hesiodus
est, antiquæ fidei uates, qui deplorat hominum
ignorare, quantum boni in malua & albuco re-
conditum sit. Et Mercurius ille Deorum appari-
tor, Vlyßi moly herbam commonstrans, inquit
hominibus difficilè esse, eam inuenire, Dijs autem
non item. Hæc igitur procul ab omnium oculis
in extremis rerum latebris abstrusa peruestiga-
re, & magnum inde humanæ societati fructum
& sibi sapientiam colligere, est præclari & ma-
gni uiri. Quid uerò de gemmarum naturis & ui-
tutibus dicam, quas uiri Medici singulari ingenii
acrimonia, & incredibili industria perpendentes
inuenerunt? quibus tam splendida uis tamq; in-
comparabilis uirtus inest, ut nihil sit in rebus hu-
manis, quòd cùm ijs comparari possit. Et ne lon-
gior æquo sim, reliquas naturalium rerum partes
placet silentio præterire, si prius de homine, de
quo tacere phas esse non puto, dixerim, quo à na-
tura non aliud animal melius aut præstantius,

Hesiodi querela.

diuinis

diuinius conditum est. Ad quem contemplandum, Medicina, quæ hoc in cognoscendo accuratior & diligentior est, quo quid excellentius et melius, omnem ingenij uim, & animi robur conuertit, omnes eius partes perlustrat, singula membra seorsim propius intuetur, & acri iudicio examinat, singulosq; eius angulos perreptat & cognoscit, & in admirabili illa & uiua corporis humani compositione, omnia singulatim, ueluti luculentum & illustre nobilis architecti ædificium perquirit, & inspicit, ibiq; aptè & eleganter disposita admiratur, si quæ uitium fecerunt, notat, totumq; hoc animal adeo perplexum & sinuosum, ut non iniuria Momus ei fenestras addendas censuerit, quo ea quæ intus sunt, cognosci possent, lynceis oculis perspicit. Si igitur quis, quod pulcherrimum & honestissimum est, semetipsum intus & in cute cognoscere cupit, ueluti labyrinthum ingressurus, Medicinam ducem, seu Thesei filum, sequeretur, si errore implicari, & à uero deduci non uelit, & minimo negocio rem, qua nihil cognitione splendidius, & inquisitione melius, & oblectatione suauius consequi. De qua quàm honorificè ueteres illi, uerè sancti & sapientes homines iudicarint, luce clarius est. Homerum enim uates sine dubio rerum humanarum peritissimus,

Medicina contemplatur humani corporis ædificium.

Medicina filum Theseium.

Homerus.

ritißimus, unum Medicum, multis alijs hominibus præstare censuit: quod Poëta acerrimi iudicij nunquam dixisset, si non uidisset tantum oportere tribui tam eleganti rerum naturæ cognitioni.

Medici inter Deos relati.

Quid quod Homero non tantùm uetustiores, sed etiam grauiores uiri, Medicis diuinos honores habuerunt, eosq; beneficentiæ & studio in numerum Deorum sustulerunt. Quod grauiter quidem illi, & constanter fecerunt (ut eorum ferebat religio) iudicabant enim illi hanc sapientiam, non humanam, sed cœlestem esse, quæ tam arcanas rerum uirtutes, in ipsis naturæ uenis reconditas & abstrusas euoluere, et in lucem proferre posset: non hominis, sed Dei esse, tanta hominibus commoda adferre. Quare meritò apud eos in diuino honore erant, à quibus diuina beneficia percipiebãt. Eos uerò, qui de iure respondebant, plurimum admirabantur, & meritò quidem, quis enim tam sanctæ iusticiæ custodes, non magnifaceret? Sed tamen nemo ullum Iurisperitum cœlo dignatus est, uerùm ijs quorum magna & celebris iusticiæ & æquitatis opinio fuit, hanc prouinciam detulerunt, ut apud inferos inter umbras, causas cognoscerent. De Mathematicis ueterum iudicium etiam fabulis testatum est, qui Promethea nobilem sane Mathematicum Caucaso alligarunt, ei pro

Iurisperitia apud inferos iudices.

Mathematici & philosophi miseri.

honestis-

honestissima disciplina tradita, solicitudinẽ & mi seriam reponẽtes: Neq; his maior honor Philo= phis habitus. Hinc nimirum palàm est, inter hone stissimas disciplinas, principem locum ueteres Me dicinæ dedisse, ut interim taceam Græciam, cum omni genere disciplinarum maximè floreret, Hip pocrati eos honores habuisse, quos prius Herculi mõstra tollẽti detulerat. Ex quo Medicinæ digni tas et splendor æstimari debet, cùm ea regio, quæ sic uiris sapientibus præstabat, sic optimarũ rerũ iudicio pollebat, Medicinã tam exquisitis honori bus exornarit, ut dignitate etiã Herculẽ minorũ gentium Deum adæquaret. Et ut honestate, ita et utilitate et dulcedine reliquis disciplinis præstat. Quemadmodũ enim in Platone et Demosthene, et eiusdẽ monetæ bonis scriptoribus, nõ tantùm ma= gna maiestas, et ingens sermonis splendor, sed etiã pulcherrimus fructus, et insignis utilitas. Sic etiã Medicinæ non minus uoluptatis, et bonæ frugis, quàm dignitatis inest, nisi quis putat aliquid me lius et optabilius esse bona ualetudine, quæ Medi cinæ beneficio cõseruatur, et eiusdẽ opera labefa= ctata curatur: Quæ ex uarijs herbis succos quan tiuis precij exugit, in ualetudinis subsidiũ, sicut a pes ex uarijs floribus materiã colligũt, unde mel cõficiunt, quibus nobis à morbis circumuẽtis, et op

Hyppocratis honores.

Vtilitas.

preßis opem ferat, qui nobis à frõte, tergo, latẽ
bus, insidias tẽdunt, ut ne Ianus quidem ab his tu
tus esse queat, si non Medicina adsit, quæ abomni
parte morbos tanquam è specula obseruet, et nos,
qui eos effugiamus, moneat, uel ab his oppressos,
ceu è mortis faucibus eripiat. Cuius rei testis es
Cicero. grauißimus ille, nõ dicendi modo, sed etiam intel
ligendi præceptor & magister Cicero, inquiens:
Valetudo sustẽtatur noticia sui corporis, et obser
uatione earum rerum, quæ res aut prodesse solea
ant, aut obesse. At sola medicina obseruat, quibus
nostra natura uehementer oblectetur, & reficia
tur, quibus úe grauiter lædatur, quare idẽ autho
addit: Valetudinẽ sustentari arte eorum, quorum
ad scientiã hæc pertinent: & tamen sunt, qui hæc
monentem non audiunt, qui tum demum sua con
silia, imò temeritatem cõtemnunt, cum iam aut fe
bri concutiuntur, aut morbo contabescunt. Vele
ti Athenienses, qui de pace non nisi pullati consul
tabant, sicut Demades inquit. Et discunt isti lar
magno suo malo, rectè sapere, & res uerè utiles
Necessarium. nõ temere negligendas esse. Medicina uero, si ulla
res alia, nobis inprimis necessaria est, cuius ope
ra incolumes, et salui uiuimus. Sole, igne, aqua, a
aëre deniq; citius carebimus, quàm Medicina. Nã
præstat semel mori, & magnis miserijs defungi
quàm

quàm in longis morbis, quibus liberari nequeas, miserum ducere spiritum, atq; infœlicẽ uiuere uitã: à quibus multi sic premũtur, à Medicinæ auxilio destituti, ut sibi manus adferre non dubitent. Quare Romani Cæsares uideri possunt intellexisse, quàm salutares et necessarij essent boni medici Rebuspub. qui eis in singulos annos amplissimum stipendium ducenta et quinquaginta sestertia pendebant, sicut Plinius author est, cũ tamen reliquarum disciplinarum professoribus, cẽtena sestertia modo in annum numerarint. Cuius pecuniæ si ratione more nostro iniueris, cõperies Rhetoribus et Poẽtis tria millia aureûm, et trecẽtos triginta quatuor numeratos: Medicis uerò octo millia aureûm, et amplius trecẽtis in singulos annos stipendium fuisse: næ illi probè maiestatem et operã medicinæ perspectã habuerunt, et melius & candidius de honestis rebus iudicarunt. Quidam liberalibus præmijs bonos Medicos honestarunt, tantoq; illum ordinem honore affecerunt. At nunc cò deuentum est, ut ex libidine, nõ ex uero iudicemus: ex gratia, nõ ex merito tribuamus: fiuntq; paulatim deteriora omnia, et in peius delabuntur. Neq; desunt, quibus nunc medicina sordet, quæ olim magnis et sapientibus uiris tanti fiebat. Sed quid miror? Vt enim scarabei precioſi unguẽti odore offenduntur,

Cæsarum stipendia medicis data.

Scarabei & sues, contemptores Medicinæ.

duntur, et ſues amaricini fragrantia, ſic hi noſtri ſcarabei et ſues, præclaras et honeſtas res non ſe-runt. Sed quis iſtos non contemnat? niſi quis leui et impurum ſeruum Caryonẽ apud Ariſtophanem audiendum putat, qui uirum Medicum ſcatopha-gon, id eſt, ſtercoris uoratorem uocat, cum nemi-ni hominum obſcurum ſit, quod lingua eſt, ut ille inquit, pars peßima ſerui. Neq; iſti ueteratores, quibus mala mẽs, malus animus eſt, aliter faciunt, à quibus uituperari, laudi ducitur: prudẽtes uiri recte iudicant. Iſtos etiã contemnendos duco, qui ebrij inter pocula eructãt et crepant: Qui medicè uiuit, miſerrime uiuit, uidentes aliquem continen-tiæ et frugalitatis, quàm crapulæ amantiorẽ. Sed quàm miſere iſtæ hominum laruæ delirãt, qui exi-ſtimant iſtum miſerè uiuere, qui medice uiuit: na iſti ignorãt, quid mederi, aut Medicina, aut Medi-cus ſit: qui ſi intelligerent uerba, iuuandi et auxi-liandi, uim habere, certè aliter iudicarẽt. Sed quid moramur hos, quibus nemo ſanus reſpondendum putat, ſed helleborum porrigẽdum, ut purgato ce-rebro deſinãt delirare? Neq; Medicorum ordini fraudi eſſe debet quorundã temeritas et inſcitia, qui eius artis titulo ſe uenditantes, multis ſucũ fa-ciunt, quibus ſi quis titulũ detraheret, idẽ ſanè ei accideret, quod Cumano leoni, qui pelle nudatus aſinus

Medicè uiuere.

Zizania medi-corum.

asinus fiebat. Tales non magis Medicinæ officere debent, quàm honestissimo Theologorum ordini, triobolares isti Theologastri, qui, ceu fœdæ Harpyæ, et sacra, & sanctissimum Theologici nominis ordinem defœdant, atq; conspurcant. Vt enim inter pulcherrimas segetes, triticum et siliginem, zizania & lolium sibi esse uolunt locum, ita & perditi quidã homines in honoratis uirorum ordinibus quoquo modo esse uolunt, qui digni sunt, ut in coruos deportentur, nõ quibus cum boni uiri litigent. Vos quibus melior mens, et honestior animus est, qui dignitate, splendore, & maiestate naturaliũ rerum mouetur, amplectemini Medicinam, qua nihil melius, neq; pulchrius, neq; maius rebus humanis diuinitus contigit: quæ et rei amplificandæ compendiaria uia est, et tantum oblectationis subministrat, quantũ humanus animus capere potest. Non enim hic, ut in pictura, inanes umbræ, & uanæ corporum imagines nos oblectant, sed res solidæ, et uiuum naturæ opus, et incredibile, et uarium eius decus, cum summa uoluptate spectatur: tum facit, ut his bonis floreamus, quibus ut abundare fœlicissimum, ita et carere miserrimum est. Quare qui beati, quàm miseri esse malunt, hi putent sibi Medicinam omnibus modis amplexandam. Dixi.

Viuum naturæ opus medicorũ

Alia

ALIA ORATIO, LAVDEM Medicinæ continens.

RE ipsa comperio uerissimum esse, quod scripsit quidam Poëta.

" Omnia sunt ingrata, nihil feciſſe benignè est.

Medicina pessimam gratiam meretur.

Nam cum non alia ars ab nobis uberius mereatur, quàm Medicina, tamē uel in primis huic pessima gratia, à plerisq; mortalium redditur, qui tātum abest, ut agnoscant huius beneficia, ut nullo non genere conuitiorum, cum artem ipsam, tum eos qui in perquirendis his rebus, quæ uitam prorogant, quæ ualetudinem conseruant, ac morbos arcent, operam collocant, conscindant. Idq; faciunt hi, qui quoties pituita molesta est, tota domo myropolia coëmunt, omnes undiq; Medicos conducunt, ueterinarios etiam: et cum medicinæ ope cōualuerint, animi morbum exerceāt, in accusanda inscitia Medici, in uituperādis exoticis remedijs. Ea est insania, ut ne quidem experti artis beneficia, placari possint. Cum hisce rixemur ne modo, postquam ex more de Medicinæ laudibus aliquid dicendum est? Ego uerò satis scio non esse tantam dicendi

dicendi facultatem mihi, ut illos mea oratione ad sanitatem reuocare me posse confidam. Pythagoram aiunt adolescentes quosdam, cum honestæ cuidam fœminæ in conuiuio libidine inflammati, uim afferre conarentur, mutato cantu tibiarum (qui in conuiuijs ex more adhibebatur) spondæis tardiusculis flexisse, ut compressa libidine ab incepto desisterent. At hi non tantum non oratione ulla placari posse uidentur, sed multis hellebori iugeribus, ad medicandam stultitiam opus habent: Quare cum his in præsentia non est uisum digladiari. Sed bonis ac studiosis liberalium artium adolescentibus, cupimus fidem facere: Non aliam artem ex prophanis, aut plures utilitates ad uitam afferre, aut digniorem esse, in qua cognoscenda, quicunq; liberalibus ingenijs præditi sunt, operã sumant. Et quanquã in hoc argumento optarem mihi esse eam facultatẽ, quæ pro dignitate exponere, et ornare res dignissimas laude posset: tamen ita extãt oboculos, ita uersantur inter manus medicinæ cõmoda, ut ad eam prædicandã non admodum uberiore eloquentia opus sit. Etsi usquam uerum est, quod aiunt, probæ merci nõ esse præcone opus, minimè omnium Medicina postulat uulgaria præconia, cuius utilitas posita in conspectu nostro, omnium mortalium studia fauoremq; meretur.

Medicina seipsam cõmendat

Qua-

Vereres Deum autorem Medicinę uocabant.

Quæ enim alia ars, aut plura, aut gratiora ho-
tæ fœliciter degendæ, adminicula nobis promp-
tit? Quod cum animaduerterent ueteres, tantop-
re præstare eam alijs artibus omnibus, cum qu-
dem omnium aliarum disciplinarum inuentio-
nem, imò et literarum, et legum primordia in h-
mines auctores referrent, in una Medicina scrip-
runt tantam esse uim, ut neminem mortalium di-
gnum ducerent, cui tantum beneficium accepta-
ferrent, sed magno consensu iudicarunt à Deo r-
pertam, exhibitamq; nobis esse. Et est tanta scien-
tiæ uarietas, quam Medicina complectitur, ut h-
mano ingenio deprehendi non potuerit. Etenim
tam fugaci uita, quamuis multi non poterant
morborum genera cognoscere, tam uaria re-
dia, herbarũ dißimillimas naturas experiri, h-
cogitabant, opinor hi, qui optimæ artis inue-
tionem Deo asscripserunt. Et mihi libet credere
diuinitus ostensam esse mortalibus hanc artem
& à primis illis autoribus generis humani, tra-
ditam esse per manus posteris. Nec mihi ull-
mortalis labor suffecturus fuisse uidetur, tam
rijs corporum naturis, tot causis, tamq; abdit-
ac latentibus morborum, tot ualetudinis co-
seruandæ aut restituẽdæ rationibus, syderum hi-
bus, quas in commutanda corporis humani co-
stitu-

stitutione exercent, tot pharmacis inquirendis. Itaque statuamus nos etiam medicinam Dei munus esse, missum in terras, quo infirmitatem uirium nostrarum aliquantisper sustentaremus. Et cum usus poscit, ita utamur, ut agnoscamus non humano consilio, sed diuino beneficio proposita esse remedia uitæ propagandæ. Nam et sacræ literæ palàm docent, Deum et remedia proposuisse, et Medicos condidisse, et regere gubernareq; Medicorum industriam.

Est hæc uel inprimis magna Medicinæ laus, diuinitus repertam esse, quam laudem, cum huic uni arti tribuant sacræ literæ, non dubitemus eam longè, cum dignitate, tum utilitate præstare omnibus alijs.

Stultitiam esse sentimus contemnere reliquas artes, quas humanum ingenium excogitauit. At Medicinam aspernari, non stultitia, sed impietas est. Nam cœlestia dona contemnere, aut parum religiosè colere, conscelerate mentis furor, et sacrilegum est.

Nunc, si libet utilitate metiri Medicinam, quæ ætas est, quæ uitæ pars, quæ huius ope non indigeat? Quod enim in fabulis est, primos hominum glande uictitasse, postea monstratas esse fruges à nescio quibus, id eò pertinere mihi uidetur, Vtilitates et beneficia Medicinæ.

certam quandam uictus rationem inuentam esse, magno bono publico, cum ad id tempus, diserti nescissent homines noxiorum in uictu et salubrium. Proinde, hac in parte latissimè patent Medicinæ beneficia, præscribentis suam cuiq; uictus rationem. Nam si tollas è culina uictus rationem seu diæteticen, quid aliud erit iam culina, nisi officina quædam? Aut quid est aliud, quàm sese singulare, nullum tenere uictus certam rationem?

Sed est Medicinæ manifestior usus in restituenda, quàm conseruanda ualetudine. Ibi mihi expendat aliquis, ab illis uitæ initijs, quàm uarij morbi nos infestent nondum etiam natos, ut quidam nõ iniuria dubitarint, parẽtem ne an nouercã potius humani generis naturam esse censeri: quàm multi casus uterum ferenti impendent, seu exitium allaturi, tum nondum nato fœtui, tum ipsi matri, ni Medicus opem ferat. Quam multis etiis uitia emendat Medicina, ne fame pereat infans. Iam si mihi, ut Poëta inquit, centum linguæ sint, oraq; centum, non possem percensere omnes mortalium morbos, in quibus depellendis Medicinæ uim quotidie est experiri. O quoties fugentem uitæ manũ uincit Medicus, quoties uelut ab ore morientem animam retrahit. Quoties necessitatem fati arte differt, quæ quidem palàm est

uino beneficio fieri. Sed iam ante diximus Medi-
ci industriam diuina quadam ui gubernari. Atqui Prouerbium.
si usquam fidem habet tritum prouerbium: Homi- , ,
nem homini Deum esse, hac in parte id profecto , ,
rectissimè usurpatur: quia diuina ui Medicus æ-
grotisalutem tuetur. Neq; uerò tantũ in tollen-
dis corporum malis uim suam declarat Medici-
na, sed animos etiam contagione corporum uitia
tos sanat. Deniq; uniuersum uitæ cursum facilio-
rem reddit, dum uitare morbos docet, & si qui ac
ciderint, mitigat. Proinde uehementer ingrati
sunt, qui Medicinam uitæ tutricem ac seruatri-
cem non suspiciunt, non admirantur. Quòd si pa-
rentibus debemus gratiam, quòd uitam semel de-
derint, cur non item Medicis, qui sæpe amissam
propè uitam reddunt? Sed dicet aliquis: Sæpe fru
stra tentari remedia, & Medicinam sæpe in cu-
randoparum fœlicem esse.

Verum est grati hominis agnoscere benefi-
cium quoties ars iuuerit, improbi est erratum
meminisse, non meminisse benefacta: quæ si colli-
ges & expendas, multos incolumitatem uidebis
Medicis debere. Ita sunt mortalia, ut sæpe uis
morbi superet Medicinam. Est et cùm Medici fal
luntur, sed multò sæpius ægrotantium uitio acci-
dit, cur parum succedat in medendo.

Aegrotantium uicia spectanda Medicis.

Fuit apud Antigonum Regem non ignobilis Medicus Epirotes Philippus, is susceperat quendam Regis amicum hydropico morbo implicitum curandum, & cùm pollicitaretur, confirmaret haud dubiè illum se sanaturum esse, negauit eum posse sanari alter quidam medicus, Chrysippi discipulus: qui ægroti intemperantiam norat. Quæ de re cùm inuicem altercarentur, & Philippus contenderet esse sibi exploratam remediorum uim, respondit alter, Philippum ad morbum respicere, se uerò ad animum ægroti. Neq; illum res fellit, nam cùm ægrotus summa diligentia non ut dici tantummodo, sed etiam Regis custodiret tamen malagmata sua deuorando, bibendoq; am urinam, in exitium se præcipitauit. Itaq Medici inscitia aut negligentia, sed sua ipsius temperantia, ægrotus extinctus est.

Quoties putas accidit, præsertim in ijs moribus, ut ægrotus tanquam suo se gladio let, cùm detrectat Medico parêre, cum noxiis piditatibus alienissimo tempore frenum laxat obsecundat? Est autem indignissimum, alienæ pæ Medicum reum agere. Attamen ita fit, ut quid peccarit ægrotus, Medico imputetur. S nolo commorari in diluendo hoc conuitiorum nere, quæ cum uino madent, bene poti in cõuiu

barba

barbari quidam in Medicinam euomunt. Nam et illi ipsi hæc recantant, paulò post, ubi crapula cõ traxerint alij alias pestes. Et quanquam sero malo cocti, fatentur id quod res est, optimè de genere humano hanc artem mereri.

Iucunda contemplatio qua Deus ueluti apprehenditur.

Neq; uerò utilitate tantum ducimur ad medicinæ cognoscendæ studium, sed ex ipsa naturæ contemplatione, in qua uersatur tota Medicina, incredibilẽ uoluptatem, eamq; honestissimam animus bene liberaliterq; instãtutus capit. Quod enim spectaculum, qui ludi magis delectare nos possunt, quàm naturæ uarietas, si propius intuearis? Neq; tãtum in magnis corporibus structurã, ordinẽ ac uires partium omnium spectare iuuat: Sed minutissimæ res uel maximam admirationem pariunt, cùm animaduerto nullã esse totius naturæ partem, tã humilem, tam contemptam, quæ nõ magnam uim medendi habeat. Et non modo in malua & asphodelo (sicut Hesiodus dixit) sed in stercore etiã suillo, aut si quid hoc uilius est, magnas inesse commoditates. Ego profectò mirabiliter afficior, cum has rerum naturas considero, & cum ipsam architecturã mundi admiror, tũ in uideor mihi tanquã manu prendere Deũ, qui sese fundit in omnes res, uegetat et alit omnia, et suas cuiq; rei in res, tanquam œconomus distribuit et

uoluit. Opinor in tanta rerum uarietate cerniſſe ſe: atq; hoc ſtudium contemplandæ naturæ in multos tenuit, ut quanquam Medicinam non exercerent, tamen toti fuerint in ea perdiſcenda. Verùm mihi humanius uidetur, quod didiceris, illi etiam expromere in uſus hominum, & maiorem laudem meritos eſſe eos, qui morbos curarunt, quàm qui domi incluſam artem tenuerunt, contenti uoluptate, quam ex cognitione capiebant: Eſt enim hoc inprimis homine dignum, hominum ſaluti quantum poßis opitulari, atq; proſpicere. Sumus enim profecto nati homines hominum cauſa, ut quam quiſq; utilitatem ad uitam præſtare poſſet, eam citra inuidiam in publicum cõferret. Et cùm nihil ſit melius, aut honeſtius, aut ſplendidius, quàm uitam ſeruare ac tueri, præclarè faciunt, qui artis huius fructus alijs impartire ſtudent, atq; eam ob cauſam mihi Homerus dixiſſe uidetur: Medicum uirum multis alijs præſtare. Nam cùm arbitraretur, homini digniſſimum eſſe bene mereri de alijs, tamen illum eximiè meretur ſenticbat, ac præferendum eſſe reliquis mortalibus, qui uitam ſeruare ſoleret, aut certe in re tanta operam ſumeret. Eſt enim in magnis ſæpe etiam uoluiſſe, laudabile.

Neq; ulli arti omnium ſeculorum memoria

ampliorē

ampliora præmia fuêre: Qui gentium consensus fidem facere poterat, hanc artem & maximè salutarem hominibus, & honestißimam semper esse iudicatam. Nam & Romani cum Græcis tota Italia interdixerunt, diserte Medicos exceperunt, et in Italia retinendos esse publicæ salutis causa duxerunt: Qua in re summum honorem arti habitum esse cernitis. Medici à Romanis seruatē.

Quare uos adhortor, optimi adolescentes, primùm ut ametis & religiose colatis Medicinam, & quia ualetudini uestræ prospicere solet, & quia diuinis laudibus in sacris literis ornata est, nobis q; commendata: Deinde ut quantùm quisq; potest in ea operæ ponat. Siquidem nō alia res, quàm naturæ peruestigatio, quæ liberale ingenium, aut magis decet, aut ampliore uoluptate perfundere potest. Non aurei montes, qui in fabulis esse dicuntur, tantùm ualent honestam mentem oblectare, quantùm earum rerum tractatio cognitioq; quas continet Medicina. Postremò cùm iuuare homines, sit & sanctißimum officium, & homine dignißimum, date operam, ut hoc instrumentum amplißimè merendi de alijs, uobis comparetis. Nam ille demum rectè instituit uitam, qui ad publicam utilitatem sua studia & uitæ cursum refert. Dixi.

P. M.



Difficile est de Medicina re
perire orationem, quæ tali
um effugiat, cùm toties i
ea, hoc in loco copiosè & u
culenter dictum sit. Et alio
qui utilitates huius artis in
sunt in cõspectu omnibus, q
iure censendus sit ingratißimus, si quis nõ mem
nit: Magni autem negocij est præstare in re not
& peruulgata, ne fastidiatur oratio. Ego igitur
hoc tẽpore omissa laudatione nostræ artis, seri
quandam querelã huc afferre decreui, uel ut au
tores cõmonefacerem, ut hanc artem maiore re
gione tractarent, uel certè, ut dolori meo morem
gererem: quem, quo diutius in arte uersor, et digni
tatẽ, magnitudinemq; eius propius aspicio, quo
die maiorem concipio, cùm cogito eam ab illiteri
tis impostoribus, magna cum pernicie hominum
exerceri, qui contaminant et corrumpunt artem.
Et quoniam ex horum moribus et factis, multis in
tota professione existimãt, ueræ doctrinæ fides in
discrimen uenit. Vt autem Apelles pictor, si pro
cipuam aliquam suarum tabularum collocatam i

Medicinæ hi-
striones.

Apelles.

lustri loco, deformari ac aspergi luto uideret, maximo dolore afficeretur, propter artis contumeliam: Ita me quoq; miseratio quædam subit, intuentem quàm indignè tractent Medicinam histriones quidam, qui se uenditant pro Medicis, cùm artem nunquam didicerint. Neq; usquã opinor hãc iniuriam artis iustius deplorare queam, quàm apud uos, qui cùm dignitatem, atq; uim maximarum disciplinarum intelligatis, iure me stomachari iudicabitis. Et fortasse de suis artibus cogitantes singuli, dolebunt in commune uicem omnium studiorum, cùm reputabunt nulli professioni deesse hoc genus histrionum. Ego uerò etsi propter dignitatem studiorum ac literarum, etiam aliarum professionum abusu commoueor, tamen omissis aliis, tantùm de mea arte dicam, quæ quo fructuosior & gratior est hominibus, hoc plures habet, qui famam artis affectant. Nullius generis artificis plures reperiuntur, quàm Medici. Sed magna est, ut Iurisconsulti dicunt, artificum differentia. Quidam profitentur artem, pollicentur hominibus salutem in maximis periculis, cùm nunquam didicerint: sed alicubi in myropolijs, aut tonstrinis seruierunt, ubi transcripserunt quædã remedia, quorum neq; causas, neq; uires norunt, neq; quo in loco ualeant. Neq; uerò tam stulti sunt, ut

Abusus omniũ artium, maximè Medicinæ.

hoc instrumentum ad existimationē colligendam satis esse putent: Sed mutuantur ex Rhetorica alias quasdam artes, per quas magis, quàm beneficio illorum remediorum inclarescunt, prolixè se promittūt, detrahunt de existimatione aliorū: Scitum est enim laudē ex aliorum uituperatione quærere, domi suæ apparant remedia, ut reddant aliorum operam suspectam, callidè obseruant affectus ægrotorum, aut istorum, quibus ægroti cōsuli sunt, ad hos alludunt, his parasitantur. Si in magnis periculis, alij simul adhibiti fuerint, hîc quadam à collega furati, pro proprijs clàm obtrudunt, ut collegæ detrahant fidem, cùm succedunt alijs, remedia à prioribus scripta trahunt eadem, sed fucata, ne imperiti agnoscant. Si quid bonæ rei euenit, laudem in se transferunt, si quid secus accidit, deriuatur omnis culpa in alios. Etquoniam in hac uanitate ingeniorum humanorum, prædictiones etiam requirunt homines, maximéq; ægroti: ut curiosis satis faciant, iactitant se astra consulere, cùm quidem non ex astris, sed ex coniecturis præsentibus uaticinentur. Vidimus etiam qui Magicen adhibebant, qui ex urina non solùm de morbo diuinabant, sed narrabant ætatem, dignitatem uitæ, formam ægroti, etiamsi esset ignotissimus. Talibus artificijs admirationem

Rhetorica impostorum.

Astrologia.

sibi

sibi pariunt, non scientia medendi, et concurritur ad hos impostores, sicut concurrit populus ad sanctos. Nam hi quoq; uidentur exercere Medicinã, ad S. Valentinum, Vitum, Genesefam. Quid est autem indignius, quàm præstantissimã artem diuinitus ostensam humano generi, ad uitam tuendam, continentem doctrinam maximè liberalem, uidelicet, naturæ corporum cognitionem, ita corrumpi & adulterari, admixta uel peruersa quadam Rhetorica, uel magia, uel hoc genus alijs imposturis. Leges dant actionem contra illos, qui adulteratas merces uendunt, & atrocia supplicia in eos constituunt. At isti histriones Medicinæ, pro summo scelere, auferunt maxima præmia, feruntur in oculis, coluntur à populo, adorantur tanquam Semidei, mercede maxima conducuntur cum summo periculo: Sæpe enim uidimus ægrotos dare pœnas insciticæ, & audaciæ horum histrionum. Et cum multa prognostica colligantur ab omnibus circumstantijs, à figura corporis, à gestu ægroti, à locis, à regionibus, ex quibus iudicari de exitu morbi potest: mihi tamen nix aliud signum certius exitium portendere uidetur, quàm si talis histrio adhibitus fuerit. Vulgare est, artem exerceat qui didicit. Nemo enim tam impudens est, ut profiteri Musicam ausit, nisi

Dignitas & præmia.

Impudentia.

nisi didicerit. Quomodo enim ludet fidibus is, qui nunquam didicit. Hoc si in his leuioribus artibus accidit, quantò minus ferendi sunt isti, qui cùm nunquam didicerint, tamen hanc artem longè maximam ac difficillimam profitentur. At uidemus quàm plurimos esse, qui quasi ab Aesculapio, totam artem per somnium semel acceperint, uenditant se inter Medicos, etiamsi nullam unquam paginam Hippocratis, aut Galeni, aut Auicennæ legerunt. Ac uidentur etiam irridere totam doctrinam, quæ in scholis traditur, & sapiunt: Vident enim uulgus plus admirationis habere paraſiticam illam, quàm ueram philosophiam: uident magis quæstuosam esse histrionicam, quàm ueram medendi artem. Sed obijciat hic aliquis, plerosq; illiteratos magnam experientiam habere, quæ non minus ualet, quàm ars, quàm doctrina. Assentior multùm pollere experientiam: ex hac enim ars paulatim nata est. Sed postquam ars reperta est, ideo traditur, ne quid temerè, cum periculo aliorum experiamur, sed priorum experimenta imitantes, certam medendi rationem teneamus. Proinde qui relicta arte, per se ausunt experiri quid prosit, quid obsit, hos sæpe continget errare, & discent magno malo ægrotantium. Nihil est fallacius experientia in tãta uarie-

Galiena ex Hyppocrate.

Obiectio.

Experientia est fallax.

tate circumstantiarum, ad quam non adhibetur ratio et doctrina, sicut initiò Aphorismorum admonuit Hippocrates, cum inquit, experientiam periculosam esse, & iudicium fallax. At isti empyrici, imò histriones, abiecta arte tantum confidunt experientia, et iudicio suo, quorum utrumque incertissimum est. Hippocrates adeò diffisus est experientiæ, ut præceperit, postquam non respondit euentus Medicinam secundum rationem facienti, ne quid præterea tentet. Videte autem istos indoctos, collectanea habent remediorum, ab obstetricibus, à tonsoribus, à Magis, à Iudæis transcripta, ex his eligunt initiò aliquid, quod illecebras quasdam habet: Nolunt enim statim in ipso aditu offendere animos ægrotantium. Hoc si parum profecit, statim aliud experiuntur, & sit sæpenumero, ut ipsa remediorum dissimilitudo, nouum morbum gignat. Hæc sæpe accidere uidi, quare nihil est, quod isti suam nobis experientiam prædicent. Ars gubernat, & imitatur experientiam non indoctorum, sed præstantissimorum. Isti uerò sine præceptore, sine magistris, suis exemplis discunt. Si Dux in bello eligendus sit, nemo opinor eliget Thrasonem, qui nullum unquam uiderit Imperatorem, quem imitaretur, sed suis exemplis promittit se uelle cognoscere

Collectanea remediorum.

Experientia sit penes doctos.

gnoscere omnia officia Imperatoris. Ita Medicus adhibendus est, non qui noua experimenta sine ratione quærit, & qui suis exemplis primùm medendi uiam colligit. Sed qui ueterum doctrinam & experientiam imitatur. Fœlicem aiunt, quem faciunt aliena pericula cautum: quare non est consultum omißis ueterum exemplis, nouas remedia, nouã uiam medendi experiri. Ac ne quis putet me experientiam aspernari: Ego uerò illam quam maximè necessariam esse scio, sed uicißim nolo artem contemni. Prudens Medicus coniunget utrumq;, artem et experientiam. Nam experientia sinè ratione, sine doctrina, sine arte, nihil nisi domesticum latrocinium est, & possem multa exempla commemorare, quomodo decepta experientia contra rationem Empirici, uiros optimos crudelißimè interfecerint. Quare si quos nihil offendet indignitas, quod homines impudentes audent se titulo artis uenditare, quam nunquam didicerunt, tamen est humanum, periculi magnitudine moueri, quo minus ferant istos histriones, quorum imperitia multos perire constat. Et accedit hoc quod auget periculum, imperitia parit audaciam, ut Thucidides ait: quare inter istos, ut quisq; indoctißimus est, ita est audacißimus. Multi sunt morbi quos doctißimi, et peritißimi

Experientia sine arte latrocinium domesticum est.

ritißimi Medici mouere non audent, multa incidunt ſymptomata ex cauſis adeò obſcuris, ut etiam doctißimi uiri dubitent, quomodo occurrant: Incredibilis eſt uarietas ſignorum ante Criſin, quæ non rarò perturbat Medicum, quamuis ſagacem. At hiſtriones iſti quoniam ſemel perfricuerunt frontem, fortiter ſunt impudentes, nullum morbum non attingunt, nullo ſymptomate, nullis ſignis perturbantur, et temeritas rarò habet fœlices exitus, leges puniunt imperitiam in medicis, grauißimè enim inquit Iuriſconſultus, Non debet impunitum relinqui delictum decipientis prætextu humanæ fragilitatis. Verùm iſti non ſolùm de imperitia tenentur, ſed etiam de dolo, cũ uires ſuas norint, et tamen exiſtimationis tuendæ cauſa, omnia pericula contemnant, omnes morbos attingant. Porrò ad legem Aquiliam ſcribitur, dolum eſſe, ſi quis affectet aliquid, in quo intelligit, aut intelligere debet infirmitatem ſuam alijs periculoſam fore. Si pecunia tantum periclitaretur, ſarciri damna poſſent, nunc ludunt in tali diſcrimine, ubi ſi quid ſecus accidit, neque corrigi peccatum, neque ſarciri iactura poteſt. Quid enim reliquum eſt homini amiſſa uita? Quare in re tanta, Magiſtratus debebat impudentiam iſtorum cohercere, præſertim cum

Iuriſconſulti de imperitia Medicis.

multa

multa crimina in uno insint, quorum quælibet pœ-
Ciuitates bene constitutæ. nas habent legibus constitutas. Et prudenter in quibusdam ciuitatibus bene constitutis prouisum est, ne quis exerceat Medicinam sine autoritate collegij Doctorum Medicinæ. Quod si ubiq; seruaretur, melius consultum esset hominum saluti, cum in morbis non adhiberent nisi bonos uiros, & doctos medicos. Nunc salutem suam commit-
" tunt eiusmodi nebulonibus, quibus non auderent
" exiguam pecuniam committere. Et tamen isti ad curationem nihil etiam adferunt, nisi impudentiam et audaciam plectendam legibus: Sed hanc curam Reipub. Magistratibus commendemus. Vos interim priuatim, si quando opus erit, pericli magnitudo admoneat, quales Medicos consulere debeatis. Tutius est enim adhibere bonos uiros et qui artem quam exercent, didicerunt, quàm bonuissimos impostores, et histrionicam magis quam medicinam exercentes. Ego uerò in hac re, et periculo publico maximè moueor, tamen præterea incredibili dolore afficior, propter contumeliam artis et doctrinæ. Doleo enim negligi et contemni tantam scientiam pulcherrimarum in natura rerum, quam autores nostri complexi sunt.
Indignum contemni adeo hãc scientiam. Neq; uerisimile, tantam uarietatem scientiæ reperiri potuisse, nisi Deus istorum uirorum mentes

tes, singulari afflatu mouisset, ad earum obseruationem, qui eas repererunt, et pleraq; mõstrasset abstrusa, quæ humano ingenio erui non poterant. Quæ tandem naturæ pars desideratur, quæ non sit patefacta atq; illustrata horum literis? gẽmæ, plantæ, animantia, & partes animantium, temperamentorum uarietates, causæ morborũ, causæ remediorum. Multiplex ratio et conseruandæ sanitatis, et recuperandæ, quomodo inde usq; à conceptu ad extremum uitæ actum, natura fouenda, & aduersus morbos munienda sit, temperamenta elementorum, aëris, aquæ, locorum, quas habeãt causas, quos effectus, quæ sit cognitio qualitatũ in corporibus inferioribus cum cœlestiũ corporum motibus, unde existant omnes in corporibus mutationes, quæ habeant tantum in materia causas, quæ etiam habeãt cœlestes causas: Breuiter tota rerũ natura, in nostris libris quasi picta cernitur. Quẽ autem non iuuet ista legere, cognoscere, cõtemplari? Nam ad harũ rerum inquisitionem atq; cognitionẽ, procreati atq; geniti sumus, ut inter sanos homines cõstat, et Poëta significauit cum inquit:

Rerum natura in libris Medicorum depicta.

Fœlix qui potuit rerum cognoscere causas.

Et Plato inquit: Naturam hominis sine Philosophia, mancã atq; inutilẽ esse. Verè autẽ hoc affirmari potest: Medicos adhuc in possessione ueteris

illius doctrinæ esse, quam unam et solam homines sapientissimi, qui tum apud Græcos, tum apud Latinos, tũ apud Arabes extiterunt, ueram Philosophiam esse iudicauerunt. Quare necesse est hos, quorum animi non capiuntur hac doctrina, aut natura hominum degenerasse, uel tanquam monstra, à natura inchoatos esse, non absolutos. At non portenti simile est, homines exercentes medicinam, et in hoc studio uersantes, tamen uelut Vlysses obstruxit aures, ne cantu Syrenum detineretur, præterire obstructis auribus atq; oculis, doctrinam omnium longè suauissimam ac liberalissimã delectant homines ludi et spectacula. Quid autem gratius spectaculum excogitari potest, quàm ista pictura totius uniuersitatis rerũ, quæ extat in nostris autoribus: Quæ possit hominis pieti maior uoluptas cõtingere, quàm oculis atq; animo admirabilem œconomiam, ordinem, nitorem rerum maximè dissimilium in natura intueri? Istos histriones, neq; utilitas harum rerum, neque suauitas ad discendum permouet, qui quidem hos magis odio digni sunt, quod etiam exemplo nocent. Plures enim sunt, ut fit inter homines, qui hanc histrionicam, cum habeat compendiariam uiam ad opes parandas, imitari uelint, quàm quæ perfectam doctrinam expetant, quæ nulli possit

contin-

contingere sine acerrimo studio: Ita paulatim uera ars corrumpitur, doctrina neglecta paulatim collabitur. Ego uerò quia doleo uicem optimæ artis, non possum non succensere istis pestibus, quæ ueram Philosophiam, qua nullum habent homines ornamentum maius, opprimunt & extinguunt. Ac uideamus etiã alijs temporibus, hoc genus impostorum nocuisse arti: Galenus enim ualde queritur scelestè corruptam esse à Seruulo quodam nihili homine, Thessalo: Sed Galenus diuina ope, collabentem eo tempore doctrinam, restituit. Nunc nõ est unus Thessalus, sed ubiq; plena sunt impostorum omnia, & fatalis quædam calamitas, artem urgere uidetur. Ac mihi consideranti interdum alias disciplinas, uidentur ex illis etiam plurimi, tantùm uenari titulos, ad ostentationem & quæstum. Veram & perfectam doctrinam nemo expetit, Id signum, ut Medicorum more loquar, decernit interitum: Sed nolo malè ominari. Et ut aliquando finem faciam, adhortor uos, qui datis operam Medicinæ, ut magnitudinem, & dignitatè professionis uestræ consideretis. Sicarij sunt non Medici, qui ægrotos attingunt, si sciant suam insciti am illis periculosam fore. Dabitis igitur operam, ut perfectam doctrinam ad curandum afferatis. Et quia huic ordini, defensio ue-

Impostura temporibus Galeni.

teris & germanæ philosophiæ, à Rep. commenda
ta est, nolite cõmittere, ut quasi deserta statione,
proiecisse ac prodidisse cum maximo publico da
mno, præstãtissimas artes uideamini. Cũq; hic or
do duobus iam millibus annorum, tot enim numẽ
rãtur anni ab Hippocrate, Philosophiæ professo
nem, summa cum gloria retinuerit, turpissimum
esset eam nunc demum amittere. Atq; ego tamẽ
hæc ætas plusquã ferrea est bonis rebus omnibus,
tamen erigor interdum spe quadam, cùm nonnul
los uirtutis causa hæc studia tota mente, totoq;
animo complecti animaduerto. Et si quis est huius
modi, huic summa uoluntate, hunc honestissimum
titulum Doctoratus, decernimus. Dixi.

Medicinæ antiquitas.

DE ARTIBVS LIBERALIBVS oratio, à Philippo Melanthone Tubingæ habita, Anno 1517.

EGREGIA VIRTVTE VIRO Ioanni Stofflero Iustingensi, Mathematum professori, Phil. Mel. S. D.

SErmonem de liberalibus artibus hi
bui nuper, uir clarissime, pro mu
istorum, qui in philosophorum sch
lis ver

lis rhetoricantur, cum dicare uisum est tibi, cum quod eiuscemodi sit argumentum, quod adserere nomini ipse tuo iure queas, tum quod hoc munere pietatem tibi meam probare contendam. Etenim debeo humanitati tuæ, non quantum agnosco, sed quantum agnosse me cupio: cupio autem quantum decet. Iam quæ te non decent omnium insignia laudum, qui tot annos, tanto studio Mathematum abstrusa recludis, qui tanto studiosos omnes, atq; adeo me fauore complecti, eoq; cen stimulo ad gloriam excitare soles. Id quod sensi tacitus, cùm interpretandi Arati munere nos onerares, nihil ardentius, nihil maiore uoluptate unquam cœpi, & spero rem casuram non infœliciter, modo tu adspires porrò. Vertimus alquantum operis latino carmine, neq; uerò quo ueteres modo, qui imitati potius quàm interpretati uidentur. Tu interim, dum illud absolutum fuerit, hunc habe oratiunculam officiosi animi testem: fortasse lautiorem uoles, et magis elegantem, sed fieri nequibat, is est rerum aceruus: Breuibus confudi plurima, & uereor ne non decora sit uarietas, perinde atq; id est quod Lucianus ait:

κάμηλος οὐκ αἰγυπτίοισιν.

Vale Tubingæ.

Socrates in schola Dionysii



Gregius animi uir Plato Atheniensis, & sapientiæ nomine uenerabilis, in dissertatione quam Erastæ seu Philosophia inscripsit, Socratem ait in Dionysij Grammatici ludi spectasse illic ingenijs elegantissimis nobiles pueros, & ex ijs fortè duos ultro ac citro contendentes: Esse quædam de Anaxagoræ uel Oenopidæ sententijs controuersa uidebantur. Sic enim in Ludo illi orbes pingere, flexuras ductare, uersilibus punctis finire & artifici manu uariegatas undiq; lineolas imitarier. Hæc, uti solebat, penito contemplatus animo senex, cuidam è familiaribus puerorum adsedit, blandè illum officio cubiti admonitum tatus: Quid hoc, quod meditentur adolescentes tanto studio & cura: Num honestum ac magnificum Continuò iste nugari, nescio quæ, cognitu sublimia & quasdam Philosophias garrire. Socrates contra impudentiam demiratus hominis, cõtatur, núm ergo turpe ducat id quod ait iuuentus philosophari? Aderat ibi quispiam non malus uir, is probè dolens responsum Socrati, & autoritatem tanta uiro, & de sapientiæ studijs modestè roganti, commodum interuenit: Socrati ait, mittendum hominem sordidum, squallentibus obrutum sordibus, & indignum planè, qui cùm Philoso-

phiæ

phiæ disputatio cõmunicetur. Prudenter ille quidem non ad ōmnes pertinere sacrosanctam rem, sapientiam arbitratus, ἀμύητον iure solemnium interdixit. Idem ego propemodum acturus, num ardua res, num pulchra, num laudanda Philosophia, eos mihi auditores dari cupio, quorum ita sint affectæ mentes, ut sponte orantem sequi certent, Si quis ea barbarie, ea immanitate, ut splendore ac pulchritudine sapientiæ trahi non possit, iam relegatus esto, iam quasq; cycladas, aut gyaras malis, quàm ardētis philosophiæ uultus. Neq; uerò hîc facūdia luditur peregrina ferrugo, neq; fastus ingenij. Ipsa sese res genuina facie bonis mētibus probare solet, quo fit, ut & aperta magis, ac simplex mea sit futura oratio. Artes primùm dependemus administras Philosophiæ. Deinde illā ipsam quoq; si uisum fuerit, quæ maius aliquid communi hominum sensu spirans, caput inter nubila cōdit: Ea est uox Dæmonij. Omnem isti hunc locum, opinor & hoc anno, Mense Iulio, concione quadam à nobis explicatum cognostis. Hoc tum erat studio, cùm è suis fontibus deriuarem artes, ut animi naturæ ostenderem insita earum initia, scilicet hanc facem prima lux, & æuinteg ra mentibus humanis fœnerat. Dein, ut imperiti naturæ iudices, ut abhorrentes à ueterum hi-

ſtorijs, qui unam gentem, aut unum fortaſſe Mo-
ſyan primitijs artium dignantur. Nam ut eadem
gentibus omnibus, atq; adeo omni cœlo æquis-
niq; ratio, ijdem iuſti fontes, ſic eadem ubiq; na-
ræ ſcientia, modo par ſtudium accedat, & ut in
ſumma dicam, Rex Iupiter omnibus idem. Gra-
dia hæc tum, nec ἄπρῳος διόνυσα ei loco. Sed ex-
porrigo frontem aduleſcentiæ dicturus. Quæda
iucundiora, quædam etiam clariora prioribus ſe-
ram in medium. At interim, ſi quid ab humanita-
te ueſtra, optimi uiri, pietas mea, uel à uobis ad-
leſcentes nunquam non officioſa uoluntas emer-
ri poteſt, quæſo non ſolo argumenti nomine, ve-
rùm & mea ipſius cauſa, pari cum cæteris Ora-
toribus ueſtris loco pari gratia habete.

Natus Ioue Mercurius.

Conſtans & uetuſta fama eſt, natum Ioue Mer-
curium, quum ad Aegypti flumina puer à Nym-
phis aleretur, ut erat indoles feſtiua, per luſum
iocumq; ſolitum pleraq; commentari, Deas ue-
fricie fallere, nouas artes, noua opera miranda
poſteris effingere. Eximia eſt, quæ gentibus inde
aliquot inter ſacra fuit Lyra, id enim fabulis ca-
lido nomen inuento proditur, Factam aiunt è co-
cha, quam forte fortuna iam in ſicco deſtitutam
Nilus in alueum regreſſus: Teſtudinem uocant ru-
tiori uocabulo. Feſtiuum profecto naturæ opus,

Chelys Mercurii eleganter exponita.

Oblongis

Oblongula est, ut reliqua taceam, et capite quasi in orbē sinuato, ac ob id apta manibus habendo. Quod cum in ripa ludens puer obseruasset, utilē ratus ostraci figurā, adit propius, aridam cædit, sonat ea & nescio quid blandius, statim Deus arripit lætabundus, bene pulchræ rei sperans, pellē neruo culmis infigit, chordas adstruit septem, intendit chely, experitur cantu organon, αὐτοχεδίως, miratur, interq; manus & brachia uersat, placetq; iam non authori tantum, sed ipsis etiam Dijs nutricibus: Cœpit esse laudatum & selectis numinibus: Donatur Apollini. Nec longo post tēpore Phœbus operā nauās hominum gratiæ, chelyn dedit Orpheo muneri. Fuit ἑπτάχορδος, Homero ac Pyndaro magnis testibus, dū Orpheus Calliopæ studio, de Musarum numero duas adijceret resticulas. Post Orphei fata, aiunt alij ad Musæum gnatum uenisse, alij fatidicā in Lesbon delatam, atq; inde à Terpandro in Aegyptum patriā, gratissima munera, diuinorū conscijs sacerdotibus. Ibi esse cœpit Aegypto sacra, quā pleræque secutæ nationes, itidem coluere Mercurij chelyn. Nomē inde factū syderi, Lyra, quo res ætati posteræ foret augustior. Hæc est Lyræ celebrata nobilitas tot gentibus, tot literis. Quorsum uerò hæc? quid de una sibi tantum Lyra placet antiqui

Primæ artium origines.

tas? Quæso mihi paulisper aurem cõmodate, ren explicabo nõ uanus. Poëtica μύθος uno eodemq; iucundo inuolucro, et populari quidem prima a tium origines, primosq; authores tenet. Mercuri us Ioue natus, Iouis mens habetur ijs, qui ueteris Philosophiæ periti sunt. Lyram de testudine, non falsa mundi imagine, sic in re parua lusit natura, πολυδαίδαλον fecit, chordis ornauit septem: Est enim ille sacer habitus numerus. Septem he sunt artes, ut ægam historica fide, supera defluxæ mẽ te, quibus omnis naturæ scientia cõprehenditur. Iam & præsides Musæ totidem, quæ duæ reliqua septeno choro ius omnium sibi uendicant. Ecc dei manu fabrefactam Lyram, ecce deûm munu Artes. Mihi uerò iam de naturæ scientia, non Da monij uoce res est, putoq; nostris ingenijs pro pria, rationis usu cõtingit. Ea est in oratione pa tim, partim in rebus. Scientia rerũ prior, sed no uulgari more dicemus. Qua ad sermonem spectat, ingeniorum puerilium exercendi habentur initia.

Grammatica,

Grammatica prima, cui quoniam elementa litera rum debemus, nulla ex parte non est necessaria quid enim attinet longius immorari palàm cõfi sæ rei, quàm utile mortalibus repertum, litera, ἄσθεσοι memoriæ custodes, popularis regulæ ser monis, ut mittam cætera. Huic accedit proxim

Dialo

Dialectica, subtilis differendi ratio, nam id indicat nomen literaturæ comes, complexa quicquid hoc omne, quo se aliqua uis effert ingenij: ac si licet hoc audacius paulò, sola mihi omnium mater artium haberi posse uidetur: Tantum abest, ut dignum docto spires, ut pectus ad sapientiam formare quouis modo queas, si Dialecticon politias, uanissime omnium quisquis es contempseris. Neq; enim ille Mercium pater Oceanus tantum opum, tantum diuitiarum orbi conuehit uniuerso, quantum artium una cyclopediæ, Dialectica. Et attingerem ex ijs aliquot, ni passim id sonarent scholæ: at si uultis tamen, ostendam usui fuisse uel summis ingenijs. Vir animi sagax Aristoteles, ut hunc nominem, in quem opinio hominum consentiens multis iam seculis conspirauit, quæso quid præstat ubiq; uel aptius, uel eruditius Dialectica? potestq; illa quasi Delphico gladio, ut omnium sensa nunquam non penitissimè cõfodiat: Inuenit, disponit, Dialecticæ debet, ipsa enim quid quæque res, quid cuiq; cohærens, & quo ordine, pulcherrimè distinctis filis notat. Iam si Platonicos huc accire datur, quãtus inter illos eminet Augustinus, qui Dialexi ceu Mercurij alis, ita Platonici uim animi excelsam uocant, humana superans, diuina proximus attigit. Audio quosdam male feriatos homi-

Dialectica mater artium & Oceanus.

Aristoteles.

Augustinus.

homines, qui cum ἀγραμματοι καὶ ἄμουσοι litteras uulgo iactitent, hoc habent primũ ut à Dialecticis quàm longissimè absint. Age, bellè rideam hæc tota fex à Socrate, non in Gorgia tantum & Lache, sed omnibus penè dissertationibus Platonis. Habet Grammatica ut doctè loquaris, hæc uerè, ut discriminatim, ut certum, ut solidũ, quid enthymemata, syllogismi, theses, finitio, partitio, cõmodum exhibent. Et synccra sunt et firma, quæ in hanc aleã conueniunt, minimeq; fucata. Delas statuas quondam suspexit antiquitas, nõ de adfricticia specie, ut Pausanias ait, sed ingenua quadam forma, cui planè γνῆσιον hoc erat, admirandam ferre ipso decore maiestatẽ, et propemodum illi melioris seculi θεῖον. Fortassis et de nostris Dialecticis tale quiddã licebit, Stoicos dico, aridi ac ieiuni sermonem, fœcundi sensa: uerùm hæc âs. Omnino de ipso sciẽdi amore Dialectica inter primores artium recẽseri nõ temere solet. Quæ ualeãt ἀντίτεχνοι suis complicibus, τοιοῦτον τὸ βαρβαρὸν γένος, ut cum Euripide dicã: libera est enim cuiq; aut bonum esse, aut malum. Vos

„ Philosophiæ nomẽ dedistis adolescentes, qui bo
„ esse, qui sapere dextræ menti, qui prodesse ol
Reipub. contenditis, in elemẽta Dialecticæ inca
bite. Nullo pharmaco magis, aut uegetum, aut

cre, nulla harmonia reddi potest ingenium elegantius. Bias rogatus, quid esset cuiq; inter prima dulce, respondit, quod proprium. Est autem uel maxime propria hominis ratiocinatio διάλεξις, contemplatio cuiusq; diligens. Iam quæso quid eò suauius? Varium Poëtæ Proteum fingunt, omniũ sibi rerum uultus formasq; aptantem. Quo nimirum cõmento intelligentiæ nostræ metamorphosin in omnes rerum species significant. Discernit autem species rerum unica Dialectica, perpetua et incõcussa ueri scientia. Quam uellem hæc pluribus agere liceret per horam, quò magis perspicuè uobis Dialectica probaretur. Sat fuerit adiecisse: Neminem à cõditis literis unquam ullo sapiẽtum iudicio, inter candidatos studiorũ cuiusq; generis sensum huius expertem. Sed aurẽ Cynthius uellit oranti, et admonet superesse Rhetoricã. Quid uerò illa? Pars Dialecticæ, quosdam argumentorum locos populariter instruens. Et de Grammatica, Dialectica, Rhetorica, Logicis artibus tantum, chordæ illæ tres in chely symphonæ, Musarũ trium ludus: Polymneia, cui nomen est à memoria, literas habet. Euterpe Dialectică, quod mira sciendi cupidine rapiãtur, qui in contẽplatione degũt, Melpomene forum demulcens, Rhetoricã. Quæ rerum est cognitio, pẽdet omnis è numeraria, quã uocant

Nihil reddit ingenium elegantius Dialectica

Rhetorica.

Arithmetica et multiplices eius fructus.

uocant Arithmeticam. Si enim, ut uisum Plato toni, aliqua rerum prima notio inserta est natura mentibus hominum, qua liceat uti, uel ad universalium contemplationum principia agnoscenda, ἢ πρόληψιν, ut doctus uir Epicurus uocat, uel ad uestigandas singularium partes, quae est alia quàm ordinis, quàm numeri regula: quae uidetur in unoquoq; quid primum, quid extremum, quid unum, quæ multa. Quæ ut non temere solent magistra serula discier, ita natura prius percepta tenemus. Laratan aiunt, quisquis ille fuit, Pythagoræ Doctor, dixisse animam numeri matrem esse, uidelicet, quo significaret congenitam numerandi scientiam animis mortalium. Et licet de puerorum rudibus ingenijs periculum facere, an non primum est, quod scire uidentur numerus, par, impar luditur, item cubus primus et postremus. Quamobrem in erudiendis pueris a numero auspicandum censet Plato, quo excubet ijs, quæ natura insunt seminarijs, recipi cæteris promptius queant. Et Pythagoras omnem Philosophandi rationem è natura mentis humanæ cognatoq; studio deriuans, principia Philosophiæ numeros posuit. Tum qui præstitêre quondã sapientia magni uiri. τὸ ἀριθμεῖν numerare, pro philosophari dixerunt. Abenzoar nosse inquit omnia

Laratan.

A numero inciendum docere pueros.

Abenzoar.

innia, qui sciat numerare. Et Neocli Plato quæ-
renti, cur homo sapientissimum animal, respõdit,
quoniam numeros calleat. Iam quæ arcana uenati
maiores è pari ac impari, quæ sublimia ex uno,
duobus, tribus, quatuor, quinq;, sex, septem, &
rursum ex horum congressibus, dies defecerit ex
plicare conantem. Accedunt ad numeros literæ,
sortes, ænigmata, nomismata, et huiusce modi non
paucæ commerciorum notæ. Nec est ut Syros aut
Phœnicas memorem uobis autorem numeri. Ea-
dem generi hominum ratio idem hoc ubiq; præ-
stat, ut signet, discernat, iudicet, quæ usuræ ueni-
unt è numeraria. Sequuntur eam ponderum ac
magnitudinum mensuræ, planæ, solidæq; figuræ,
æqua, iniqua proportio, quæ ferè capita Geome-
triæ sunt. Hinc admirandæ generi machinæ, ac ut
Eudoxi, Archytæ, Mænechmi, Archimedis, Boë
tij automata præteream, quantum bombarda, no
strate inuentum, bellicis contul[illegible]. Addo Plasti-
cen, & quæ nascitur è perspectiuis picturam, u-
trunq; ciuitatum uel pulcherrimum ornamen-
tum. Huius generis sunt celandi, sculpendi ar-
tes, & inter eas Calcographica, æreæq; Germa-
norum scribendi formulæ. Hic artium nexus, hæc
origo mechanicõ duabus principibus artibus A-
rithmetica et Geometria, hic usus est utriusq; per

tot

tot manuarias operas. Quod si ad animum transferas, Dij boni, quæ suauitas, quod nectar offundatur contemplanti, imò quæ lux sese ex illo rerum chao aperiet: isthæc mentẽ sensilibus hærentem auellit seducitq; ad intelligibilẽ æternamq; naturam. Sic Plato ἀριθμεῖν philosophari, et θεὸν γεομετρεῖν commodum affecta notatione dixit, id est, semper æternam ueri naturã intelligendo uersare. De Arithmetica Geometriaq; obiter: in cuius phone ac fastigio artium, Musica et Astronomia locãtur. Age quid Musica laudatius? elegantius harmonia ratio, siue organicam, siue naturalem lis. Insignis utraq; honore poëmatum, id quod lia sum acturus oratione. Plerisq; gratior Musica orbe artium aliarum, quod hæc ad cõtemplaonem pariter moresq; conferunt. Erigunt alie cœlestia mentes nostras, hæc una cœlo superos humana deducit, quo argumẽto ueteres arbitr musica signa passim Deũm statuis appendisse, si illis Dij conciliati nobiscum uersentur. Cõfer moribus, quod nulla res familiarior tranquillis dis animãtium affectibus. Scitis de Orphei Lyra quid, et quæ Pytagoreæ gentis instituta fuerint ὠδαῖς χρῆσθαι πρὸς λύραν. Ex ea factione Clinias celebris uir, modestissimè usus disciplina magistri quoties animo turbabatur, quacũq; causa, statim

Musica.

Orphei lyra.
Clinias.

ad Lyram properabat: rogatus aliquoties, quid hoc? nihil respondit præter hanc uoculam πραύνομαι. Atq; hi sunt propriè Musarum soni, qui ad honestam uitæ constitutionem, qui ad uirtutem pertinēt: Succedunt Musicæ saltatoriæ artes, Arcadum inuenta, sed longior est res, quàm à nobis eg modò posit. Reliqua Cyclopediæ Astronomia est, numeros, magnitudines, motus, harmoniam, id est, compagem superi atq; inferi orbis dimensa, syderum effectiones ac influxum complexa, Medicinæ parens fati conscia. Arithmetica, Geometria, harmonica ancillarijs disciplinis cōmuniter utitur. Longus hāc quadruuij seriem duxissem, sed hora deficimus, agitq; rem eam publicis scholis quotidie Ioannes Stoffler philosophus, autoritate, fide, literis q; Mathematum uenerabilis. At hæ quatuor artes, quatuor item in Lyra Mercurij chordulæ, suū quæq; stridens, prima sequitur Terpsichoræ debet, ordinis ac numeri artifici, habet enim à choris nomen Dea, Secunda Thaliæ, quoniam floreat exculta γεομετρῶν commodis uita. Musicam Erato iucunda regit affectio. Eminet inter socias clarissima in Homericæ Dianæ modum Vrania, principem astrorum scientiam decora referens. Septem chordas numerari adolescentes audistis, nec discretæ Lyra uoces reddun-

Astronomia.

tur, plures quatuor, tres orationis funiculi communes quadruuio: Quatuor aliæ chordæ ritu suis discrepant. Non confingo licenter hæc auctores, ut illi Atticorum κοσμοπλάθοι: Platonici quoq; ueteribus ratio sapiendi talis fuit, auctore Plutarcho. Et de quaterno Lyræ systemate quæ disputaui, Terpandri sunt, ait ille:

Non licenter hæc ficta.

ἡμεῖς τοι τετράγκυρων ἀποστρέφαντες ἀοιδὴν
ἑπτατόνῳ φόρμιγγι νέους μελεδήσομεν ὕμνους.

Septena iam forte chely noua carmina uatem,
Quatuor & distincta modis panxisse iuuabit.

Iámne, quæ Mercurij sit lyra tenetis, quot chordæ, quot artes? Et Musas artium præsides appellare sum solitus. Illæ uerò quid? Congenitus hominum animis ardor & strenua sciendi cupido. Testis antiquissimus uates Orpheus, qui Musas hymno canens, inquit:

Πάσης παιδείης ἀρετὴν γεννῶσαι ἀμεμφῆ
Θρέπτειραι ψυχῆς, διανοίας ὀρθοδότειραι.

Hoc est, si uenerandam Orphei maiestatem carmine licet nostro, imitemur:

Munera uestra Deæ uirtus & gloria uerax,
Quasq; artes agit humanæ uis feruida mentis:
Vos animi dulces etiam ueneramur alumnas
Aeternum recti quibus inseuistis amorem.

Censæ artium numero Musæ septem, duæ super-

sunt,

sunt, Cleio & Calliope, quibus æquum in omnes literas ius: historiæ Cleio, Calliopen poëmati perficimus. Omnis generis scripta usurpant historia et poëma, nec alij maiori fruge operáue leguntur authores, quàm historici Poëtæ: Adulescentes animos è uulgarium studiorum sorde euellunt, locoq; referunt excelso, iam uiris digna spirantes. De artibus hactenus, quæ organa sunt, & quasi quædam præludia magnæ illius Dijs genitæ sapientiæ, quibus instructæ mentes hominum, Dei numen cœlis demissum excipere queant. Nec fas puto de illa plura commentari, quisq; secum bonus uir anxiè cogitet, quæ illa γνκσίκ ουλύμπιοιο, ut Callimachus dit: Ipsa est quæ in medio artium choro communis omnibus desidit, omnium rerum certa scientia. Sic Apollinem prudens antiquitas in medijs Musis pinxit uniuersitatem omnem cithara temperantem, ut est apud Orpheum:

πάντα πόλυμ κιθαρῇ πολυκρέκτῳ ἁρμόζῃ.

Capita artium, nomenq; τ σοφίας, ut licuit, breuissimè attigi, non in hoc uersatus, ut magnificè laudarem. Egregiè nobilis pictor Timanthes Cyclopem in tabula, uti ferunt, breuicula dormientem delineauit, eius cùm esset magnitudinem expressurus, iuxta Satyros thyrso pollicem monstri dimetientes fecit. Quomodo nos angustis

Historia poëtis.

Artes præludia sapientiæ.

Apollo inter Musas.

Timanthes nobilis pictor.

ingenijs homines ingentia molimur, Philoſophiæ
» laudes, nec ferè niſi dormientis ſapientiæ oram
» tingemus. Equidem cùm temperarem mihi à lau-
» dibus, quas multi multas ineptißimè effutire ſo-
lent, hoc egi tantum, ut quàm honeſtæ res eſſent
artes, quippe ſacræ, intelligeretis. Tum ut admo-
nerem iuuentutem, eaſdem Muſas eſſe, quas hodie
Muſæ paſsim proſtant. uocant artes, proba ratio eſt, cur uelim adoleſcen-
tes hoc omnes rectißimè norint. Paßim proſtant
Muſæ in poëmatis, uitio indoctorum interpre-
tum, qui rem multo dignam ſtudio negligunt, &
quantum conijcio iuuentæ operas uani diſtinent.
Idem Mercurius eſt pueri, qui animus nobis, ἓν
ἔστιν ὁ σοφιᾶς. Eadem Muſæ, deinde
& eadem chordæ, quæ artes, animi cum habitu
ſuo conſonantia, Lyræ harmonia. Iam quis eſt
uobis, qui non harum rerum honeſtate capiatur?
Conueniebat fortaſſe ut inhortarer uos ad uirtu-
tem, ſed ueſtra iam ſponte currentes. Agite exem-
pla uobis magnorum hominum, qui me circum-
dunt capite, agite intenti ſpem patriæ longè pul-
cherrimam, ante oculos, ipſumq; animi ſenſum
ponite, quo nihil eſſe optandum uobis, nihil con-
tendendum, præter honeſtas literas, præter uir-
tem cognoſcatis. Nullis delicijs, nullo errore ho-
Cupido infa- minum, regia uia excedite: nulla uos cupido ab-
mis.

lut infamis à uirtute. Infamam adpello, quæ aliena sit à studijs literarum, atq; ab ijs, quibus addicti sacris omnes estis. Eleganter admonet dialogo Lucianus, qui fluctus illi abhorrentes à uirtute Musisq;, eum quando Caspar Currer, bonorum studiorum amantißimus iuuenis, Latinum fecit, haud grauatim referam. Iucunda est fabula. Sic enim Venus natum compellat: Quid ò Cupido cæteros Deos subegisti omnes, Iouem, Neptunum, Apollinem, Iunonem, matremq; ipsam me, sola uerò abstines Pallade, ac aduersum istam nulli facularum ignes, uacua telis pharmaca, tu deniq; inermis arcu, pilisq; ceres? CVP. Pertimesco ipsam mater, horrenda est enim, ac torua aspectu, admodumq; uirilis. Itaq; quoties intento eam arcu iaculoq; peto, concussa me galea excutit, exterret, caduntq; manibus continuò sagittæ. VEN. An non erat hac Mars formidabilior? & hunc tamen armis spoliatum expugnasti. CVP. Imò ille lubens merecipit, inuitatq;: Minerua uerò obductis supercilijs obseruat semper. Ad eam si quando aduolaui temerè, facibus aduolutis, ait ista: Per Iouem, si me puer adortus fueris, te transfodiam, aut arreptum pede in tartara conijciam, uelipsa te dilanians discerpam. Tum acribus intuetur oculis, & circum pectus gestat imaguncu-

Dialogus Lucia ni.

Pallas.

lam quandam uiperis capillorum uice comatam. Hanc uehementer equidem formido, perterret enim me, fugioq; quoties adspecto. VEN. Atqui Mineruam quidem metuis, atq; huius gestamen gorgona, qui Iouis fulmen non expaueſcas? Dein dutem Muſæ cur nullis queunt abs te uulneribus confici, ſunt? quod aiunt, extra tela, num galeas & hæ incutiunt, aut gorgonas obijciunt? CVP. Ipſas ego reuereor mater, caſtæ ſunt, & ſemper aliquid curæ molientes, continuò cantu occupatæ. Sæpe igitur adſum illis ſuauitate carminis allectus. VEN. Sinito et illas, quòd uenerandæ ſunt, ſcilicet: Dianam cur non uulneras? CVP. Infirma nequaquam poßibile eſt adſequi eam, ſemper per montes fugientem, quin illa ſuo quodam ſe grat cupidine. VEN. Quo gnate? CVP. Venatur quidem ceruorum ac hinnulorum, quos inſectatur ut capiat, ac iaculo figat, ac prorſum totarum eiuſmodi ſtudio tenetur, tametſi fratrem eius iaculo potentem, ac eminus ferire ſolitum. VEN. Scio gnate, ſæpenumero arma expertum tua.

Muſæ.

Diana.

Hæc fabula eſt profutura moribus uestris, ſi frequentem animo agitaueritis: Sic enim & nugæ ſeria ducent.

Dixi.

DE PHILOSOPHIA ORATIO pronunciata, cùm decerneretur gradus Magisterij quibusdam doctis & honestis iuuenibus. Philippi Mel.

M. D. XXXVI.

SPero mores meos ita uobis omnibus inspectos & notos esse, ut facilè persuadere possim, me nō impudentia, aut fiducia ingenij, aut πολυπραγμοσύνῃ aliqua, has mihi dicendi partes iterum sumpsisse. Nam cùm mandaret eas mihi uir optimus Iacobus Milichius Decanus collegij nostri, qui propter egregiam uirtutem, ac studiorum & plurimorum officiorum societatem, mihi charissimus est, mouebar quadam officij ratione, ut morem gerendum esse amici uoluntati existimarem. Neq; ego sum adeo Suffenus, aut ridiculè mihi placeo, ut ignorem plerosq; alios in hac schola esse, & natura magis idoneos, & doctrina melius instructos ad dicendum, quàm ego sum, quibus profecto laudem ingenij & eruditionis largiter tribuo. Sed nolui uideri morosior in recusando, cùm hanc operam à me homo amicissimus flagitaret. Verùm nolo uti longiore excusatione: Nam opinor mo-

res meos satis probatos uobis esse. Et hac sa
præcipuè ex eo genere, in quo ualet uersiculus:
Τρόπῳ ἐσθὸς πειθῳ τ' λέγοντ', οὐ λόγῳ
qui ait, mores dicentis persuadere, non oratione
Est autem optimo consilio institutum, ut in hi
pompis, aut de studijs, aut de laude uirtutum dis
tur. Quare ut argumentum conueniens huic loc
afferrem, et aliquid de dignitate et utilitate hari
artium, quas Philosophia profitetur, dicerem, ju
stitui orationem, in qua ostenderem, Ecclesiæ opus
esse liberali eruditione, et non tantum cognitio
grammatices, sed etiam aliarum multarũ artium
& Philosophiæ scientia. Quod cùm ita esse statu
emus, & si aliæ causæ ad dicendum inuitant, tam
bonæ mentes in hunc finem præcipuè, et acerrim
intueri debent, ut studia ad iuuandam & ornan
dam Ecclesiam referant: Nihil enim bonis dulci
us ecclesiæ nomine, nihil ea carius esse debet. Hæ
causa maximè hortari & excitare nos debet, u
summa contentione animorum expetamus perfe
ctam doctrinam, ex qua ad Remp. & ad Eccles
utilitas aliqua peruenire possit. Nec uerò nobis
præceptoribus dignior est oratio de ulla re alia,
nec bonis & studiosis quicquam utilius est, quàm
animo finem, & quasi metam honestissimi cursus
prospicere, ad quam referre sua studia debent.

Ecclesiæ opus est liberali eruditione.

Al

Ad hæc artium ipsarum dignitas, & uis non alibi magis conspici potest, quàm si uideamus, quantum opus sit illis in Ecclesia, quantis tenebris obruat inscitia religionem, quantam uastitatem, quàm horribiles dissipationes Ecclesiarum, quantam barbariem, et confusionem totius humani generis pariat. Hæc si quis considerabit, ita demum existimare poterit, quanta sit artium, ac doctrinæ uis & magnitudo. Inscitia gignit barbariem.

Etsi autem nulla oratio par tantis rebus excogitari potest, tamen cùm ab imperitis sæpe serantur de hac re prauæ opiniones, adolescentes monendi & præmuniendi sunt: quod quanquam in scholis fit à præceptoribus quotidie, tamen oratio, quæ hoc loco habetur publico nomine, plus authoritatis habere debet. Est enim omnium doctissimorum uirorum in hoc consessu communis scientia, quam contemnere profecto fuerit arrogantissimum.

Quare cùm et necessaria Reipub. et uobis salutaria dicam, et hæc mea uox communem omnium uobis sententiam exponat, peto ut me pro uestra humanitate diligenter audiatis, & admoniti non tantum sicut Vlyssis socij Sirenas obstructis auribus præteruecti sunt, ita uos eorum inepta iudicia, qui non putant Ecclesiæ admodum opus esse

liberali eruditione fugiatis, sed illos ipsos tanquam deterrimas pestes, & dira portenta exterminii. Deinde acuat & excitet discendi curam, quod studia uestra ad Ecclesiam, ac Rempub. pertinent, nec tantum ex illis priuata utilitas & uoluptas petitur.

Inerudita theologia.

Primum enim omnino ilias malorum est, inerudita Theologia. Est enim confusanea doctrina, in qua magnæ res non explicantur diserte, minuscentur ea, quæ oportebat seiungi, rursus illa, quæ natura coniungi postulat, distrahuntur: Sæpe pugnantia dicuntur, uicina arripiuntur pro uerè ac proprijs. Postremò tota doctrina monstrosa est, & similis illi picturæ apud Horatium.

Humano capiti ceruicem pictor equinam
Iungere si uelit, & uarias inducere plumas,

Nihil in ea cohæret, non initia, non progressiones, non exitus cerni possunt. Talis doctrina non potest non gignere infinitos errores, infinitam dissipationem, quia in tanta confusione, alius aliud intelligit, & dum suum quisque somnium defendit, existunt certamina, & dissensiones: Interim conscientiæ relinquuntur ambigentes. Et quia nullæ Erynnes uehementius cruciant animum, quam hæc dubitatio de religione, tandem odio quodam abijcitur uniuer-

religio, & fiunt mentes prophanæ, & Epicureæ.

Cùm igitur tantum habeat mali inerudita Theologia, facile iudicari potest, Ecclesiæ opus esse multis magnis artibus. Nam ad iudicandum, & ad rectè & dilucidè explicandas res intricatas, & obscuras, non satis est nosse hæc uulgaria præcepta Grammatices & Dialectices, sed opus est multiplici doctrina: Multa enim assumenda sunt ex Physicis, multa ex Philosophia morali conferenda sunt ad doctrinam Christianam.

Deinde duæ res sunt, ad quas comparandas opus est magna & uaria doctrina, et longa exercitatione in multis artibus, uidelicet, methodus, & forma orationis. Nemo enim fieri artifex methodi potest, nisi bene & ritè assuefactus in Philosophia, & quidem in hoc uno genere Philosophiæ, quod alienum est à Sophistica, quod ueritatem ordine, & recta uia inquirit & patefacit. Qui in eo studio benè assuefacti, ἕξιν sibi parauerunt, reuocandi omnia ad methodum, quæ intelligere, aut tradere alijs cupiunt, hi norunt etiam in disputationibus religionis informare methodos, euoluere intricata, dissipata contrahere, obscuris & ambiguis addere lumen.

Duæ res ad comparandam doctrinam necessariæ.

Magna & copiosa doctrina ad alteram rem, scilicet, ad formandam opinionem opus est, ut norunt

norunt omnes uel mediocriter uersati in litera. Sed ut hanc ἕξιν methodi informandæ nobis com paremus, non minore studio opus est. Nec potes hæc contingere ijs, qui non assuescunt in pluribu Philosophiæ partibus, in quibus qui non exerce tur, etiamsi attigerunt Dialecticam, tamen tan tum umbram quandam methodi consequuntur. Nec alij sæpius uitiosa & Sophistica colligun quàm isti. Cumq; se artifices methodi esse puten tota uia deerrant, & sunt, ut Homerico uerbo u tar ἀλαοδόκοποι. Porrò non tantum propter me thodum, seu ut Plato uocat ἀναγκαιολογοτατ κὴν, opus est Philosophia: Sed ut antè dixi, etiam multa assumenda sunt Theologo ex Physicis, ne ea est singularum partium ratio, ut his, qui sola dam doctrinam expetunt, non satis sit, pauca qu dam excerpere, sed ars integra, quantum fieri po test, cognoscenda est. Magno instrumento defi tus est Theologus, qui nescit illas eruditissima disputationes, de anima, de sensibus, de causis ap petitionum, et affectuum, de noticia, de uolunta Et arroganter faciet, qui se profitetur Dialecti cum, si nescit illas causarum partitiones, quæ tra duntur tantum in Physicis, & intelligi non possunt nisi à Physicis. Omnino est orbis qu Orbis artium. dam artium, quo inter se deuinctæ copulatæ sa

sunt omnes, ut ad singulas percipiendas, multa ex aliis assumi oporteat: Quare Ecclesiæ opus est toto illo doctrinarum orbe.

Non opinor quenquam adeò insulsum esse, ut non animaduertat, eos qui instructi sunt Philosophia morali, multas partes doctrinæ Christianæ fœlicius tractare posse. Nam cum multa sint similia, de legibus, deq; politicis moribus, contractibus, et multis uitæ officijs adiuuamur, non solùm ordine, ac methodo in Philosophia, sed etiam rebus ipsis diligenter perceptis: Et si quæ sunt dissimilia, multum lucis adfert collatio. Porrò ut claudus pilam tenet, ita Philosophiam moralem tractat is, quem Physica destituunt. Iam historiæ temporum exacta supputatio, requirunt Mathematicen. Sed et hæc pars cum Physicis coniungenda est. Inde enim uelut ex fonte pleraq; in Physicis oriuntur. Et barbaries quædam est, ut nihil aliud dicam, cõtemnere illas pulcherrimas artes, de motibus syderum, quæ nobis annos, & temporum discrimina conficiunt, & multas res maximas uenturas denunciant, nosq; utiliter monent.

Nec ego ignoro aliud doctrinæ genus esse Philosophiam, aliud Theologiam. Nec ego illa itamiscери uolo, ut confundit multa iura coquus, sed adiuuari Theologum uolo in œconomia methodi.

thodi. Multa etiam mutuari eum ex Philosophia necesse erit. Si quis huic orationi nõ habet fidem, is consideret indoctorum Theologiam, et apud se reputet, an expedire existimet orbi terrarum talem confusaneam sophisticam, ambiguam Theologiam inuehi in Ecclesiam. Et indoctos uoco nõ solùm rudes literarum, ut sunt Anabaptistæ, sed etiam illos ineptos, qui cum magnificè declamitent, tamen certi nihil dicunt, et quia ad methodum nõ sunt assuefacti, et quia fontes rerum non satis tenẽt, propterea quia cum in Philosophia nõ sint instituti, nõ satis uideant, aut quid Theologia profiteatur, aut quatenus cũ Philosophia consentiat.

Qualem requirat Philosophiam in Theologo.

Nihil opus est hic ueteres illos recẽsere, qui doctrinã Christianam insulsissimis argutijs penitus obruerunt. Eruditam Philosophiam requiro, non illas cauillationes, quibus nullæ res subsunt. Vtcunque dixi unum quoddam Philosophiæ genus eligendum esse, quod quàm minimum habeat sophistices, et iustam methodũ retineat. Talis est Aristotelis doctrina. Sed huic tamen aliunde addẽda est illa prestantissima Philosophiæ pars, de motibus cœlestibus. Nam reliquæ sectæ plenæ sunt sophistices, et absurdarum & falsarum opinionum, quæ etiam moribus nocent. Nam illæ hyperbolæ Stoicorum sunt omnino Sophisticæ, bonam ualetudinem, o-

pus

pes, & similia non esse bona. Commenticia est et ἀπάθεια, falsa et perniciosa opinio de fato. Epicurus non philosophatur, sed scurratur, cum affirmat omnia casu extitisse: tollit primam causam, & dissentit in totum à uera Physicorum doctrina. Fugienda est & Academia, quæ non seruat methodum, & sumit sibi licentiam immoderatam omnia euertendi: quod qui facere studeant, hos necesse est multa sophistice colligere: Quanquam is qui ducem Aristotelem præcipue sequitur, & unam quandam simplicem ac minimè sophisticam doctrinam expetit, interdum et ab alijs autoribus sumere aliquid potest. Vt enim Musæ cum tantu certassent cum Syrenibus, easq; uicissent, ex pennis earum coronas sibi fecerunt, ita & in sectis, & si una maximè probanda est, tamen interdum ex alijs aliquid ueri decerpamus, quo nostra sententia ornetur.

Epicurus.

Academici.

Sed de genere Philosophiæ & sectarum discrimine, aliàs dicendum erit. Mihi ad mores etiam conducere uidetur, eligere sectam, quæ studium habeat non rixandi, sed inquirendæ ueritatis, deinde quæ amet moderatas opiniones, non captet plausus indoctorum, præstigijs disputationum & absurdis sententijs.

Secta ueritatis.

Harum rerum consuetudo peßima est, et qui eam

eam ad ſacras literas afferunt, ibi uerò ingentes procellas cient. Ad hæc ſimplex Philoſophia, quam dico, primùm hoc ſtudium habet, ne quid affirmet ſine demonſtratione, ita facile effugiet abſurdas opiniones, quia hæ non habent demonſtrationes, ſed tantũ præſtigijs ſophiſticis defendentur. Poſtremò in uniuerſum propter hanc cauſam etiam conducit Eccleſiæ eruditio, quia indocti ſunt & audaciores & negligentiores. Doctrina frenum inijcit, & ad diligentiam aſſuefacit. Multa enim eruditis in mentem ueniunt, quæ ſunt utilia illi cauſæ, de qua eſt pronunciandum: uidet quàm facile ſit labi ac decipi, & in alijs artibus aſſuefacti ſunt ad quærendos fontes negociorum, ad explicanda illa quæ uidentur obſtare. Et abeunt ſtudia in mores, quare hæc ipſa diligentia, quæ in inquiſitione ponitur, gignit modeſtiam. Porrò audacia cum negligentia coniuncta, quantum afferat periculi, omnium ætatum exemplis in omnibus ciuitatibus, & in ipſa Eccleſia oſtendunt, quæ ab indoctis temerè ruentibus, & antea ſæpe dilacerata eſt, et hoc tempore crudeliter dilaceratur.

Indocti audaces et negligentes.

Itaq; uos, optimi auditores, primùm adhortor, ut cogitetis ſtudia ueſtra uerè ad Reipub. & Eccleſiam pertinere: Nam doctrinæ puritas & concor-

concordia, salutem & concordiam hominum, ac præcipuè Ecclesiæ conseruat. Deinde uos propter gloriam Dei, quem anteferre omnibus rebus debemus, deinde propter ecclesiæ salutem, quæ nobis debet esse charissima, obtestor, ut has optimas disciplinas, quas Philosophia continet, conseruandas esse statuatis, & in eas maiore studio incumbatis, ut solidam doctrinam uobis, & utilem humano generi comparetis. Epaminondas interrogatus, quid ei in uita iucundissimum accidisset: respondit, inde se maximam uoluptatem cœpisse, quod uiuis parentibus liberasset seruitute patriã, victis ingenti prælio Lacedæmonijs. Testatus est enim utrunq; sibi maximam uoluptatem attulisse, patriæ salutem, et parentum læticiam, quàm illis attulisset filij uictoris uirtus et gloria. Vtinã sic erga Ecclesiam affecti simus, ut hanc summam uoluptatẽ ducamus, uidere florentẽ et tranquillã ecclesiam, quæ uerius est patria, quàm illud solum illi penates, qui nos exceperunt nascentes, et præstare, ut Ecclesia, hoc est, cœlestes Angeli, et uniuersus cœtus piorum, quẽ ut parentes uereri & amare decet, ex nostris benefactis solidã uoluptatem capiant. E contra nullos cruciatus acerbiores esse statuamus, quàm uidere ecclesiam dissipatã, et quidem nostris cupiditatibus coniectos Angelos,

Epaminondæ quid iucundissimum.

Ecclesia uerius patria.

gelos, et cœtum piorum in luctum ac dolorẽ. Non dico hic de præmijs, decet enim nos uirtute ipsa moueri, debent apud nos ualere ecclesiæ charitas, et ratio officij, quod Deo debetur. Sed tamẽ non futura sunt etiam præmia rectè discentibus: Deus enim inquit: Glorificantes me glorificabo. Et si nos Christiani, hac spe officiũ nostrũ facere debemus, ut sentiamus nos Deo curæ esse, ne egamus nos et liberi nostri. Imò scitote nostra causa, non tyrannorũ, non eorum qui pia studia oderũt, hanc totam rerũ naturam à Deo cõseruari, solè orbẽ efficere temporum uicißitudines, ut agri fiant fecundi. Rectè hoc Stoici, Omnia esse Dei: Philosophos autem esse amicos Dei: Quare omnia etiam sunt Philosophorum. Itaq; ingenti animo hæc studia literarum et defendamus, et in hac statione diuinitus collocatos nos esse iudicemus, eamq; ob causam et maiore cura faciamus officium, & nostri laboris præmia à Deo expectemus. Dixi.

ORATIO DE PHYSICA HABITA VVITENBERGÆ.

PAX optima rerum,
Quas homini nouisse datum est.

Pax una triumphis
Innumeris

innumeris potior, inquit Poëta, maximè uerò in ter ciues. Hanc igitur à deo perpetuam petamus, « «
propter Ecclesias alioqui satis malè adfectas, & « «
ad has quantulascunq; reliquias literarum reti= « «
nendas, ac nunc Deo patri liberatoris nostri Iesu
Christi gratias agamus, quod tumultum θανικὸν
in uicinia ortũ sedauit, de quo eò dico pauciora,
quia nunc optandum esset ἀμνησίαν totius rei æ-
ternam esse. Sed moniti hoc periculo, nos quidem
Deum maiore pietate & diligentia colamus, ut
pareat Ecclesijs, et his studijs quæ necessaria sunt
generi humano. Id facilius impetramus, si nõ abu
temur ocio ad luxum, et obscœnas uoluptates, sed
finem prospiciemus, propter quem Deus pacem Pacis cõmoda.
politijs concedit, ut educari, ac erudiri iuuentus,
& regi disciplina possit, & maiorem adsiduita-
tem in hac nostra togata militia præstabimus. Vt
igitur hoc loco & in his congressibus, ad cohor-
tandos uos aliâs de alijs seu artibus, seu uirtuti-
bus dici solet, ita & ego orationem hoc tempore,
de Doctrina Physica habiturus sum. Hæc et ini-
tia prima sumit à Mathematis, & passim ab illis
demonstrationes mutuatur. Ideo de Mathematis
et sepe aliâs, et nuper dixi. Fortassis autem ut mi
lites, nõ tam uerbis, quàm sua natura, suo dolore,
& causæ magnitudine accenduntur, Sicut apud

Saluſtium dicitur. Verba uirtutem non addere
» » Ita hæ noſtræ cõciunculæ ad incitandos animos,
» » non ita multum momenti adferunt. Sed tamen iu-
» » nis ingenijs prodeſſe eas arbitror, ad iudicandum
de artibus, oſtendunt fines, docent quo quaſi ma-
nus dirigenda ſit in diſcendo, quæ materie ma-
mè eligendæ ſint. Hæ ipſæ admonitiones tam

Excitari bona ingenia, ut milites oratione actuba,

ad excitandum ſtudium etiam conducunt. Nec
pinor morem Ducum prorſus inutilem eſſe, q
non ſolùm oratione, ſed etiam tuba milites ex
ſcitant. Habetis in hac Academia Dei benefi
eruditißimos Lectores, qui Phyſicen explica
qui et rerum bonitate inuitare generoſa ingen
& ſua oratione cõmouere ſtudia ſolent: Hor
& iudicijs & autoritate accendi non diſpl
naturas non dubito. Cùm autem iam de to
Collegij ſententia habenda ſit oratio, de eode
gumento dicendũ eſſe duxi, ut omnium ſenten
de hoc ipſo doctrinæ genere congruere intelli
tis. Notus eſt Virgilij uerſus, in quo dicitur:

Fœlix qui potuit rerum cognoſcere cauſas.

ſi autem humana natura imbecilla eſt, nec ull
omnes ſeu morbi, ſeu fatales caſus prudentia
diligentia poſſunt, tamen non exiſtimemus fru
tot artibus uitam inſtructam eſſe, quæ quidem
uinitus humano generi monſtratæ ſunt.

Inter

Interdum ars nautica uincitur tempestatibus: Nec tamen ideo frustra ostensa est ars fabricandi naues, ac remigandi. Interdum segetes uel æstu intempestiuo intereunt, uel imbribus strãgulantur: Nec tamen ideo agricultura deserenda est. Eodem modo de cæteris artibus omnibus dici potest. Sepe opitulatur uitæ Medicina, ac depellit pestiferos morbos, tametsi interdũ docta plus ualet ante malum. Est autẽ inchoatio Medicinæ hæc, doctrina Physica, quæ adolescentibus propter multa utilitates tradi solet, et de qua iã dicturus sum.

I. Physica Medicinæ pars est.

Doctrina Medicorum amplissimam eruditionem et salutarem uitæ humanæ complectitur. Sed non omnes exercere eandem artem possunt, ut Aristoteles dixit, Ex Agricola et Medico constat ciuitas, Pluribus artibus Reipub. opus est. Tradantur ergo hæc initia Physices, non solùm cognitionis, seu oblectationis causa, sed ut seruiant multis uitæ partibus. Etiamsi non omnes exercent medendi artem, tamen omnibus, non barbarico more uiuentibus, opus est quadam communi doctrina, de corporum seminibus, quæ uocamus Elementa, de temperamentis, de membrorum & organorum in homine functionibus & natura, de causis morborum, addam amplius, de motibus cœli, et uarijs effectibus, qui motus comitantur. Hæc

memini fuisse doctrinã etiã matrumfamilias, qu
ad ualetudinẽ tuendã, et ad educationẽ necessa
est. Domestica quadã scientia tuendæ ualetudin
& regendi uictus omnibus opus est. Et litera
decet nosse fontes harũ disputationũ, qui etiam
uidẽtur exigui, tamẽ monere studiosos multa p
sunt. Nõ erat professione Medicus Varro, Sti
men ratione et diligẽtia in prouincia, quæ erat
festa lue pestilenti, ita seruauit se et comitatũ
sit obstrui omnes fenestras, præter Arctoas, qu
spirãt rigidiores uenti. Cõsilium id ex puerili
præceptis, quæ in Physica de uentorum diffe
ne tradũtur, sumptum erat, ut omnes intelligã

Varro à peste se suosq; seruat.

Narrat Galenus Antonium Imperatorem
pellere cruditates uẽtriculi solitum, inedis u
diei, & haurientem cyathum uini, cui aliqu
tum piperis insperſit. Domestica sunt hæc, sed
rectè utamur sine Physices cognitione, fieri n
potest. Nam Antonino causæ querẽdæ erant,
rebus penè inflammantibus uteretur. Animad
tit igitur ex uentriculi frigore sibi cruditatem
ri. Quàm multos possem recitare Duces uete
& recentes, qui etsi Medicinam non exercebã
tamen hac Philosophia, & suæ, & aliorum sa
consulebant. Alexandri fuit eximium in hoc g
re studium, qui sciebat, & Achillem à Chir
Medici

Antonius Imperator uentriculo medetur.

Alexander studiosus Medicinæ.

Medicinam didicisseut apud Homerum legimus. Nec ego nunc de integra Medicorum arte loquor, de hac communi & œconomica doctrina disſero, qua carere non possumus, si non prorsus belluino more uiuere uolumus.

Exempla Ecclesiæ.

Addam & exempla Ecclesiæ. Hæc ipsa doctrina Physica propria fuit Nohæ, Abrahæ, Prophetarum & Apostolorum. Nam ut autoritate aliqua eminerent inter cæteros homines, & beneficijs obligare multos possent, artem eos Medicam ad professionem euangelij deus adiungere uoluit, & manus eorum in curando rexit. Nec existimate indecorum uobis esse, tantorum uirorum imitari studia, qui etsi sustinebant alia munera difficilia, tamen humani corporis opificium & temperamenta, ac morborum remedia inquirebant, alius fortasse alio studiosius: Sed tamen hanc communem Physicam omnes callebant, quæ sine literis non discitur. Sit igitur hæc prima utilitas, quòd quædam Medicinæ particula est. Sed sunt

II.

Physica, pars Ethices.

& aliæ multæ causæ, cur adolescentibus Physica traduntur. Manat inde pars magna disputationum Ethicarum, quia causæ uirtutum in natura hominis quærendæ sunt. Itaq; et in negocijs ciuilibus sæpe aliquid ex Physica doctrina decerpitur. Et Plato inquit: Periclen ideo antecelluisse

Pericles quare excellens.

cæteris Oratoribus, quod Anaxagoram Physicũ studioſe audierat. Quid quòd erudita Phyſica etiam confirmat honeſtas ſententias de Deo, & de prouidentia. Nam ex doctrina de cauſis rationem namur eſſe æternam mentem, unam, immenſæ potentiæ, ſapientem ac optimam, et ut Plato inquit, boni cauſam in natura. Nec nihil prodeſt ad diſciplinam, imbecilles ac languentes animos his argumentis confirmare. Non rarò ipſe mecum omnes Phyſicorum rationes, de deo colligo, ut falſarum opinionum præſtigias, quas Epicurei aut Academici oculis hominum offundunt, refutare clarius poſſim. Diſcimus ex Phyſicis non poſſe intelligentem naturam oriri à bruto, aut caſu naſci. Mens humana eſt, intelligens natura, & quidem immortale diſcrimen honeſtorum & turpium, naſcens ſecum adfert. Neceſſe eſt igitur à mente aliqua præſtantiore ac æterna ortam eſſe. Quis autem non uidet aliũm argumentorum cogitationem ad modum utilem eſſe? Sed aſſentior regendas eſſe cogitationes uoce cœleſti, in qua Deus magis perſpicuè, & naturam ſuam & uoluntatem patefecit.

III. Physica Ecclesiæ utilis.

Venio igitur ad Eccleſiæ doctrinam. Etſi ſcio olim Manicheos & pleroſq; alios faſcinatos deliriis fanaticis, mouiſſe ingentes tumultus in Eccleſia, malè contextis Phyſicorum ſententijs, tamen

nihil

nihil dubium est, Ecclesiæ erudita & syncera Physica opus esse. Si qui ineptè tumultuati sunt, hominum furor execrandus est, non ars uituperanda, quamilli ipsi flagitiosè deprauabant. Et facilius refutari possunt, prolatis ueris demonstrationibus. Exempla etiam ostendunt, non potuisse interpretes ueteres carere Physicis. Ideo enim Nisenus, de hominis partibus, longum commentarium edidit. Et quàm multa sunt in alijs Physiologica, cùm differunt de partibus, & officijs animæ. Quoties in grauissimis controuersijs Theologicis, dicendum est de causis, quarum uarietas tantum in Physicis eruditè traditur.

Quantum refert tenere discrimen partium animæ, cùm tanta sit inter eas discordia, mens retinet legem Dei impressam, mõstrat beneficia Dei, docet impendere pœnas contumaciæ. Sed altera pars animæ, quæ uocatur Appetens, cuius sedes est in corde, nec beneficijs mouetur, ut constanter amet Deum, nec perhorrescit commonefacta horrendis exemplis omnium ætatum, ut metuat Deũ iratum ac uindicem. Quoties dicendum est de affectuum sontibus & sedibus: Et eruditè discerni oportet σοφὰς à uitiosis motibus. Hæc nũquam dextrè explicabit is, qui non adsuefactus est ad Physicam doctrinam, quæ in scholis traditur. Vi

demus interdum etiam ueteres scriptores nõ plebeios hærere in his materijs, tanquã in luto, propter insciti am physices. Quoties in Ecclesia controuersia mota est de fato. Hic quid dicet imperitus Physices, quomodo labefactabit Stoicorum aut Peripateticorum sententias, quas ignorat? Nec tantũ in his materijs, de quibus dixi ius est Physices, passim in explicatione cœlestis doctrinæ incurritur in Physicos locos, ubi magnum ad minimum est interpreti cognitio horum elementorũ, ut Architecto, aut sculptori, mediocris pingendi facultas. Ingens est ornamentum ecclesiæ, eruditio, quæ complectitur nõ tantum uerborum cognitionem, sed etiam quandam rerum uarietatem. Nam nec formari iudicium potest, sine quadam rerum multarum consideratione & collatione, nec oratio neruos habet aut uim, nisi ex bonis rebus oriatur. Est enim notus uersiculus: Scribendi recte, sapere, est et principium et fons. Est igitur & Physica doctrina cõplectenda, sine dubio ecclesiã non esse ineruditã. Eaq; in re multa nobis prouidẽda sunt. Indocti quia ingenia nõ coercẽt certis metis doctrinarũ, facilius decernũt uia, et difficilius sanari possunt, quia nec norũt, nec obseruãt leges, quas in docendo sequi tanquã normã necesse est, deinde Hypotheses ueras nõ tenent,

Quæstio de fato.

nent. Hæc incõmoda, si uitare uolumus, profecto excoli, et expoliri ingenia uera eruditione ualde opus est. Quales furores sint Anabaptistarũ, scitis, quos quidẽ manifestum est tantum ab illiteratis ortos et propagatos esse. Si igitur lumen eruditionis in ecclesia extinctum fuerit, deliria exorirentur uaria, ut antea accidit. At principes fouere studia literarum oportuit: Sed cum paucos ea cura tãgat, nos eò uehementius annitamur, ut hoc ecclesiæ decus, quantum possumus, tueamur. Hæc propria est ordinis nostri militia, quã quidẽ et adiuuabit Deus, et ornabit præmijs, etiamsi negligimur à Centauris, et aspera multa ferenda erunt. Sed scitis hoc uirtutis munus esse, recta facere, prodesse cæteris, etiamsi uulgus sit ingratũ. Sic cõfirmatos esse oportet maximè nos in ecclesia, ubi acriora & sæuiora sunt odia, aduersus benemerẽtes, Quæ gratia Esaiæ, Ieremiæ relata est pro summis et diuinis beneficijs? Horũ nos exemplis excitemus, ad salutarem doctrinã conseruandã posteritati, ac statuamus Deum suo agmini nõ defuturum esse, nec permissurum, ut funditus deleatur cœlestis doctrina. Hac spe nos in his ærũnis, quæ nostram militiam cominantur, sustentemus atq; erigamus.

Eruditio in Ecclesia requiritur.

Dixi.

Ora-

ORATIO DE ASTRONOMIA & Geographia, habita Vuitenbergæ.

Duæ pestes Athenarum & omnium Rerump.

VEtus legitur Sibyllæ oraculũ de Athenis, duas ei pestes exitio futuras esse, fraudes, & Ducum ignauiam. Sed si communem hominum uitã, & interitus regnorum considéramus, nõ tam Athenis, quàm omnibus urbibus ac Imperijs Sibylla uaticinata est. Olim Germania, & magnitudine animorum excellebat: & in consilijs ueritate, candore, ac fide. Nunc technis certatur, eluduntur recta consilia, uetus illa gloriæ militaris cupiditas, & fortitudo extincta est. Ideo uidetis nihil esse præsidiorum in tanto periculo publico, non solum Germaniæ, sed uniuersæ reliquæ Europæ. De quo cogitans, maximè angor animo de Ecclesia, & de nostris studijs, quibus præcipuè Turcica barbaries uastitatem, & interitum minatur. Quanquam igitur impendent fatales pœnæ, ut multa sunt non solùm in Astris, sed etiam in moribus hominum, signa, tamen hac me spe sustento, Ecclesias Deo curæ futuras esse, & filium Dei propugnaturum nostros cœtus, ut Daniel prædixit.

Ecclesia semper Deo curæ.

dixit. Quare hæc studia nobis adolescentes non sunt abijcienda, desperatione, uel præmiorum, uel salutis. Imò eò ardentius excitanda sunt, ut etiam inter medios hostes conseruentur, si ita ferent fata. Et quoniam hi nostri cœtus pars sunt Ecclesiæ, quoties conuenimus, quoties de studijs cogitamus, accedant pia uota, & oremus Deum, Patrem liberatoris nostri Iesu Christi, ut Ecclesiam, & honesta studia defendat, nos seruet ac regat. Hæc præfari uolui, quia in his congressibus præcipuè decet nos, ut de studijs, ita de communibus periculis cogitare, et coniungere uota. Nam & ad hos congressus dictum Christi pertinet, cum ait: Se interfuturum, ubicunq; duo, aut tres, in nomine ipsius conuenerint. Cum autem hoc loco mihi necessitatem dicendi imponat officij ratio, constitui potissimum de ea arte dicere, quam profiteor, uidelicet, de doctrina, quæ leges motuum cœlestium tradit, & magnitudines, spacia, interualla, metas regionum monstrat. Etsi enim scio in hac schola, has diuinas artes non uituperari, tamen quia segnius coluntur, quàm oportebat, nostri est officij, quantum possumus adulescentũ studia omni ratione accendere, atq; excitare, eaq; in re optarim nos à principibus adiuuari, sicut in Aegypto regum liberalitas inuitauit ingẽ-

Astronomia.

Reges Aegypti liberales erga has artes.

ingenia ad has artes colendas et illustrandas, & recens ante trecentos annos, cum Latini homines, ne umbram quidem huius doctrinæ tenerent,

Fridericus Imperator.

Ingeniosissimus Princeps Fridericus Secundus Imp. ex Arabum monumentis eam transfudit in Latinum sermonem, & utcunq; instaurari magno sumptu curauit. Ac multa extant testimonia, quæ ostendunt his studijs uetustissimos Reges deditos fuisse, ut Atlantem, Orionem, Chironem. Ideò enim nomina eorum Stellis, grata posteritas attribuit, ut significaret se ab illis doctrinam de motibus cœlestibus & anni descriptionem accepisse. Et Cæsar de se inquit apud Lucanum: Media inter prælia semper, Stellarum cœliq; plagis, superisq; uacaui. Constat nunc quoq; Imperatorem Carolum V. & intelligere doctrinam cœlestem penè ut artificem, adeoq; amare, ut cum sibi aliquod interuallum ad quietem sumit, non lusibus aut uoluptatibus animum relaxet, sed huius dulcissimæ doctrinæ disputationibus. Scio sedentem in thermis, cum pedis curationi uacare eum necesse esset, ocium fefellisse interdum horologijs artificiosè describendis. Scio diligentissimum esse in quærenda longitudine & latitudine regionum, in stellis conferendis ad regionum situs, ut nauigans cœli contuitu cursum dirigere posset.

Cæsar.

Carolus V.

Quid

Quid honestius est magno principe, quàm defessum animum tali uoluptate recreare.

Vtinam uerò hoc honestissimum exemplum ceteri imitarentur, & ingenijs præmia proponerent, quod si fieret, conseruari hæ artes, & magis illustrari possent. Sed sæpe mihi uenit in mentem, unà cum cœlo eas senescere, & paulatim extingui, & earum interitu portendi finem mundi. Interea tamen generosæ mentes, cœlo ortæ, de patria cogitent, hanc interdum contemplentur, & statuant non frustra hoc pulcherrimum spectaculum cœlestium corporum, & motuum, hominibus propositum esse, & harum admirabilium rerum ordinem inquirant, quod cum per se hominis naturæ maximè congruit, tum uerò utilitates ad uitam magnas adfert, quarum aliquas breuiter, ut fert ratio temporis, exponam, ac tantum de motuum doctrina, & regionum metis dicam, omissa diuinatrice parte, ne quod mihi certamen accersam. Vt autem in omnibus rebus à Deo ordiri rectissimum est, ita in hac quasi deliberatione de studijs, cum cœlum ipsum contemplabimur, ueniat in mentem Architecti. Hunc cogitemus, nec frustra hunc mirandum ordinem instituisse, nec frustra generi humano noticiam horum motuum tradidisse. Hæc si quis non cog-

Astronomia cũ cœlo senescit.

Deus Architectus ostendit se esse φιλάνθρωπον.

cogitat, quantum à Cyclope illo distat, qui in tro degẽs, nec in cœlum aspicit, nec numen ullu æternum ueretur? Si quis autem ut hominis tu turæ conuenit, Dei munera magnifacit, is statu magnarum utilitatum causa has motuum lege instítutas, & doctrinam traditam esse. Vtilita motuum omnibus posita est ob oculos. Quid a animantium conseruationem gratius est uicissi dierum ac noctium, quid ad terræ fœcunditatem, ad fruges procreandas, & alenda animantia uti lius, quàm ueris, æstatis, autumni & hyemis ali miles tempestates? in quibus diligentia artifi tanta fuit, non modò ut spacia temporum solis Lunæ motibus metienda proposuerit, sed uirtu tiã addidit, ut terra aliâs fœcundo calore tepe ret, aliâs rigaretur, aliâs aresceret, aliâs astri gelu quiesceret. Hæc ut arte facta esse intelligi mus, certorum syderum Ortus et Occasus, sing lis anni partibus conuenientes, Soli adiun

Hyades sydus turbidum.

Post sementem uernam occidunt Hyades, qu Plinius inquit, sydus esse uehemens, et terra m riq; turbidum. Id ita institutum est, quia terra tempore rigatione opus est.

Canicula.

In messe opus est siccis tempestatibus. Tu igitur Canicula æstus auget. Sic reliquis an partibus conueniunt certi ortus aut occasus, q

utilitates notæ sunt, quæ ut Xenophon ait, testantur Architectum, cum tam studiosè nostræ necessitati prospexerit, ualde amantem esse nostri generis, seu ut ipse ait, φιλάνθρωπον. Sed hæc fortasse sine doctrina obseruari possunt, quanquam ordo magis conspicitur, cum accedit eruditio. Dicam igitur de ijs utilitatibus, quæ amitterentur, negleta doctrina. Erunt, inquit Moises, insigna, tempora, dies, & annos. Hic cœlestis oraculum præcipit generi humano, ut certas anni metas diuinitus propositas, discat obseruare, & interualla annorum consideret. Quod sine eruditione, & motuum cognitione nequaquã fieri potest. Addidit igitur Deus nobis umbram doctricem, ut æquinoctia et solis conuersiones obseruare possemus, addidit numerorum et mensurarum scientiam, quæ mentes in cœlum subuehit, ut certas uias Luminũ, ac metas quasi oculis signare possimus. Itaq; & primi parentes, & deinceps gentes eruditiores, & in his ingeniosissimi, semper elaborarunt in obseruando anni circuitu, ut certã temporum seriem conseruarent, quorum et beneficium gratum nobis esse debet, et laudanda solertia, diligentia, assiduitas, uoluntas benemerendi de genere humano. Sunt autem solertiæ et diligentiæ testimonia illustria multa, ut Eclipsium prædictiones,

Cœleste oraculum de obseruãdis temporibus

& ipsa anni descriptio, cuius circuitus, ut quàtum fieri posset, certissimè comprehenderetur.

Variæ anni descriptiones.

Variè certatum est, uetustissimi reditum Solis ad certam Stellam fixam, uerum anni spacium q se senserunt. Deinde cum aliquot seculis post ea maduersum esset, Stellas progressas esse, quarta da fuit alia uia. Quare Meto, quem Athenis a

Meto.

xisse scribunt, annus opinor Empedoclis, descripsi annum esse reditum in idem Solstitij æstiui punctum. Quia enim Athenienſibus anni initium erat solstitium æstiuum, in eo metam potius co

Hipparchus.

stituit. Deinde post Alexandri ætatem, Hipparchus maluit obseruare æquinoctia quàm Solstitia. Quia aliquot diebus circa solastitia uariat declinationis ad æquinoctialem, sensu deprehendi non potest. Definijt ergo Hipparchus annum s

Ptolemæus.

reditum solis in idem æquinoctij punctum, Hic secutus Ptolemæus, & suas obseruationes conferens, tandem anni rationem tradidit constantinorem superioribus, uidelicet dierum trecentorum sexaginta quinq;, horarum sex, minus trecentesima parte diei. Nondum hæc diligentia satisfa

Albategnius.

posterioribus. Nã post Ptolomæum Albategnius anno septingentesimo quadragesimo tertio, nempe licet ante hanc nostram ætatem, circiter sexcentesimum annum, deprehendit post Ptolomæum

opus esse emendatione. Deinde rursus eruditissimi homines primam uitam cum quadam correctione secuti, maluerunt annum esse reditum Solis ad certam Stellã fixam, cum hoc modo longioribus spatijs minor inæqualitas circuitus anni adpareat.

Hæc eò recensui, ut diligentiam summorum uirorum admiremini, qui certos Fastos, certam anni descriptionem nobis tradere studuerunt. Iam cogitate, quantum hoc sit beneficium. Nisi enim artifices hanc temporum seriem nobis conseruassent, quæ essent religionum atq; omnium historiarum tenebræ, quæ confusio totius uitæ? Non animis retrò legere mundi initia possemus, non sciremus quæ religiones priores, quæ posteriores fuissent: Esset ignota series imperiorum, nescirentur Ecclesiæ initia & propagatio. Has tantas res ut sciremus, Deus & præcipit, ut discamus quid sit annus, & monstrat annum continere menses duodecim, & initia in æquinoctio constituit. Hæc primis hominibus doctrinæ huius semina fuerunt. Quare cœlesti illa uoce admoniti, utilitates expendamus, & Dei donum amplectamur, amemus, & excolamus. Coniunctæ artes sunt doctrina, de motibus cœlestibus & Geographia, nec diuelli possunt. Quis est autem adeò imperitus communis uitæ, adeò sine sensu com-

Astronomiæ uariæ utilitates.

muni, ut arbitretur uitam carere posse hac re, monstrante situs regionum, interualla, natur

Nulla nauigatio, nullum iter paulò longiu scipi, aut certè gubernari potest, ab huius re ignaris. Quid in scripturis Propheticis, quo do uagata sit Ecclesia, quæ res ubi gestæ sint, u de iudicari posset, si deesset hæc artificiosa regi num descriptio. Quotidie in precibus inuen est regio, in qua filius Dei uersatus est, et ultim factus, cógitandus est locus, in quo primùm sta it uox cœlestis. Sic enim uult Deus inuocari simul de sacrificio filij cogitemus, & de pro sionibus. In his te locis cùm quotidie sistere mi uota debeant, quanta est ignauia, nõ cogita ubi terrarum sita sint. Hæc spectare etiam ind cti cupiunt in picturis. Ac nisi ars extaret, om homines infinitum quiddam esse terram cogi rent, ac tantum earum regionum spacia & in ualla scirent, quæ adijssent. Hinc multi grauis rores in uita orirentur. Nunc uerò quàm gr tum, quàm utile est mente complecti totum ter ambitum, & quidem certa, facili & compen ria supputatione comprehensum, quem si cog tione tanquam oculis totum contempleris, gr etiam mirari paruitatem, cùm sit nostrorum m liariorum quinquies mille quadringentorum

In precibus inuenenda regio filii Dei.

Hæc sine doctrina motuum cœlestium includi certis descriptionibus, quasi limitibus non poterant. Iam quanta suauitas ac dulcedo sit huius doctrinæ, dicerem, si uerbis exponere possem. Sed hæc » » experiundo cognoscenda est. Sua cuiq; naturæ » » propriissima actio iucundissima est, ut nare piscibus, modulari Luscinię, ita homines magna uoluptate adfici necesse est, cùm naturam totam rerum aspiciunt, cùm numerorum & magnitudinum proportiones inueniunt, cùm cœlestium & inferiorum corporum harmoniam, & consensum deprehendunt, cùm uident omnia certa lege condita esse, ut nos de Architecto admoneant. Ad hanc considerationem cùm nati simus, necesse est eam uoluptati esse non monstrosis, non distortis naturis. Etsi autem initio præfatus sum, me non dicturum esse de parte diuinatrice, tamen hoc addam, hanc ipsam doctrinam motuum cœlestium per se μαντικὴν esse, & præcipuam ac certissimam diuinationem gubernantem uitæ summam. Nam hæ leges motuum, testantur mundum non casu ortum esse, sed à mente æterna conditum, & huic conditori humanam naturam curæ esse. Hæc cùm perspicuè demonstrent leges motuum, negari non potest, hanc doctrinam uere esse μαντικὴν de re maxima. Nam hæc de Deo, & de

Astronomia μαντικὴ de re maxima.

prouidentia ſententia, profecto ad uirtutem ani-
mos excuſcitat. Prædicit Phyſicus pluuias, ſi ſpi-
rent Auſtri uel Zephyri, ſi Boreas, ſerenitatem.
Quanto utilior diuinatio eſt, confirmare animos
de prouidentia, ne caſu mundum extitiſſe ſomni-
ent? Magna cauſa fuit, cur Deus hæc de ſe teſti-
monia nobis propoſuerit. Nã cùm didicimus ita
eſſe Deum gubernatorem omnium, intelligimus
ei parendum eſſe, agnoſcimus ordinem ab ipſo, et
in mentibus noſtris, & in politica ſocietate inſi-
tutum eſſe, & ſancitas pœnas conturbantium
hunc ordinem, quas ne Gygantes quidem, uiſ
auſint ad ſe communiendos imponere Pelio Oſ-
ſæ, effugere queant. Deniq; multa de Deo & di-
moribus monet cœleſtium legum ordo, teſtificans
ad humani generis utilitatem has rerum uice
conditas eſſe. Quare Plato prudenter dixit, tum
uirum tantum beatum eſſe, qui hanc doctrinam
didicerit, hunc mores poſſe regere, hunc moderā-
tum, iuſtum et utilem ciuibus fore. Ac addo uerò
Platonis, ut tanti uiri uox & autoritas nos ad
amorem & ſtudium harum optimarum artium
excuſcitet. Vnum eſt naturæ uinculum, doctrina
» » numerorum, figurarum & motuum cœleſtium,
» » ac ſi quis aliam uiam ad diſcendum quæret, fortaſ-
» » nam inuocet, ut dici ſolet. Nam ſine his nemo in
ciuitatibus

Platonis uir beatus.

ciuitatibus unquam beatus existet. Hic modus est, hæc educatio, hæc disciplina, seu facilis seu difficilis. Per hanc ire necesse est, nec fas est negligere Deum, qui gratam de se famam in his artibus generi humano tribuit. Hæc sunt Platonis uerba, in quibus cogitate, quàm sapienter dictum sit, gratam Dei famam audiri in his artibus, hoc est, numerorum ordinis, & cœlestium corporum cognitione necessario nos statuere mundum à mente aterna conditum esse. Vere igitur hæc ipsa doctrina, de qua loquimur, est μαντικὴ, etiam si reliquas diuinationes non scrutemur, de mutationibus aëris, & corporum nostrorum, quarum non omnino nulla est utilitas, si intra iustas metas contineantur.

Grata Dei fama in artibus.

Cùm igitur doctrina de motibus cœlestibus, plena sit eruditionis, cùm sit utilis uitæ ad temporum & regionum distinctionem, cùm sit dulcissima, cùm confirmet in animis honestam de Deo sententiam, cumq; sit occasio discendi, bona ingenia adhortor, ut in hæc studia incumbant, & sua, & Reipub. causa, cui honestas artes, uitæ utiles conseruare debemus.

DIXI.

ORATIO DE DIGNITATE Astrologiæ, dicta in promotione Magistrorum, à Iacobo Milichio, Anno M. D. XXXV.

OPtimè institutum est, ut in his spectaculis, de dignitate artium, & de uirtutum laude dicatur, quòd ea oratio cùm ad formanda iudicia iuuentutis, tum ad accendendos animos ad amorem bonarum rerum, magnam uim habet. Etsi autè principuè solet ad iuuentutis utilitatem hoc loco accommodari oratio, tamen ne cæteris quidem ullum acroama est iucundius, quàm artium & uirtutum encomia, quæs ut quisq; intelligit, ita uehementissimè admiratur. Quare etsi oratio nostra aptior futura erat iuuentuti, tamen ne uobis quidē ingratam fore confido, quorum cùm maior sit eruditio & prudentia, eò magis delectari uos cogitatione ipsa artium arbitror. Dicam autem de ea parte Astrologiæ, quæ de syderum effectibus in natura inferiore disputat. Idq; argumentum ego sumpsi libentius, quia mihi non in turba imperitorum, sed apud homines doctos, & Philosophiæ deditos, dicendum esse intelligebam,

Vt autem Græci Rhetores summa prudentia in definitione artis, dixerunt artem non solum oportere ueram noticiam esse, sed addiderunt etiam oportere utilem ad uitam esse: Ita ego utrunque disputabo, & ueram esse doctrinam de cœlestibus effectibus, & magnas ad uitam utilitates afferre. Atq; hic principio à uobis peto, quod equissimum est, ne conferatis in artem errata artificum, qua de re longius mihi dicendum esset, ni si apud eruditissimos homines haberetur oratio. Sed aliud est crimen, quod etiam apud doctos detrahit fidem arti, quod uidelicet, in hac infinita ea sunt humanorum uarietate, ars ipsa non præuidet omnia. Negant igitur homines acuti artem, hoc est, uniuersalem & perpetuam doctrinam exstare posse, ex particularibus paucorum euentuum obseruationibus, quasi uerò aut Medicina morbos curet omnes, aut politica sapiëtia omnes Rerumpub. tempestates prospicere, & mederi omnibus incommodis possit. Et tamen concedendum est, multa utriusq; artis uera, & firma præcepta esse, & ad uitam utilia. Ita sunt huius diuinatricis ueræ quædam, & perpetuæ significationes, pauciores fortasse, nihil enim dissimulo, quàm Medicorum: nam hæc ars uersatur in rebus procul positis à nostro conspectu. Et cum homi-

Definitio artis

Ars nõ omnia præuidet.

num temperamenta moresq; dijudicet, & uatici-
netur de futuris maximarum in uita rerum mu-
tationibus, diuinitas quædam esse uidetur. Quæ
etiamsi non tam multæ sunt huius artis demon-
strationes, quàm cæterarum leuiorum artium, at-
tis hoc magnitudini tribuatur. Et quidem co-
iore cura quantulumcunq; est huius artis, quod
superi monstrarunt hominibus, conseruari de-
bet, eo maiore studio intendenda mens est in hu-
gnificationes, quæ cõpertæ sunt, nam harum qui-
que maxima uis est, et multiplex in uita utilitas.

V.
Magnitudo huius artis Astrologicæ.

Non solum inepti, sed etiam improbi sunt, qui
falsis persuasionibus ornare, aut amplificare ue-
tes conantur. Ego ingenuè profiteor, non omni-
um euentuum significationes compertas esse, sed
idem affirmo multas esse certas, minimeq; fal-
ces significationes, quas si quis animaduerterit,
magnum ad regendam naturam, & plerosq;
fõrunæ impetus gubernandos, adminiculum ha-
bet. Extenuat hanc artem & Fauorinus apud
Gellium, et dicit pauca quædam præuideri πολ-
μεχέσεχον. non solum non repugno, sed etiam
plausum do, quod ait πολυμεχέσεχον, amplis-
simo præconio ornauit artem, siquidem quæ-
dam in natura aut moribus præcipue animãdu-
ti posse inquit: At ex his homines sagaces plu-

Fauorinus.

ma postea iudicant. Videtis in moribus quàm multa conijciantur ex uno aliquo gestu, aut cachinno. Ita cum certæ notæ quarundam præcipuarum rerum sint impressæ naturæ, multæ ex his postea coniecturæ sumuntur. Fortassis autẽ non esset ars ducenda Astrologia, si tantum constaret coniecturis: Nam ars est eorum, quæ non fallunt. Verum & hæc ipsa ars, ut Medicina et politica, primum certis obseruationibus constat, postea ex his multæ oriuntur coniecturæ. Vidit Astrologus in genesi Catilinæ diros positus atq; aspectus Planetarum, qui significabant animi crudelitatem, audaciã, præpostros mores, inquieta & infœlicia consilia. Hæc non potuisse certo prædicere, Catilinã Cicerone Cõsule moturũ esse seditionẽ, deinde futurũ, ut in acie in Apennini radicibus interficeretur: At animaduersis illis infaustis significationibus, quæ quidem sunt certæ, cõijcere potuit, futurum ciuẽ turbulentum, seditiosum, & uitæ futurum exitum tragicum. Ita insignia quædam in temperamentis hic moribus παχυμερέστερα iudicari possunt, quæ non fallunt. Non igitur eò asternanda est hæc ars, quia non omnia prævidet. Quam pauca certa sunt in cæteris optimis artibus, & ut iam nõ de Medicina, aut de politica dicamus: Num ideo tota doctrina de Meteoris uitu-

Genesis Catilinæ.

Artis initium certum.

peranda

peranda est, quia paucas habet demonstrationes, postea plurima conficit coniecturis? In ipsa agricultura quàm sæpe fallimur, num ideo non sunt colendi agri? Quin potius utamur artium beneficijs, & consideremus quousq; humana mens progredi possit. Me quidem non solum utilitas in his artibus delectat, quam in medendo, & in alijs rebus animaduerto, sed multo magis hoc, quod cum hunc mirificum consensum corporum cœlestium, & inferiorum contemplor, ipse me ordo & harmonia admonet, mundum non casu ferri, sed regi diuinitus. Hæc respondere uolui ad uulgare conuitium, priusquam de arte dicerem.

Astrologia pars Physices.

Est autem initiò ueluti definitio quædam constituenda Astrologiæ, ut eam a superstitiosis divinationibus, quas Ptolomæus ἀναιτιολογήτους appellat, separemus. Astrologia pars est Physices, quæ docet quos effectus astrorum lumen in elementis, & mixtis corporibus habeat, qualia temperamenta, quas alterationes, quas inclinationes pariat. Et quia inclinationibus sæpe mores, studia, consilia, casus respondent, ut ille inquit:

Naturæ sequitur semina quisq; suæ.

Ideo horum quoq; significationes aliquas monstrat. Quod si constabit sydera habere aliquos effec-

fectus, planè concedendum erit, hanc artem esse Physices partem, perinde ut prædictiones Medicorum: Nec ego nunc de hac parte prolixè disputabo, sed unum Galeni oraculum in hac causa recitabo, qui non solùm reprehendit, sed etiam graviter obiurgat illos, qui negant inferiora corpora affici à lumine cœlesti, & inquit: Sophisticum esse, negare manifestam experientiam. Ergo & fatetur se experientia victum, tribuere magnam uim lumini in inferioribus corporibus, & eos, qui dissentiunt, sæuerissimè taxat. An dubium est uices æstatis atq; hyemis effici solis accessu et discessu, Solis lumen calefacere et desiccare, Lunam humectare? Hæc si manifesta & perpetua sunt in his duobus clarissimis syderibus, cur cætera putemus frustra condita esse? Iam perpetua experientia testatur, insignes coniunctiones habere insignes effectus, idq; in tempestatibus palàm apparet. Vidistis concursum Planetarum in humido signo anno uicesimo quarto, intumuerunt ubiq; omnes aquæ, humidæ tempestates totius biennij fuerunt. Hac æstate pluuias crebriores omnium opinione, & insalubres tempestatum uariationes attulerunt, Iupiter in piscibus, Mars in Tauro. Possem alia multa exempla recitare, si temporis angustia non prohiberet.

Galeni oraculum et experientia.

Concursus Planetarum Anno XXIIII.

Nec

Nec nerò dubium est, ut Solis et Lunæ, ita cæterorum Planetarum lumen uariare tempestates & aërem, & corpora nostra afficere. Res ipsa loquitur in herbis, in metallis, deniq; in contemptißimis rebus maximam uim esse, & iure laudatur illud ueteris Poëtæ:

ὅτι κὴ ἓν μαλάχῃ κὴ ἀσφοδέλῳ μέγα κῦδος.

Quod cum ita sit, cur putemus frustra cõdita esse illa pulcherrima lumina, cũ quidem nulla sit natura præstantior, aut efficacior lumine. Quid ipsæ leges motuum, nónne significant tẽperaturam lumen solis & lunæ, cæterorum Planetarum aspectus? Mercurius et Venus nunquam procul à sole discedunt. Superiores Planetæ ita discedũt, ut lumen in epicyclis ad medium apogeon cum Sole semper congruant. Postremò et Hippocrates testatur tẽpestates excitari & uariari ui syderum. Et dißimilitudinẽ nòn solùm regionum, sed etiam ingeniorum ac morum in diuersis regionibus decet oriri à cœlestibus causis. Hæc cum sint certa, constat artis initium uerum ac certum esse, ubi decet, quod lumen cœleste magnam uim habeat in elementis, & mixtis temperandis & alterandis. Deinde et hoc manifesta temperantia testatur, lumẽ Planetarum dißimile esse: Saturni melancholicũ, Iouis temperatum, Martis cholericũ, Solis

Hippocrates.

uiuificũ, Mercurij siccius, Veneris et Lunæ humidius. Et hæc uariè posita miras mixturas efficiũt, ut cũ in medicamẽtis uariæ herbæ miscẽtur, in cantu uoces. Hæc dixi breuius, nõ solùm quod habenda fuit ratio temporis, sed etiã quod uobis doctissimis hominibus satis probata esse arbitrabar. Venio igtur ad alterã partẽ, uidelicet, ut de utilitate dicã. Nec uerò existimo quenquam adeò superstitiosum esse, ut neget in medẽdo cõducere obser- 2. Vtile.
uationẽ syderum. Cumq; de hac re, et præcepta extet, et nota sit experiẽtia, nõ ero longior. Quanto est autẽ illa maior utilitas, non solùm in ægrotis corporibus, sed multò magis in Rebusp. considerare mutationum maximarũ seu causas seu significationes, ut accommodare ad eas nostra consilia possimus, et arte mitigare incommoda. Verè enim inquit Plato, syderũ circuitus efficere uarias uices, nõ solùm animantium corporibus, sed etiã uniuersæ naturæ rerum, uitæ hominũ, imperijs, & Rebusp. Vt autẽ agricolis præcipitur, ut temp. Agricolæ.
pestatũ signa obseruẽt, ita magni uiri in Repub. mutationum signa intelligere, et considerare debẽt. Et quidem in scriptis politicis colliguntur signa sumpta à moribus et uolũtatibus, sicut Medici morbos ex intemperãtia, aut corruptione humorũ prædicunt. Sed magno et sapienti uiro ma-

gno-

gnopere prodest, etiam hæc cœlestia signa ani-
maduertere, ut regere aliquo modo fortunam,
cauere sæuas tempestates, uel certè mitigare pos-
sit. Rectè enim dictum est:

Qui sapit, ille animum fortunæ præparat omni,
Præuisumq; potest arte leuare malum.

Etenim si significationes illæ nõ sunt considera-
dæ, cur diuinitus in cœlo scriptæ & pictæ sunt?
Cum autem Deus has notas impresserit cœlo, ut
Rebuspub. denunciaret ingentes casus, impium
est, animos ab hac obseruatione prorsus auerte-
re. Eclypses, coniunctiones, prodigia, trabes, fa-
nes, cometæ, quid sunt nisi Dei oracula, qui mi-
tãtur uitæ hominum ingentes calamitates ac mu-
tationes? Hæc si quis contemnit, Dei monitis re-
spernatur. Quatenus autem hæc metui debeant,
quantum omnino tribuendum sit cœlestibus si-
gnis, discet idem ille uir magnus ex sacris libe-
ris, ne obrepat animo impia uel confidentia, uel
desperatio. Vt in agricultura, in nauigando, non
est irreligiosum obseruare prognostica tempes-
tum, ita in administratione rerum considerare
naturales significationes, quas Deus proposuit,
ut nos uigilantiores reddat, & curam in nobis
acuat, pium & utile est. Sed uideamus primum
mores.

Dei oracula sy-
dera.

Si quis naturæ suæ inclinationem intelligit, alere bona & confirmare, & uitare uitia diligentia ac ratione potest. Verum est enim quod ait Ptolemæus: Sapiens anima adiuuat cœlestem operationem, quemadmodum optimus agricola arando expurgandoq; adiuuat naturam. Hoc latè patet in cura ualetudinis, in deligendo genere uitæ, studij, insuscipiendis negocijs uel aptis uel abhorrentibus ab ingenio. Si Curionis aut Antonij parētes satis intellexissent naturam filiorum, flectere singulari arte fera & inquieta ingenia ad moderationem potuissent. Philippum Macedonem accepimus Regem in primis callidum, cum animaduertisset in filio Alexandro non sanè prauam, sed tamen asperiorem et impatientem imperij naturam esse, uideretq; eum non pati domitorem asperum, cæpit consilium doctrina et Philosophia flectendi eum ad suauitatē et comitatem. Hac ratione adeò excoluit illam naturam, ut in ipso cursu uictoriarum uix quisquā fuerit unquam humanior ac moderatior. Ita prodest uidere, quo quenquā ducat natura, ut disciplina idonea ad uirtutē flectatur, et à uitijs abducatur. Possem & alias utilitates œconomicas colligere, sed has persequi longū fuerit. Vos igitur candidati, quia iā Philosophiæ uos publicæ addicitis, ut reliquas partes pro uirili am

Naturæ inclinationes disciplina reguntur

Philippus Macedo.

plecti, excolere, & ornare debetis, ita meminis-
" tis, hanc quoq; partem amandam esse. Non solùm
" stultitia, sed peruersitas est, aucupari ingenij lau-
dem ex insectatione bonarum artium. Nam ma-
ros bonos decet præclaras artes & utiles ma-
pro uirili ornare, ut ad earum studia quàm plur-
mi inuitentur. Dixi.

DE VTILITATE ARITHMETI-ces, Oratio.

DVxi uobis initiò exponendam e-
se causam, quare publicè docere
cipiam, ne quis existimet me te-
consilio impudenter in hoc lo-
trum prodire. Ego enim cum et natura sim in-
dior, & has artes maximè colam, quæ amant lo-
tebras, nec merentur plausus in uulgo, deinde
uideam, quanta sit non solùm scientiæ copia, s
etiam dexteritate, et fœlicitate ingenij opus, p
sertim in his subtilibus artibus tradendis, m
uerò conscius sim meæ imbecillitatis, non ambi
hunc locum, diuq; repugnaui præceptoribus
stris, hortantibus, ut elementa harum artium,
quibus me mediocriter exercui, publicè trade
præsertim hoc tempore, cum altera Mathema-
ca lect

ea lectio interitu uiri doctißimi Ioannis Volmarij conticuißet. Atq; illi quidem petebant, ut hac in re non solùm amicitiæ ipsorum rationem haberem, sed etiam utilitatis adolescentium, quia magnopere prodest hæc elementa in scholis assiduè inculcari & exerceri. Vicit igitur cùm auctoritas præceptorum, tum uerò etiam uoluntas eorum optima erga rem literariam. Videbam enim eos non aliquo priuato studio deferre mihi hoc munus, sed ut adolescentibus consulerent, & quantum possent, eos ad has artes, quæ sunt ueræ Philosophiæ initia, inuitarent.

Quare cùm meam operam deesse Reip. et adolescentiũ utilitati nollẽ, perpulerunt tandẽ, ut polliterer me periculum facturum esse. Quare peto à uobis, ut me hac officij ratione, non arrogantiæ aut ingenij fiducia in publicum prodijsse existimetis. Minus autem pœnitebit me facilitatis meæ, si cognouero etiam frequentiã uestrã et diligentiam respondere optimæ uoluntati præceptorum, qui uestræ utilitatis causa mihi hanc personam imposuerunt. Qua in re, erit etiam prudentiæ atq; humanitatis uestræ, meam operam boni consulere. Nam quod ad præcepta ipsa tradenda attinet, spero me uobis satis facturum esse. Si quid autem uel in oratione mea, uel in actione disiderabitis,

ueniam mihi dari peto. Agnosco enim me impe-
ri pudore ac metu, ac ne natura quidem ad scen-
cam actionem aptum esse. Sed propter hæc incom-
moda fastidire has artes, et studia earum abijcere,
ingenij est plus satis delicati et morosi, si tamen
professor est sui generis artifex. Ego uerò est mi-
hi nihil arrogo, tamē ea fide et diligētia tradā hæc
præcepta, ut spērem, posse percipi atq; intellig.

Exposui causam, quare in publicū prodierim,
quæ me, ut spero, suspitione arrogantiæ apud bo-
nos et studiosos liberabit. Nunc dicam de meo cō
silio, uel potius de sententia nostrorum præcepto-
rum. Hi mihi iniunxerunt, ut tradam elementa
Arithmetices et Geometriæ, et quod natura horū
artium postulat, initium faciam ab Arithmetica.
Vtinam autem et autoritate et eloquētia tantum
ualerem, ut ad harum artium studia adolescentes
etiam excitare & accendere possem. Quid enim
optabilius esse docenti potest, quàm habere audi-
tores incensos & flagrantes discendi cupiditate?
Sed quia præceptores nostri quotidie scholasti-
cos ad has artes discēdas hortātur, et manifestaq;
earū utilitas, spero plerosq; præditos liberalibus
ingenijs, satis ad hæc studia colenda incitatos esse.

De Pallade Græcorum fabula.

Græci narrant fabulam de Pallade, quæ cum
ei tibias recens inuentas Mercurius donasset, ea
bulas

bulans ad flumẽ, cœpit inflare tibiam. Etsi autem demulcebatur sono, tamẽ cùm in aquis uideret faciem ridiculè deformari, inflatis genis, statim abiecit tibias. Has satyri, qui capti nouitate soni accurrerãt, abiectas statim excipiunt: Ita tibiæ spretæ à Pallade, cœperũt Satyris in delicijs esse. Ad hunc modum sinamus sanè ingenia illiberalia delectari alijs agrestibus artibus, aut potius quædam fragmenta artiũ circumferre, seu quæstus causa, seu ut popularem opinionem colligãt. Sed honesti ingenij est, nihil amare ardẽtius quàm ueritatẽ, et hac cupiditate incẽsum, expetere solidã doctrinã de uniuersa natura, de religionibus, de motibus et effectibus cœlestibus, de causis mutationum, nõ solum animantiũ, sed etiã ciuitatũ et imperiorũ, de fontibus honestorũ officiorũ, et hoc genus alijs. Si huius perfectæ doctrinæ admiratione atq; amore tenemur, profecto etiã cõplecti hæc elementa debemus de numeris & mensuris, quæ aditum patefaciũt ad cæteras Philosophiæ partes, quanquã per seq; multum habẽt et dignitatis et utilitatis:

Videte enim quàm latè pateat usus Arithmeticæ in œconomia, et in Repub. Aristoteles scribit, Thraces quosdam esse, qui numerando non possunt progredi ultra quatuor: Quæso te, an talibus putes commendandam esse gubernationem, Vsus Arithmeticæ.

non dico magni mercatus, aut uenarum metallo-
rum, sed alicuius mediocris œconomiæ? Exis-
mus nc à talibus posse rationes paululum multi
intricatas euolui & explicari? Nequaquam. Sic
Thraces. horum Thracum similes sunt in magnis ratioci-
bus & obscuris omnes, qui destituti sunt huius a-
tis præsidio. Nec solum in mercatu, in metallis,
in cudenda moneta, sed in multis alijs publicis &
priuatis rebus cõputandis, arte ipsa opus est. Qui
uersantur in Rep. ærarij rationes nosse debent, sa-
pe in iudicijs quæstiones incidunt, quæ requirunt
eruditam computationem. Ideo non satis est nos-
numeros naturæ beneficio, sed ars addenda est,
ne qua nullæ difficiles rationes explicari cer-
possunt. Quare Socrates apud Platonem in leg-
bus etiam hanc tulit, ut ciues cogantur discere
rithmeticã. Sed quid attinet de re nota prolixi
dicere? Nemo enim non uidet in omni uita ma-
mũ usum esse Arithmetices, nisi sit stolidior Thra-
censibus illis, qui non norant numerare amplius
quatuor. Atq; hæ uulgares utilitates inuitare pu-
riter omnes adolescentes ad hanc artẽ discendam
et exercendam debebant: Multi enim incidere ca-
sus possunt, ubi singulis magno usui Arithmeti-
esse potest. Proinde et Romanis magnæ curæ fu-
Romani. ut liberi eorũ cum primis literis etiam Arithme-

ten perciperent. Meministis enim uersus Horatij:

Romani pueri longis rationibus assem
Discunt in partes centum diducere, dicat
Filius Albini, si de quincunce remota est
Uncia, quid superat?

Multiplex etiã Geometriæ utilitas est, non solum in ædificatione, in metiẽdis uasis, sed etiã uiro politico in cosmographia, in locorũ interuallis intelligẽdis. Sed discedo ab his uulgaribus utilitatibus.

Hi qui in studijs uersantur, & perfectam doctrinam expetunt, illam sibi utilitatẽ proponant, quod ad doctrinam de rebus cœlestibus nullus aditus patet, nisi per Arithmeticam & Geometriam. Et quidem tanta uis est Arithmetices in doctrina de rebus cœlestibus, ut mediocri Arithmetico penè omnia in doctrina rerum cœlestium sint peruia: Certè magnam partem eius doctrinæ, sine ullo negocio assequi potest. Iam uide quàm exiguo labore, quantum precium operæ possis facere. Nihil facilius est, quàm has ut uocant, species in arte numerandi discere. His mediocriter cognitis, propemodum tota Astronomia statim percipi sine ulla difficultate potest.

Mediocris Arithmetices.

Plato in Phedro fingit duplices animas, quarum alteras ait alatas esse, alteris, inquit, decidisse alas. Porrò alatas ait uolitare in cœlum, fru-

Duplices animæ Platonis.

Alatæ. entes congressu colloquioq; Dei, et pulcherrimo spectaculo cursuum cœlestium, et considerare causas omnium mutationum in inferiore natura, in aëre, in animantium corporibus, in hominum ingeniis, moribus, in uarijs imperiorum & ciuitatum casibus. Atq; hæ animæ toto uolitantes cœlo, captæ pulchritudine diuinarum rerũ, & illius admirandi ordinis, et suauitate doctrinæ et uirtutis, hac una uoluptate perpetuò frui cupiunt, quæ onerant animos obscœnis uoluptatibus, quæ perturbant harmoniam uirtutis in animis, & obiiciunt caliginem, ne cœlestia aspicere possint. Nudæ. illæ animæ, quibus alæ deciderunt, humi repuntur, & querunt uoluptates impuras ex rebus terrenis, nec enim illam pulcherrimam lucem rerum cœlestium aspiciunt. Etsi autem Plato dixit intelligit heroicos impetus ingeniorum, tamen non illi quidem impetus soli animos subuehunt, sed opus est etiam artibus, quibus illi ipsi impetus tollantur. Sunt igitur alæ mentis humanæ, Arithmetica & Geometria. Has si alligauerit sibi aliquis præditus ingenio non sordido, facillimè penetrabit in cœlum, ac liberè in cœlestium cœtum Alæ mentis humanæ. gabitur, & illa luce ac sapientia fruetur.

Quare illi qui sunt ingenijs non monstrosis præditi, & res optimas maximeq; admirandas, & cognitione

tognitione dignas aſpicere cupiunt, has alas ſibi addant, uidelicet, Arithmeticen & Geometriam. Harum ope ſublati in cœlum, luſtrare oculis uniuerſam rerum naturam, cernere ſpacia metasq; maximorum corporum, uidere ſyderum fatales congreſſus, deniq; cauſas rerum maximarum, quæ in hac hominum uita accidunt, animaduerte re poteritis. Exiſtimo generoſas mentes hac tãta utilitate capi, & incitari poſſe ad has artes diſcendas, & amandas. Scio enim uobis quidẽ ſatis perſuaſum eſſe, magnam dignitatem & utilitatẽ eſſe doctrinæ de rebus cœleſtibus, uosq;, ut decet, auribus atq; animis abhorrere ab Epicurei deliramentis, qui deridet Aſtronomiam, & ſomniat Solem eſſe uaporem, qui mane accendatur motu, poſtea aut deflagret, aut in aqua extinguatur: Ita et ſtellas eſſe nubeculas caſu incenſas. Hæc portenta pro ueris affirmare homine indignum eſt, nedum Philoſopho. Nulla tam barbara gens fuit, quæ nõ ſentiret, ſtellas eſſe certa et durabilia Dei opera, & certis legibus ferri, magnæ alicuius utilitatis cauſa. Quare contumelia eſt aduerſus deum, fingere hanc confuſionem rerum, Solem uaporem eſſe caſu inflammatum, & caſu ferri, ut Lucretius ait:

Epicurei ſunt ἄθεοι.

Quo cibus uocat atq; inuitat euntem

Flammea per cœlum pascentem corpora ſi-
ſim. Plus ualeat apud nos autoritas cum doctis-
morum hominum, qui hæc deliramenta grauiſ-
mis argumentis confutarunt, tum uerò etiam di-
na oracula in ſacris literis, à quibus diſſentire
pietas eſt. Hæ clarè teſtantur, Solem, Lunam
reliqua ſydera eſſe certa & durabilia Dei ope-
ra, & addunt ſacræ literæ, cuius utilitatis cau-
ſa, lumina cœleſtia condita ſint: Erunt ſigna
diſcernent tempora & annos. Hæc deſcriptio
ſi breuis eſt, tamen res magnas complectitur,
Aſtronomiæ ſtudium approbat. Nam ut re-
quas partes omittam, ſi Sol ideo conditus eſt,
annum conficiat & gubernet, neceſſaria eſt
ſeruatio curſus Solis. Nam ſine obſeruatione
tus, nulla ſunt temporum atq; annorum diſcri-
na. Quare non obſcurum eſt, et approbari à
et præcipi obſeruationem cœleſtium motũ. Si
putemus eſſe leues cauſas, quare nos ad hanc
ctrinam hortetur etiam diuina autoritas. Na
præterquam quod utilitates magnas affert, ad
munem uitam, etiam monet nos hic pulche
mus ordo motuum, hanc naturam non extitiſſe
ſu, ſed ab æterna mente ortam eſſe, et guberna
Proindeualde confirmat in animis honeſtas o
niones de Deo, & de prouidentia. Itaq; ex

Autoritas diuina.

sophis soli Epicurei fuerunt ἄθεοι, quia hæc illustria de Deo testimonia, uidelicet, certissimas motuum leges, & mirabilem harmoniam aspicere noluerunt. Decet igitur bona ingenia hanc honestissimam doctrinam amare, & quantum fieri potest, aliquid operæ in tantarum rerum inquisitionem collocare. Ac facile multa percipient hi, qui mediocriter in Arithmetica exercitati sunt.

Redeo igitur ad Arithmeticen, quoniam de ea præcipuè dicere cœperam. Postquã autem utilitates commemoraui, quæ quidẽ minimè sunt obscure, breuiter aliquid adijciendum putaui de facilitate. Scio deterreri adolescentes ab his artibus opinione difficultatis. Sed quod attinet ad initia Arithmetices, quæ in scholis tradi solẽt, et quæ ad quotidianum usum conferuntur, uehementer errãt, si hæc putant admodum difficilia esse. Ars oritur ex natura ipsa mentis humanæ, et habet certissimas demonstrationes. Quare initia nec obscura, nec difficilia esse possunt, imò priora præcepta adeo perspicua sunt, ut pueri etiam ea possint assequi, quia tota res à natura oritur. Deinde multiplicationis, et diuisionis præcepta aliquanto plus requirunt diligentiæ, sed tamen causæ citò perspici possunt ab attentis. Exercitationem & usum

3. Facile.

Multiplicatio & diuisio.

& usum requirit hæc ars, ut aliæ omnes. Est enim uerissimum, quod ait Anaxagoras: Manum esse causam sapientiæ, significans sine exercitatione, & experientia non posse artes recte percipi. Deinde si cubi est aliquid difficultatis, meminerit nullam esse artem, quæ nihil habeat difficultatis. Et erratis profecto, si styli exercitium puertatis facilius esse, quàm hæc initia Arithmetica.

Scholæ officinæ diligentiæ.

Nec scholæ sunt eo conditæ atq; constitutæ, ut ingnauis otium ad perfruendas ineptas uoluptates concedatur, sed requirunt studia, curam & acrem animorum contentionẽ. Nec uerò nego multa ab Arithmeticis quæsita, & animaduersa esse quæ procul recedunt à captu imperitorum: nam artes omnes agitatione crescunt. Sed ego loquor de his initijs, quæ et uobis tradi solent, et ad usum conferuntur. Quare adolescentes abijciant opinionem difficultatis, & magno animo, & quadam cum spe ad hanc artem discendam accedant: quod si facient, deinde & rerum suauitas delectabit eos, & sentient ipsa rerum serie difficultatem minui. Exposui quæ utilitates præcipuè petendæ sint ex Arithmetica, Dixi etiam de facilitate. Reliquæ sunt aliæ utilitates, sed obscuriores, de quibus non multa dicam. Verissimum est, cæteras artes facilius percipi, cognita Arithmetica. Est

nim Arithmetica intra primas artes, quæ docet dijudicare, ac distribuere unum & multa: ostendit ordinem rerum, & monet confusa euoluenda et discernenda esse. Hæc sunt initia ratiocinationis in hominibus. Ideò prima est numerorum intelligentia, idq; sensisse opinor Pythagoram, cum definiuit, mentem esse numerũ: significauit enim animam esse ratiocinatricem, quæ discernit res et ordinem animaduertit. Hæc sunt maximè propria menti, et sunt primæ mẽtis functiones. Qua reapte definiuit, mentem esse numerum, uidelicet, numerantem. Hæc causa est, cur & ueteres Græci post Grãmaticen mox tradiderint Arithmeticen, deinde tertio loco proponebant Dialecticen, quarto Geometriam. Videbant enim Dialecticen, initia sumere ab Arithmetica, & exercitatio multiplicationis et diuisionis, optimè præparat ingenia ad Syllogismos. Item uis demonstrationũ melius intelligi potest, cognita Arithmetica, quia hæc habet maximè illustres demonstrationes. Præterea multi loci in autoribus occurrunt, qui sine hac arte non possunt intelligi. Pythagorici figuratè usi sunt uocabulis Arithmeticis, eaque transtulerunt ad Physicam, & ad moralem Philosophiam: Sic enim Pythagoras Deum definiuit: Deus est excessus maximi numerorum

Prima artium Arithmetica.

Quo ordine tradiderint artes ueteres.

rorum ſupra proximum numerum. Ita uolu
gnificare, Deum eſſe unum, & quidem ſumma
naturam. Nam denarium intelligit maximum n
merum, huic proximus eſt nouenarius. Exce
ſupra nouenarium eſt unitas: Hoc modo inuolu
runt numeris totam Philoſophiam: Etſi autem
melius eſt artes propriè tradere, & non inuolu
re totas figuris, et ænigmatibus, tamen interd
etiam alij Philoſophi, qui perſpicuè Philoſophi
tradere uoluerunt, adhibent exempla Arithm
Plato. ca, quæ non intelligere turpe eſt. Plato cum d
cit, mutari Reſpub. propter cœleſtes cauſas, q
certas uiciſſitudines rerum efficiunt in ciuita
bus & imperijs, inquit: Quemadmodum reſp
natura in uocibus, cum ſeſquitertius fundus
gitur quinario, id eſt, cum διὰ τεσσάρων adiu
διὰ πέντε, hoc eſt, cum completa eſt harmo
διὰ πασῶν. Ita cum circumacta eſt imperiora
periodus, ruunt & mutantur Reſpub. Adiecit
cauſam hanc, quia cum plani cubi complentur
ſolidos uſq;, nec enim natura ulterius progre
tur, multi diſſimiles numeri procreantur: Ita d
generes ciues, qui tamen potiuntur Repub. c
præſtantioribus orti, euertunt Reſpub. paulat
uſq; ad periodum. Hic ne uocabula quidem int
liguntur ſine Arithmetica. Sed hæ utilitates

tiores sunt, illæ sunt magnæ, quas supra recensui: Quod cum in multis alijs uitæ negocijs hac arte opus sit, tum uerò sine ea ad illam præstantissimam Philosophiæ partem de rebus cœlestibus, nullus pateat aditus. Hæc magna & grauis causa est, quæ accendere generosas naturas ad hanc artem debet, quia qui expetunt solidam doctrinam, et magnis uiris dignam, omnibus ingenij uiribus contendere debent, ut ad cæteras communes disciplinas illam partem de motibus & effectibus cœlestibus adiungant. Hunc uirum qui uniuersam Philosophiam animo cõplexus, arcanas causas plurimarum mutationum in natura, et hominum uita, et fontes uirtutis, & honestorum officiorum intelligit, rectè beatũ dixerimus, sicut & Virgilius sapientissimè dixit:

Fœlix qui potuit rerum cognoscere causas.

DIXI.

Oratio

ORATIO IACOBI MILICHII de Dialectica, habita in promotione Magistrorum, Anno 1528.

CVm scholæ consuetudo vobis nota sit, non arbitrabor mihi opus esse longa deprecatione, cur huc ad dicendum accesserim. Imponit mihi dicendi necessitatem mos publicus, cui si nolim obsequi, non satis intelligere uidear, quid ad boni uiri officium pertineat. Atq; utinam quoniam non leuiter scepi hoc officium priuato consilio, sed legibus & institutis sapientissimorum hominum, qui nobis per manus hunc morem tradiderunt, constarem. Plus autoritatis ad uos oratio mea haberet, quo facilius id quod uolo, persuadere uobis possem. Verum est illud ueteris Poëtæ, Eadem oratio alii obscuro, & nobili dicta, non idem ualet. Vos autem iudicabitis hanc non tam meam, quàm totius Senatus Academiæ, imò legum uocem esse.

Est enim mihi dicendum de ratione ac uia discendi, ac pernicioſus quorundam error castigandus, qui ordinem in discendo peruertũt, quam non profectò & omnium præceptorum uestrorum & multorum doctorum hominum sententia, quos

querela potius, mea tanquã præconis uoce uobis exponenda est. Scitis gradus quos uocant, à ueteribus institutos esse, ut præceptores de studijs iuuentutis certis temporibus periculũ facerent, et ut iudicio præceptorum hi, quorũ profectus probabatur, in alias classes traducerentur. Nos itaq; dum hoc tempore horum adolescentium, quibus magisterij titulũ concedemus, studia cognoscimus, animaduertimus magnam iuuentutis partem, sine ratione atq; ordine in literis uersari. Vetus hæc multorum bonorum uirorum querela est, sed quoniam hoc tempore uelut in re præsenti uidi, quàm inutiliter discant quidam, uehementer dolui uicẽ uestram, quare duxi hoc in loco uos esse uel admonendos, uel etiam obiurgandos. Nam monuerunt uos hac de re antea sæpe præceptores uestri, sed nescio quo malo fato fiat, ut neq; autoritate illorum, neque uestræ utilitatis respectu moueamini. Quam enim utilitatẽ aut uos ipsi, aut Respub. ex hoc genere doctrinæ capiet, quod sequi soletis, in quo nulla solida ac firma eruditio inest, & ut de priuata utilitate non dicã, est enim liberalis ingenij, studia sua ad publicã utilitatem cõferre, quid expectare uel cõsilij, uel opis, Respub. ab istis potest, qui cum sine perfecta doctrina titulũ doctrinæ tamẽ habeant, quid aliud quàm purpuratæ si-

Gradus à ueteribus cur instituti.

Purpuratæ similæ

miæ dici queunt? De maximis rebus, de iure, religione prouocatur ad iudicium eorum, qui uocantur. Quid autem iudicabit de obscurissimis controuersijs is, qui nō penitus introspexit bonas artes, sed obiter degustauit eas fugiēs, utlut tamen è Nilo bibunt? Est igitur discēdi ratio talis inuenda, per quā carum artiū, ad quas contulimus studium, perfectā scientiam cōsequamur: Id ita fiet, si ordinem quendā in discēdo seruabitis. Praclarè dixit Xenophon in Oeconomico, nihil ordine neq; honestius, neq; utilius esse. Cuius sententiæ cum in omnibus alijs rebus experimur, tum maximè in studijs literarum. Vide enim quantum post postera discēdi ratio habeat incōmodi: Prius Dialecticē, et alia Philosophiæ elementa: Hic primè, ut Cicero inquit, claudi more pilā tenent. Deinde ctare eas artes, in quibus uersantur, nullo modo possunt, nusquā artium fontes peruidere, non quæ cohæreant, quæ dissentiant inter se cernunt. Et cum prodeunt in publicum, et doctrinæ opinionem magnificā secum adferunt, hic primùm deprehenduntur, hic insciti am produnt, si quid est disputandum, non uident ubi sit, si quid est partiendum, omnia unus puluis, si quod nectendū argumentum, quàm monstrosa forma syllogismi fit: si quod e-

Ordo in studijs

gumentū

gumentum dissoluendum est, ibi uerò, nisi sola se impudentia tueantur, abiecto clypeo fugiunt. Hic primùm pœnitet eos neglectæ Dialectices, quæ cùm sit ars, ut Plato ait, tradendi & accipiendi sermones, unà tradit uiam & rectè discendi & perspicuè docendi, nulla sine hoc instrumento ars penitus cognosci aut percipi potest. Nihil igitur isti, nisi histriones meri sunt, qui artē ullā profiteri, nisi Dialecticen teneant, audent. Plato in Repub. spurios Philosophos adpellat eos, qui sine Dialectica, satis facere se alijs artibus existimabant, quare sicut spurijs non licet hæreditatem petere, ita procul ab omnium literarum tractatione prætorio aliquo edicto submoueri debebant illi, qui ante irrumpunt in alias disciplinas, quàm hanc artem perceperint. Quidam perlectis præceptis artis, statim se artem tenere putant, qui longissimè falluntur. Vsus quidem adhibendus est, in quo præcepta experiantur, ut discant quomodo arte utendum sit. Sicut non statim pictor est, qui Durerum pingentem uidit, nec Cytharœdus, qui uidit Adolphum eruditissimè tangentem fides: ita non putet se Dialecticen callere is, qui nihil scripsit, non disputauit, deniq; qui artem non exercuit. Quæ noua est hæc ingeniij fiducia, arrogare sibi scientiam artis, cuius

Definitio Platonis.

Philosophi spurii qui sunt.

Vsus.

nullum habẽt uſum? Porrò cùm in omni genere tium conſuetudo dominatur, ſic enim ait Poëta

Solus & artifices qui facit uſus erit.

Non exercitati ſunt ueluti mutæ chartæ.

tum maximã in Dialectica uim habet. Libros mihi ſimiles iſti uidentur, qui præceptis quæ continent, uti nequeunt, nã cùm cauſam aliquã accepturunt explicandam, nihilo magis ad illã adhibere præcepta, quàm mutæ chartæ poſſunt. Proinde quis utiliter uerſari in alijs diſciplinis uolet, ipſe tiatur ſe prius in his primis artibus exercere, et ad alias diſciplinas præparari, et tãtiſper cõmoretur in hoc genere ſtudiorũ, donec ante radices egerint earũ artium præcepta, quas tradimus, donec earum ſibi ἕξιν fecerit, ut quoties uſus poſcit, ſint ad manũ, ac uelut in numerato. Hæc eſt cõpendiaria et recta ad uerã eruditionẽ uia. Si quis captus

Canis Aeſopicus.

ſplendore aliarũ artium has præteruolat, ut quæ nõ magnopere oſtentari queant, huic planè hoc accidit, quod cani Aeſopico, qui dum umbrã carnis, quod ea maior adpareat, captat, ueras amiſit ipſe: quia niſi attulerit ad alias artes hoc quod dixi inſtrumentum, fortaſſis aliquam doctrinæ umbram, ſolidam uerò doctrinam non conſequetur.

Elementa Philoſophiæ.

Dixi hactenus de Dialectica, quia omnium maximè neceſſariã eſſe iudico. Porrò quid reliquæ partes philoſophiæ habeãt utilitatis, ex eo facile

telligi potest, cũ Medicina & Iurisconsultorum literæ, sint quædã uelut absolutio et exædificatio Philosophiæ, quod gradus ad illas artes per hæc prima elemẽta faciendus sit. Hippocrates scribit alicubi, Medicum qui sit Philosophus, planè diuinum uirum esse. Idẽ profectò de scientia iuris etiã dici potest, quia fontes illarum artium atq; ortus & causæ ita demũ cerni possunt, si accesserit Philosophiæ scientia: adeò summis illis artibus addit Philosophia nõ modo lumen, sed etiam dignitatẽ.

Philosophia sacris literis collata lucem adfert.

Quanquã autẽ sacræ literæ nõ sumãt res à Philosophia, tamẽ quia sermonẽ à publica cõsuetudine mutuãtur, sine Dialectica et cognatis artibus, cõpositio sermonis cognosci nõ potest. Adhæc cũ neminem neq; plura, neq; meliora scire oporteat, quàm Theologũ, non conuenit eũ aliarũ artiũ rudẽ esse: ab hoc consiliũ de maximis rebus petitur: hẽc censurã nõ modò de priuatis moribus, sed etiã de publicis legibus agit, quas ad res mihi quidem uberior quædã et locupletior doctrina requiri uidetur, quàm uulgo putãt: de qua ut in præsentia nõ dicã, neq; enim est instituti nostri omnia persequi, tantũ hæc ad cõmonendos adolescentes dico: Quoties de hominis natura ac partibus Theologo dicendũ est? At eã rẽ clarius explicare poterit is, cui notæ sunt nostræ de rerum natura disputatio-

nes. Quantũ lucis adferet ſacris literis, qui Philoſophorum doctrinã de moribus cũ illis cõferet? oſtẽdet, quæ cõſentiant, quæ nõ cõſentiant. Egorò etiã neceſſarium eſſe iudico, oſtendere utrum doctrinæ genus, et interualla certa regione deſcribere, et fines eorum regere, ut Iurecõſulti loquuntur, ne poßit iterũ in Chriſtianæ doctrinæ poſſeſſionẽ Philoſophia irrũpere. Quod ſi feciſſent veteres, nõ uſq; adeò contaminata eſſet ante hac tempora doctrina Eccleſiaſtica? Quid quod etiã hiſtoriæ cognitione opus eſt Theologo, in qua ut tempora cõſentiant, iudicium ex motibus ſyderũ, et ex obſeruationibus ſumitur, quã ad rẽ quis nõ intelligit, quam artiũ ſciẽtia adhibẽda ſit? Proinde quid aliud dicã quã ὄνος ἄγων μυςήρια, qui cùm ſacrarum literarũ interpres perhiberi uelit, reliquas omnes diſciplinas aſpernatur: Quare ut finiam, adhortor uos adoleſcentes, ut iuſtam operam collocetis in his primæ ætatis ſtudiis, ut ad reliquas diſciplinas inſtructiores accedatis. Quòd ſi dimidiũ facti qui bene cœpit habet, profecto et uos in ſuperiorum diſciplinis plus promouebitis, ſi rectè cœperitis, hoc eſt, ſi earũ literarũ, de quibus dico, ſcientiã attuleritis. Hæc quanquã ſedulo præceptores ueſtri monẽt, tamen et ego, quia ita ferebat ſtudium, iudicaui uobis in memoriã eſſe redigenda. Dixi.

Nunc

NECESSARIAS ESSE AD OMNE STUDIORUM GENUS ARTES DICENDI, Phil. Mel. Declamatio.

SIMONI GRYNEO SUO PHILIPPUS Mel. S. D.

Vsu comperimus, eam esse optimarum rerũ conditionẽ, ut uulgo ferè fastidiantur. Nam cum literis nihil neq; melius, neq; pulchrius habeant humana, tamen uix paucos, diuino haud dubiè beneficio nuper restitutæ, admiratione sui cœpêre. Etenim quod Pindarus optimã rerum aquam et pulcherrimam possessionem aurum esse cecinit, nec ille, nisi multitudinis auribus inseruisset, rebus omnibus literas antetulisset, Neq; enim quidquam est, cuius uel usus latius pateat, uel dignitas harum amplitudinẽ superet. At ea est uulgi amẽtia, ut nõ aliud perinde contemnat, atq; elegantiorum literaturam: eamq; cùm uiderẽ hoc potissimũ tempore nostris sordere, breui declamatione laudaui. Instituera equidem pro eo ac res merebatur ἐπιδεικτικῶς copiosiorem. Sed cùm immorari non liceret, malui qualicunq; oratione reuocare in uiam studiosos, quàm causam literarum, ut græce

Artes uulgo negliguntur.

dicam διαγράφειν. Planeq; accidit, ut cùm amphora, iuxta Poëtam, instituí cœpisset, currente rota urceus exierit. Verùm quidquid hoc est operis, tibi, mi Simon, propter incredibilem amorem tuum erga meliores disciplinas, dedicare uisum est, ut uel tuo exemplo nonnullos ad literarum studium inuitem. Vale. Vitemberge.

Horatius.

DE STVDIO ARTIVM Dicendi Declamatio Phil. Mel.

QVemadmodum Hesiodus inquit, nescire mortales, quantum & Malua & Asphodelus adferre commodi rebus humanis queant, tametsi uilissimæ herbæ, ita nos quoq; nostro hoc uno nunc primùm querimur ignorare adolescentes, quantum momenti habeant ad solidam eruditionem parandam dicendi artes, quæ in speciem nihil profitentur eiusmodi, cui uulgus adplaudat, cæterum utilitate facilè reliquas humanas omnes uicerint. Neq; enim usquam quidquam est in tota rerum uniuersitate, unde ad mortales ampliora commoda, quàm ex hoc artium genere redeant. Sed cùm earum precium iuuentus ignoret, fit, ut plerisque sordeant, minimeq;

ἀπὸ ὁμοίου
à simili.

minimeq; dignæ iudicentur, quibus discendis operam nauent. Præclarum est Philosophum dici: magnificum Iuris consultum audire: Theologi nomine, nihil hoc tempore ad uulgus plausibilius est, dicendi artium, tanquam Megarensium, nulla ratio habetur. Propterea uisum est hoc loco ostendere, quæ res maximè nobis earum studium commendare debeant. Atq; hic mihi uel Pericleam uim optarim, dum stultam iuuentutem in uiam reuocare contendo, quæ elegantiorem literaturam partim errore contemnit, quod ad reliquas disciplinas comparandas inutilem esse censet, partim inertia fugit. Est enim & literarum, perinde atq; aliarum bonarum rerum ea natura, ut sine summo labore nemini contingant. Notum enim illud est: Difficilia esse, quæ pulchra sunt. Quanquam qui rationem subduxerit, quantulo negocio, quantum lucri faciat, qui commodorum magnitudinem ob oculos posuerit, hunc nullæ res quantumuis duræ, ab harum artium studio deterruerint, quas, nisi cognoris, ne dici quidem potest, quàm infœliciter reliquas disciplinas tractaturus sis. Proinde æquis animis audite, quæ mentiones adduxerint, cur elegantiorem literaturam rebus humanis planè necessariam esse iudicem. Primum, nemo tam uecors est, qui non uide-

Propositio.

Argumentum à definitione.

at nobis certa quadam loquendi ratione opus ſe, qua dilucidè explicemus animorum noſtrorum ſenſa, quacunq; de re uel publicè, uel priuatim gendum eſt. Fortaſſe ridiculum fuerit hìc diſputare, quàm neceſſarius homini ſermo ſit. Nam qui literas contemnunt, neutiquam uideri uolunt homini ſermonem adimere, ſed orationis cultum aſpernantur. Proinde quantum referat, certam loquendi rationem teneri, paucis indicabimus. Ni qui recte rem æſtimare uolet, is intelliget, non ta multum intereſſe, mutus ſis planè, an artem dicendum non adhibeas. Neq; enim fieri poteſt, ut quæ ſentis, ſic exponas, ut intelligi queant, ni arte loquendi facultatem et pares et confirmes. Vſu enim compererunt prudentes uiri, nihil eſſe difficilius, quàm dilucidè ac perſpicuè de re quapiã dicere. Primum enim, niſi uim pondusq; uerborum dicendo tueare orationem tuam, qui adſequetur auditor? Nã cum uſu, uelut numi, uocabula probentur, receptis utendum eſt, quæ, quis eloquentes homines, quaſi per manus poſteris tradidere, obſcuritate uacãt. Superiore ſeculo cum ſua ſibi quiſq; uerba cuderet, & peregrina Latinis miſcerentur, eiuſmodi conflata eſt oratio, quæ ne illius quidem ætatis hominibus intelligi poſſit. Tantum abeſt, ut poſteritas adſequatur. Quin

Vocabula uſu ut nummi probantur.

nim Scotum, aut huius farinæ alium scriptorem hoc tempore intelligat? Deinde uix exercatissimi præstiterint, necubi structuram orationis ac phrasin uiolent: quæ si uitiata fuerit, necesse est orationem obscuriorem reddi. At hic quàm multa efferunt impropriè etiam eruditi? Quoties absurdis, ac ineptis metaphoris sermonem obscurant? Quis enim Apuleium, & huius simias ferat? Sed rectè Apuleius, qui cum asinum repræsentaret, rudere quàm loqui maluit. Postremò, ut uerba phrasimq; satis noris, difficilimum tamen est, suo quæq; loco distribuere, alia deprimere, alia attollere, quædam breuiter adstringere, aliàs euagari liberius, quædam dissimulare ac tegere, alia promere, ut tanquam inter umbras lumina extent ac emineant.

Scotus.

Apuleius.

Est enim eloquentia omnino amplius quiddam, quàm tumultuaria uerborum congeries. Verùm uideo errore labi iuuentutem, quæ cum nesciat Eloquentiæ cum uim tum naturam, non arbitratur precium aliquod operæ fore, curam sibi maiore studio contentioneq; paret, & laudari à nobis professorculis putat uulgari more, quemadmodum sua unguenta solent Pharmacopolæ: nec optimorum prudentissimorumq; hominum Autoritate commouetur, qui ad illius

Eloquentia.

illius ſtudium una uoce aduleſcentes, & communi claſsico inuitant. Miſeram hominum conditionem, quando, ut quæq; res optima eſt, ita longiſsime à conſpectu noſtro receſsit, minimeq; agnoſcitur. Nec dubitarim ego, quin ſi oculis cerni poſſet eloquentiæ dignitas, mirabiles, ut ille ait, amores ſui excitaret. Sed cum caſu iuuentus, non ratione uiuat, temerario quodam impetu aduolabitur, quæ uulgo maximè celebrantur. Quæ ſi quis eſt non imprudens rerum æſtimator, is apud ſe expendat, primum nihil eſſe, cuius uſus latius pateat, quàm ſermonis commoda. Omnis hominum ſocietas, ratio uitæ inſtituendæ publicè ac priuatim, conquirendorumq; omnium, quibus uitam tuemur, deniq; commercia omnia ſermone continentur. Deinde perſuadeat ſibi, neminem adpoſitè, ac dilucidè de ulla re dicturum eſſe, niſi qui arte quadam, imitationeq; optimorum & magna cura orationem ea lingua, qua publicè utimur, formarit. Quod ubi animaduerterit, haud dubiè nihil prius, nihil antiquius habebit diſcendis loquendi artibus. Siue enim conſilio alij iuuandi ſunt, ſiue docendi, ſiue tuendum eſt dogma aliquod, ſiue de iure, æquo ac bono diſſerendum eſt, nihilo plus efficias, quàm in ſcænis muti perſonæ ſolent, niſi arte elaboratam orationem attulerit.

attuleris, quæ res obscuras tanquam in lumine collocet. Non ignoro esse, qui elegantiam à recte loquendi ratione separant, nec referre putant, modò rem indicent, qualicunq; oratione utantur. Quod si rem propius inspexissent, neutiquam ad sciticiũ, & superuacaneum ab eloquentiæ professoribus fucum requiri iudicarent. Ipsa orationis puritas, natiuaq; facies elegantia est, quam nisi tueare, non modò non uenustè aut inquinatè, sed improprie, obscurè, ac ineptè dixeris: Et quēadmodum in fingendis corporibus ea demum elegantia est, ubi iusta proportione membra omnia inter se consentiunt, si quid secus facias, monstrosum erit, ita cum germanam orationis speciem noua compositione deformaueris, monstrosam planè, ac ineptam facies. Picus in Epistola, qua barbaris Philosophiæ scriptoribus patrocinatur, ludens, credo in ἀδόξῳ argumento, et elegantiam à rectè dicendi ratione separat, & explicari res qualicunq; oratione posse censet. Huic equidem nihil succenseo, qui barbariem non magis ex animi sententia tuetur, quàm febrim Fauorinus laudabat. Hoc miror, esse quibus tam friuole argutiæ seriò persuaserint, nihil referre, quomodo loquamur. An uerò rectè corpus imitabitur pictor, si nulla ratione penicillum regat, si temerè

Occupatio.

Picus.

merè feratur manus, nec ducantur arte lineæ? Ad eum modum nec animi tui sententiam alijs oculos posueris, ni proprijs & illustribus uerborum apta uocum compositione, iusto sententiarum ordine utâre. Nam perinde atq; corpora coloribus, animi sententiam oratione repræsentamus. Quare necesse est dicendo certam aliquam imaginem arte concipi, quæ discernat inter se tanquam membra sententiarum. Flagitium est, si quis uiæ ignaro deuiam semitam monstret. At qui rectè dicendi cura uacant, quoties lectorem à uia abducunt? quoties unius uerbi abusu ludificantur? Non parum impositum est in Philosophia in sacris literis soloecismi nostris interpretibus. Quis enim omnium Pauli sententiam in Corinthijs adsecutus est, ubi Grilli isti elegantiæ contemptores, uerterunt: Ex multis facierum personis, &c. Quæ Augustinum tempestas aufert, quò minus propositum teneat, in enarrando eo quod est apud Ioannem, τὴν ἀρχὴν ὅ τι καὶ λαλῶ ὑμῖν. Hoc genus extat innumera passim, ubi mediocriter etiam eruditos barbarismi fefellerunt. Adeò non quouis orationis genere Lectori satis feceris, sed cura, studioq; paranda facultas est, qua animi tui sententiam perspicuè aliorum oculis subijcere possis. Omniáq; commodè, quæ res poscit, eloqui: id

Soloecismi interpretũ scripturę

enim eleganter dicere. Quin igitur helleborum propinamus ijs, qui uenustatem orationis fastidiunt, adeo à communi hominum sensu alienis, ut ne quidem, quid loqui sit, intelligant. Peperit elegantiam necessitas, quod et barbara omnia incerta sunt, & quæ oratorijs ornamentis illustrata sunt, clarius percipiuntur. Nam in hunc usum adhiberi schemata Fabius scripsit, neque unquam ueram speciem ab utilitate rectè diuidi sentit. In sacris libris, ut interim prophanos omittam, quid quæso desideras Rhetoricorum schematum. At his opinor non usuri erant Prophetæ, si nihil ad rem facere iudicassent. Videtis qua ratione uobis eloquentiæ studia commendem, quod nec exponere, quæ uolumus ipsi, nec quæ à maioribus rectè scripta extant, intelligere possimus, nisi certam dicendi normam perdidicerimus. Equidem non uideo, quomodo alijs hominum uice futuri sint, qui nec quæ sentiunt, explicare, nec quod rectè dicitur, adsequi queunt.

Quare ut nulla sit eloquentiæ dignitas, nulla gratia, tamen ea uis est, ut non igni, non aëre, ut aiunt, non aqua pluribus in locis utamur. Quomodo enim consistant res humanæ, si legum sacrarum & prophanarum Patrocinium Eloquentia deserat, si nec publicis, nec priuatis

Sine eloquentia res humanæ non consistunt.

priuatis consilijs oratio quæ intelligi possit, de
hibeatur, si res gestæ nullis literis ad posteri
transmitti queant? Ecquod uestigium humanita
tis in tali Republica reliquum fuerit? Porrò a
hac quantulum distabat ætas superior? quum sa
crorum librorum sermonem propè nemo iam in
telligeret, quotidieq; stultorum Sophistarum ca
bitrio figerentur, ac refigerentur sacræ lege
Res gestæ illorum temporum æternis obrutæ te
nebris iacent, nemo enim erat, qui eis literarum
lumen adhibere posset. Disciplinæ omnes diceni
genere sic obscuratæ sunt, ut ne Doctores quidem
ipsi, quid profiterentur satis compertum habe
rent. Digladiabantur inter se de figuris sermo
nis Philosophi, tanquam in tenebris Andabat
nec quisquam à domesticis suis planè intelligi
tur. Rectè ille Ἀνάχαρσις παρ' Ἀθηναίοις ἐλάλ
κίσειν, Ἀθηναίους δὲ παρὰ σκύθαις. At isti do
suæ ἐσολοίκιζον, suamq; singuli dialecton mi
libertate comminiscebantur. Iures eis uoluptat
fuisse, non aliter atq; Heraclito illi, cæteris mor
talibus tenebras offundere. Iam cum minimè ob
scurum sit, quanti nobis eloquentiæ contempt
constiterit, cur barbariem nõ abominabimur
quam nocentissimam pestem? cur non magno
sensu è scholis exibilamus? cur ipsi nobis tã
in

inuidemus eloquentiam, qua nihil melius, nihil amplius in terris hic sol uidit? Hactenus docuimus, quæ cogat necessitas certam dicendi rationem sectari ac tueri, quæ si quem parum mouet, ei uerò multò iustius asini auriculas Dij addiderint, quàm Midæ. Accedit huc non contemnendus studiorum eloquentiæ fructus, quod earum artium usu, quibus eloquentia continetur, excitantur, eruduntuŕq; ingenia, ut res humanas omnes prudẽtius despiciant, neq; propius umbra corpus adsectatur, quam eloquentiam comitatur prudentia. De rebus humanis adhuc loquor, de sacris posthac. Videbant inter se maiores nostri hæc duo: bene dicendi scientiam, et animi iudicium natura cohærere: quare & non inepti quidam orationem esse dixerunt, explicatam animi rationem. Et Homerus Poëta ijsdem eloquentiam ac prudentiam tribuit. Mitto iam alios. Vlyssi, cuius orationem hybernis niuibus comparat, utrunq; uno uersiculo adscribit, cum inquit:

Studiorum eloquẽtiæ fructus.

τοῖ δ' ἔνι μὲν μοσφὴ ἐπέων, ἔνι δὲ φρένες ἔσθλαὶ.

Nec tempero mihi, quo minus recenseam & Latinè ab erudito quodam expressum:

Mente uales, iuncta est facundis gratia dictis.

O diuinam sententiam, multoq; digniorem, quæ iuuenilibus pectoribus solicitè inseratur, quàm

d Delphica

Delphica aliquot scita. Quid enim spectabat ad optimus senex, quàm sic inter se copulatas prudentiam ac eloquentiam, ut diuelli nullo ne possint. Atq; utinam sibi omnes adolesc hunc uersiculum propositum putent, quor tanquam ad scopum omnia studia sua, ration dirigant, sentiantq; sibi omnem operam, cura industriam, cogitationem, mentem denig; omn in his artibus parandis figendam esse: quar Homerus haud dubie ob eam causam menti fecit, quod uideri omnium rerum humanarum sunt, & pulcherrimas & maximè utiles nob Quid in consilio fuisse censetis ueteribus lati cur dicendi artes humanitatem adpellarint? cabant illi nimirum harum disciplinarum non linguam tantum expoliri, sed & feritat barbariemq; ingeniorum corrigi. Nam cultu inde ac plerig; syluestrem indolem exuunt, ma fuescunt ingenia, cicuranturq;.

I. Lectio.

Duæ sunt autem causæ, cur rectè dicendi animi iudicium acuatur. Prior est, quod qui artibus operam dant, ad eiusmodi scriptorum exempla se cõparent, necesse est, qui in maxim bus gerendis, ac tractandis uersati, summam dentiam usu consecuti sunt, quorum commer fit, ut nonnihil iudicij contrahant Lectores, tanq

tanquam qui in sole ambulant, colorentur. Solet enim iuuenilibus ingenijs exemplar aliquod recte dicendi, sentiendiq; proponi, unde & uerborum uim, et orationis structurã, et explicandi figuras discant. Nam & dicendi rationem, perinde ac cæteras artes imitatio adiuuat. Neq; enim uerisimile est pingendi arti tantum ab Apelle uenustatis, gratiæq; adiici potuisse, nisi fingendorum lineamentorum rationem multò ante ostendissent ij, qui primùm, μονοχρώματα, deinde & κατάγραφα pinxerunt. Sic & ex optimis scriptoribus concipienda est certa quædam & dicendi & iudicandi ratio κατ' ἰδέα, quam sequaris, quacunq; de re differendum fuerit. Proinde qui disertos scriptores in manibus habent, secum expendant, quid in quouis potißimum mirari, laudare, imitariq; deceat. Primi omnium sunt, ad quos cognoscendos inuitatur iuuentus, Poëtæ ac Hiſtorici: quos qui uoluptatis tantum causa, perinde atq; in conuiuijs Cytharistrias accersunt, næ illi summorum hominum æstimationem grauiter lædunt. Nam & prodesse illi uoluêre, & bonas mentes optima potißimum delectant. Est ita ab illis & dicendi forma petenda, & obseruandum quid de communibus rebus uerè iudicauerint. Sæpe ridere soleo Græcorum Grammaticorum uulgus, Poëtæ

qui ad Physiologiam totum Homeri carmen
Quid in Homero obseruandũ
runt, mireq; sibi placent, cum noua metamorp
si belli nugatores ex Ioue æthera, ex Iunone a
rem faciunt, quæ ne per febrim quidem, unqua
somniaturus erat Homerus. Quanto satius fuer
ea ostendi, quæ ille lectoribus propriè admirabi
ri esse uoluit? proprietatem ac lucem in explica
do, carminis οἰκονομίαν, cùm uaria consilia, ue
rios casus miro ordine recenset, cùm aptas occa
ones nouis euentibus accommodat, quanta dexte
seruandi cura, quanta sit item uerborum ac sy
rarum copia, uarietasq; ijs locis, in quibus deor
Seditionis descriptio.
ri lectorẽ uolebat. Vides quàm minimè frigida
aut ieiuna seditionis descriptio, in secũdo Iliad
Nam et motus eius occasionem, et ipsum uulgi
rorem, & seditiosas quorundam conciones,
multitudini frigidam, quod aiunt, suffundebant
Therſitæ mores, morumq; argumentum, formam
duas item grauissimas eorum orationes, qui mu
tudinis animos sedabant, in quibus uehementia
est Vlyssea, lenior Nestorea. Bone Deus, qua
perspicuè, quàm grauiter tractat: nec rectè dixe
di archetypum facilè usquam reperias hoc loc
absolutiorem, cuius elegantiam uirtutesq; omn
is demum propius cernet, qui imitari & expri
re stylo conabitur. Caue enim putes Homerum
tam

temerè à M. Cicerone planè Oratorem uocari, aut inconsultè scripsisse Fabium, excellere hunc Poëtam Oratorijs omnibus uirtutibus. Iam quæ scena res humanas uerius repræsentauit, quàm Homeri carmen, ut fieri nequeat, quin obiter & rerum admiratione tangamur, quum dictionem consideramus. Offerunt sese ultro spectanda morum exempla. Principum uulgiq; affectus, uaria rerum gestarum consilia: quibus nisi eruditi animos Arcesilaus sensisset, nunquam amasium suum Homerum uocasset. Mihi quidem omnium quæ hominum ingenia perperêre, nullum prudentius Homerico scriptum extare uidetur. Nec dubitarim adfirmare, quod Horatius censuit, Homerũ, quid rectum, quid utile sit, melius Chrysippo & Crantore docere. Quæso qui potuit Regum temeritas frstiuius notari, quàm cùm fingit somnio commotum Agamemnonem, uniuersum exercitum Græcum in discrimen adducere? Consstat enim quàm ob friuolas causas nonnunquam omnia misceant Principes. Quid in Achyllis clypeo? nónne rerum elementa, et clarißima sydera, præterea horum positus etiam ac meatus graphicè descripsit, unde postea & Philosophi dimetiendi cœli rationem accepêre? Nam et eodem loco circumagi Arcton inquit, nec unquam occidere,

Optimus Orator Homerus.

Temeritas Principum.

Achyllis clypeus in quo syderum nomenclatura.

& è regione illi oppositum esse Orionis: quæ sententia bonam Astronomiæ partem complexus.

Pax. Bellum.

Quid, quod ibidem & pacis commoda et belli rumnas inter se confert, cùm duas urbes, alteram pace florentem, alteram bello uastatam depingit, quo magis inuisum, opinor, bellum reipublicæ pestissimam, optimo cuiq; faceret. In pacata urbe nuptijs locus est, exercentur iudicia, aguntur res, admirationi sunt Oratores. In altera augetur liberi, silent leges, mutum est forum, postremo miseranda est omnium ciuilium rerum ruina. Quid cedo potuit hoc commento excogitari prudentius? Neq; enim plures Homeri locos hic adgere uisum est. Tantum hos indicaui, ut studiosis adolescentibus fidem facerem, bonorum scriptorum cognitione non os tantum ac linguam, sed mores etiam formari. Id opinor in cõsilio quondam Græcis fuit, cur Homerum familiarissimum suis hominibus uoluerint. Solon enim & Pisistratus lege constituerunt, ut illius carmẽ ordine legeretur. Nam aureo illo seculo adhuc suarum partium Principes esse sentiebant, præstare, ne quid utile scriptum intercideret. Nunc regium nihil est nisi idem sit ἄμουσον. Mox instituerunt, ut Rhapsodis seu Homeristis, publicè in theatris cantaretur Homericum poëma, ut diuino carmine

ne inuenusta

ne iuuenum aures adsiduò personarent, essetq; semper in promptu recte dicendi, iudicandiq; regula. Fœlicissimè cum Homero certauit ex Latinis Vergilius, planeq; par, nisi fallor, utriq; laus, siue dictionem spectes, siue sententiarum grauitatem, debetur. Quid Tragici, quàm multis exemplis Tyrannorum mores & fata proposuêre? Quid comœdia, nisi priuatæ uitæ speculum? In uniuersum quid præstare studiosis poëtica possit, indicauit Fabius. Ego figurarum copiam præcipuè nostræ orationi suppeditare uideo, uarietatéq; rerum animos tum erudire, tum delectare.

Historici.

Historia iudicium formari, dicendiq; facultatem augeri Demosthenes censuit, cùm Thucydidem adeo familiarem sibi fecit, ut octies etiam descripserit. Amauit & Xenophontem Cicero. Et cum uniuersa historia πολιτεία quædam sit, uarias constituendarum rerum publicarum formas adumbrat. Nam ut hîc nihil aliud dicam, quid admirabilius est τῶν πολιτειῶν collatione apud Herodotum, ubi Persarum Satrapæ alij δημοκρατίαν, alij ὀλιγαρχίαν, alij μοναρχίαν probant? Quo loco uides grauissimum scriptorem morbos omnes, uitiaq; ciuitatum, uelut in tabula depinxisse. Verùm nemo tam imprudens est, qui non hoc consilio animaduerterit conscriptas

ptas esse historias, ut omnium humanorum fa-
ciorum exempla tanquam in illustri posita lu
cernerentur. Quæ si nihil ad erudiendos excita
dos q; mortalium animos conducunt, quid fuit, qu
Scipio senserit se clarorum uirorum imagines
tuentem, ad uirtutem accendi? Oratores cum
Respublicas administrarint, & in iudicijs uersa
ti, de iure, æquo ac bono tam multa disseruerint,
consentaneum est, pleraq; utiliter monere. Quid
enim Philosophiæ moralis locus est, quem non at
tigerint Demosthenes ac Cicero? Optimam re-
λιτείαν, nemo Philosophorum sic ἐζωγράφη
ac illi in actionibus suis, cùm in improbos ac se
ditiosos ciues, tanquam ferrum, stylum stri-
gunt, cùm aduersus hostilem uim Respublicam ar
silio muniunt. Quid de pace popularius scri-
usq; excogitari potuit, quàm quod in ea oratio-
ne, qua legem agrariam dissuadet, Cicero dixit
Quid ciuilius ea legum prædicatione, quàm
Demosthenica oratione κατὰ ἀριστογείτονος &
risconsulti in suos commentarios transtulerint
Sed quorsum attinet hîc prolixius scriptorum
ἐγκώμιον texere? Quin ipsi periculũ facite, qui
ex classicis quisq; præstet, quanta perspicuitas
gratiaq; omnia explicet, quàm prudenter omnia
colligat, quæ ad institutum pertinẽt. Nisi enim al

horum

horum imitationem te componas, prorsus desperanda est recte dicendi iudicandiq; facultas. Superest, ut indicemus & alteram causam, cur eloquentiæ studijs iudicium acui statuerimus. Id uerò fit, quod bene dicendi cura per sese uegetiorem animum reddit, ut quid in quaq; re maximè conueniat, aut prosit, rectius perspiciat. Nam ut corporum robur exercitio confirmari uidemus, ita fieri nequit, quin hebescant eorum animi, qui nullo ingenioso labore excitantur. Nemini dubium est, quin multum conducat bonorum scriptorum lectio: Verum nisi ad illam scribendi dicendiq; cõsuetudo accesserit, neq; perspicere satis acutè poteris illorum sententias ac uirtutes, neq; animo certam iudicandi commentandiq; regulam concipere. Propterea ad comparandam, tum loquendi, tum iudicandi facultatem, nihil perinde necessarium est, atq; styli exercitium. Quid enim aliud uolebat Afranius, cum fingeret usu patre sapientiam prognatam esse, quam assiduò dicendi commentandiq; studio animum expergefieri ac erudiri? Reliquit in eam sententiam, dignam memoriem posteritatis uocem Anaxagoras τὴν χεῖρα διὰ φρόνησιν εἶναι, quod uidebat artes omnes usu comparari, ocioq; ingenia ferè sterilescere. Nam ut mechanicas artes experiundo discimus, neq;

2. Sylus.

Afranius.

Anaxagoras.

quisquam tam demens est, qui se mox Apollini fore confidat, ubi penicillum primum in manu acceperit, ita multo usu assuefaciendam mentem, ut sese acrius in omnia intendat. Itaq; tantum huic Cicero. lo tribuit Marcus Cicero, ut optimum & præstantissimum dicendi effectorem ac magistrum se scripserit, solitusq; sit per ocium, aliàs è Græcis Latina facere, aliàs noua cudere, aliàs declamare, qua industria & ingenij uim, ac nigrorem tuebatur, & locupletabat facundiam. Sic enim de se ipse in Bruto, ne quid temere comminisci uidear: Nos autem non desistebamus, cum omni genere exercitationis, tum maximè stylo, nostrum illud quod erat, augere quantumcunq; erat. Demosthenes. Demosthenes aliquandiu meditandæ orationis causa, se in specum quendam abdidit, feruntq; pertinacissimè fraudato genio lucubrare solitum. Eique Plutarchus author, lucernis noctu usum adsiduis, donec quinquagesimum annum attigit. Didicerunt enim usu prudentissimi homines, quàm non uulgaris artificis sit, dilucidè aptèq; dicere. At ex nostris iuuenibus quotusquisq;, Studiosi inepti. perpetuo decennio unum aliquem uersiculum sedulo bere instituit? Pleriq; cõpendiariam uiam ad eruditionem sequendam eruditionem esse censent, si quàm plurima audierint, aut legerint. Itaq; alij totos [illegible]

ſurſum ac deorſum currunt, ſcholas omnes perreptant, præceptores paſſim audiunt, miranturq; non intellectos, dictata excipiunt, uncialibus literis elenchos commentariorum notant, minio illuſtrant. In precio *ſunt interpretes, qui quàm plurima dictando tempus extrahunt, nec quiſquam ſemiſſe præceptorem emerit, qui ab hac cõſuetudine, uel tranſuerſum unguem diſceſſerit. Rurſum alij domo nuſquam pedem proferunt, libris q; ſe tanquam priſtino cuidam addicunt, chartas uoluunt ac reuoluunt, beatos ſe putant, ubi quotidie magnum numerum chartarum percurrerint. An non utriq; miſeri uidentur, cum tanto labore, tantaq; ualetudinis iactura deſipere tãtum diſcant. Primum enim niſi ſtylo excitetur animus, per ſeſe hebeſcit: deinde cum immodica ſe, uel auſcultatione, uel lectione obruunt, ingeniorum aciem, ſi qua contigit, obtundunt. Iam & iudicij inopia fit, ut ferè peßima quæq; cupidißimè audiant, ac legant, nec non multa peruagentur. Quos ſi quis ceu domum reuocatos interroget, quid hac diſcendi ratione ſequantur, quis finis, quæ meta animo propoſita ſit, intelliget non aliter ac Mente captos, quid agant neſcire. Nec enim uel ſententias, uel ſermonem ſcriptorum obſeruant, cum imitandi cura uacent.*

Tan=

Tantum oculis auribusq; negocium faciunt, etc.
mus interim Epimenideum quendam somnum
mit: & cum nullum certum exemplar expri
re studeant, fit, ut et dicendi & iudicandi ratio
prauetur. Gratulatur sibi Demosthenes apud
thenienses dicturus, quod ipsi per se, quæ opti
ma sint cernant. At nos styli exercitium præ
camus his, qui nunquam periculum rei fecerunt,
nec commodorum, quæ secum hæc exercitatio
fert, uim amplitudinemq;, uel per transennam
derunt, quo magis metuo, ne parum fidei habe
oratio nostra, cum stylo tantum tribuimus. Ve
rum si quis est non planè iniquus Musis, is ap
se expendat, quæ ueteribus docendi, discendiq;
tio fuerit, qua disciplinæ omnes non tantum
stratæ, sed etiam auctæ sunt. Pauci in ludis litera
rijs autores, sed hi optimi proponebantur, qui
imitaretur iuuentus. Et quemadmodum de rus
stica præceptum est, ne maior fundus sit, quam
qui coli probè possit, ait enim Vergilius: Laudato
to ingentia rura, Exiguum colito. Sic illi cum ui
derent, nec perdisci, nec exprimi posse, multos
fœliciter, turbaq; scriptorum confundi potius,
quàm eruditi iuuenilia ingenia, pauciores admi
tebant, quos sibi studiosi quàm familiarissimos fa
cerent. Declamabatur item adsiduo, scribebatur

Veterum docẽdi discendiq; ratio.

alij uersus, alij solutam orationem. Et quia inter se bene dicendi studio certabant, cura, solicitudoque iudicium acuebat. Quo instituto, cum nullum iucundius erat spectaculum, tum nihil priuatim aut publicè utilius fieri potuit. Nam ex huiusmodi ludis prodiêre clarissimi superioribus seculis homines, Græci ac Latini, pleriq; etiã Christiani: quos si imitari studerent nostri, bone Deus quantò res humanæ magis florerent, & sacræ literæ fœlicius tractarentur. Porrò cum ueteres tantum operæ in exercendo stylo posuerint, cum nec eruditio, nec eloquentia mediocris citra hoc studium parari queat, cum intelligi non possint, quæ ab alijs prudenter scripta sunt, nisi ipsi styli usu ingenia excitemus. Sinite quæso à uobis impetrari, ut stylo nonnunquam uestras uires experiamini. Rem postulo non perinde difficilem, atq; salutarem, neque enim aliunde studijs uestris amplior accessio fiet. Cudes autem & uersiculos, & solutã orationem: uideo enim putidiuscule dicere quotquot poëticen non attigerunt, planeq; humi repere, nec uerborũ pondus, aut ullam figurarum uim tenere. Iam cum asperas confragosasq; compositiones multò sit facilimum in uersibus deprehendere, fit, ut qui carmen condunt, de solutæ orationis numeris rectius iudicent. Et haud

scio

Poëtica, scio an de literis omnibus actum sit, ubi poëtic
fastidiri cœperit. Fit enim ut ornatus splendo
uerborum nullo in precio sit, minore cura so
batur, oscitantius legantur omnia, rerum inqu
rendarum studium frigeat. Quare & Roma
temporibus poëtice contemptum incredibilis in
scitia rerum omnium, infantiaq; secuta est. Eta
per adeò cum nostri homines uersiculos fecer
cœpissent, cum literis melioribus ingratiam re
êre. Nec uideo ego conseruari posse, quicquid
lud est elegantiæ, quod hoc seculo reflorui
exercendo stylo carmen iuuentus meditetur. Se
sit et M. Cicero facundiã uersibus scribendis d
eamq; ob causam et sæpe scripsisse carmen, et Bi
tarum perstudiosum fuisse constat. Vidit posteri
tas pleraq; eius epigrammata, extantq; hodie
ci aliquot illustrium Poëtarum ab ipso Latin
uersibus luculentissimè expositi. Plinius Orato
æditis etiam poëmatis testatur hoc studio, dicendi
uim adiuuari. Proinde qui discendo bonas hor
bene collocare uolent, ueterum exemplis imita
tur, styloq;, ut Quintilianus ait, fideli et facundi
am parent, et iudicium acuant. Vehementer ean
falluntur, si quid sine hac exercitatione promo
ros se in literis sperant. Mare uitem citius fren
quam eruditionem, aut dicendi facultatem co
sequatur

sequatur is, qui tanquam Mandragora sopitus, nunquam incaluerit, ut ingenium commentatio expergefaciat. Exposui quæ me rationes ad artium dicendi studium inuitent, nempe, quod et certa dicendi ratio obseruanda sit, & harum artium usu studiosis nonnihil iudicij accedat. Quæ si quis ad se nihil pertinere sentit, is haud dubiè ab omni humanitate longissimè abest. Contra boni, ubi commodorum uim, quæ ad nos à sermone redeunt, contemplati fuerint, animaduerterintque, & certa ratione dicendi opus esse, & his artibus ingenia cultiora reddi, uelis, ut aiunt, ac remis ad hæc studia properabunt. Verùm sunt non parum multi, præsertim hoc tempore, qui bonorum cursum morantur, hi ad Theologicarum literarum tractationem negant dicendi artium scientiam conducere: cœpitque hic error, ceu contagione quadam latè uagatus, plurimos, qui ne non ualde Theologicari uideantur, humaniores disciplinas omnes contemnunt. Ego uerò seriò illos Theologicari optarim, eaque præstare, quæ Christianam mentem decent. Nunc uideo Theologicum nomen ignauiæ tantum prætexi, cæterum nihil minus esse, quàm quod profitentur.

Epilogus.

Confutatio.

Theologastri.

Nam dum piget elegantiam discere, secq; difficilimis

ilimis ſcriptoribus euoluendis, exercendóq; ſe
macerare, neq; enim ullarum literarum cog
to ſine acri ſtudio contingit, ſi quando domi
tæne poti rediêre, conciunculam aliquam legun
nde ubi decerpſerint, quæ ad ſtomachum fa
unt, paſſim in conuiuijs, nam ibi potiſſimum ſo
unt, declamant: & quia uulgus applaudit, iam
rò ſibi tantum non abſolute Theologi uidentur,
cum de grauiſſimis rebus obſcœni homines, im
ro ore, nulla religione diſputent. Et cum uete
Paulus καπηλεύειν λόγον θεοῦ, nemo impudentiu
cauponatur uerbum Dei, quàm hi, qui cum m
moribus, nec eruditione bonis ſe probare poſſ
uulgi fauorem, impia ſacrarum literarum tra
tione emerentur. Quid multa? uideas eos aſſer
ri literas noſtras, quibus res bonæ honeſtæq
mnes, quibus pietas, quibus mores publici, in
quibus Chriſtus ipſe fabula eſt. In quos, ſi ne
conſtitutam haberemus Rempub. non nos eru
ne, ſed ui Magiſtratus animaduerteret. Quam
nim crucem non merentur hi, qui ut præterea
hil peccent, exemplo ſuo iuuentutem à litera
uocant? Quæ niſi diſcantur, poſteritatem ſan
habituri nihilo ſaniorem ſuperioribus ſeculis
literarum imperitia res omnes humanas a
nas labefactaſſet. Quin igitur ſic cogitemus

im cum grauißimè ſuccenſeret eccleſiæ Deus, ereptas eſſe literas, ſecuta eſt & ſacrarum inſcitia. Nam cum noſtris uerbis loqui Deus uoluerit, de ſermone diuino ineptè iudicauerint imperiti artium dicendi. Porrò quæ illis temporibus cæcitas mentes hominum tenebat? Chriſtum quotuſquiſq; norat? Imò chartæ iam obſoleuerant, quibus continebantur ſacra. Articulos Pharriſij condebãt, quos interim mundus, tanquam diuinas leges adorabat: Pium nihil erat, niſi quod illi ſomniaſſent. Et belli homines, cum literas nullas tenerent, undeſapere diſcerent, fatuam illam ſophiſticen pepererunt, cœperuntq; rixari de commenticijs uerborum compoſitionibus, ne non rhetoricarentur, quid interſit inter hæc, Papam uidi, & uidi Papam. Extatq; hodie articulus Pharriſienſis, Ego currit, malè latinè dici, hæreticum eſſe, quiſquis diſſenſerit. Satin' uidentur ultæ contumeliã literæ neglectæ? Quis enim credat cerebrum fuiſſe talium nugarum authoribus? Hæc uerò calamitas magna ex parte literarum inſcitiæ imputanda eſt, non enim patebant ſacra, tanquam interclusa uirgultis ac frondibus, unde mentis rectè erudiendæ ratio peteretur, negligebantur et diſertiſcriptores, qui monerent humana. Quantò tolerabilius fuerat, peſtilitate aut annonæ caritate

Literarum imperitia iræ Dei exemplum.

Articuli Pharriſienſes.

plecti Ecclesiam, quàm tanta amentia? Plangat hi persuadeo, certum esse diuinæ iræ exemplum quando mundo literæ eripiuntur. Nam reliqu pœnis pij quoq; non rarò mulctantur. At stul rum insciliam publica comitatur impietas. Su per uerò cum respicere afflictos iterum cœpi optimus Pater, essetq; redditurus nobis Euang lium, pro sua liberalitate & literas restituit, qu bus Euangelij tractatio adiuuaretur. Nec mag nouum uideri debet donum linguarum Apost collatum, quàm quod hæ à tanto squalore re ptæ, ex tenebris plusquàm tartareis in lucem uocatæ sunt. Nec in obscuro est, bonis quibus uiris auxilio fuisse literarum scientiam, in Th logia restituenda. Primùm itaq; ingratitudo rit, cœleste donum adspernari, deinde cum bea cio literarum restituta sint sacra, impij simu nullam harum rationem habeamus, sine qui stare res Theologica non potest. Et ut pauci ex ponam, quid iudicem ad sacrarum literarum in ctationem conferre linguarum scientiam, nõ in eo errore, ut humani ingenij industria sacra p netrari statuam. Sunt in sacris, quæ nisi mõstr te Deo nemo unquã cernat: nec innotescit mor Christus, nisi doceat Spiritus sanctus. Sic Christus ipse inquit, à spiritu se δοξαζεσθαι. Pr

rùm præter prophetiam, uis uerborum cognoscẽ da est, in quibus tanquam in sacrario quodam, diuinamysteria recondita sunt. Quid enim si non intellecta uerba magico more pronuncies? nónne surdo fabulam? At de sermone iudicare nemo re ctè poterit, nisi qui rectè dicendi rationem perdi dicerit. Quid enim magis procliue est, quàm uerbo aliquo aut schemate falli? Nuper quidam ex Magistris nostris, cùm enarraret ea quæ de Melchisedec in Genesi prodita sunt: Rex Salem panẽ ac uinum obtulit: non animaduertens, Salem loci nomen esse, multa de condimenti ui ac natura disseruit: Imposuit enim bono uiro uocum affinitas. Nã oscitantius omnia legũt, qui ingeniũ dicendi artibus nõ exercuêre. Deceperunt & eruditos figuræ, adeò nulla exercitatio dicendi ac scribendi satis cautos facit. Interrogabat me pridẽ doctus quispiam homo, ecquid sibi uellet Paulus cùm inquit in Epistola ad Timotheum: Saluatur mulier per filiorum generationem, si in fide permanserint (nam Græci plurali numero uerbum extulêre) Ego cùm non haberem quod aptè responderi uideretur, commentarios consulo. Ecce uobis Chrysostomum quàm bellè nugatur cum uerbum τεκνογονίαι ad sobolem refert. Quod quàm non conueniat sententiæ Paulinæ, facile est iudicare.

Salem.

σώφρονες Pauli.

Nec uidet ſenex ille Syntheſin eſſe Grammaticam, cùm uniuerſum ſexum plurali uerbo complectitur. Similia horum exempla non rarò ditabit quotidianus ſcriptorum uſus. Poſtrema quam aliam ob cauſam Sophiſtæ ſacris libris allegatis, nouum Theologiæ genus reperêre, quod illorum ſermonem, & diſſerendi rationem non adſequebantur? Quorum exemplum, ſi quis à barbarie non deterret, is fuſtuario, non oratione caſtigandus eſt: nam ſi perrexerit inuentas nas literas contemnere, haud dubiè futurum optimis neglectis, ut rurſus ſacræ bonæq; res mnes peſſum eant. Fallitur enim quiſquis uos tantùm, non etiam mente barbaros fuiſſe Thragaſtros iſtos cenſet. Iam ſi quando Eccleſiaſtica dogma tuendum fuerit, quid quæſo præſtabit qui quid ſentiat, explicare non poteſt? An conſaneam aliquam ac Stoicam orationem adſeret qua de uerborum interpunctione rixetur? Ab hoc auditor cùm expectarit perſpicuam ſacri dogmatis tractationem, perinde ac hians cornix ſcedet, diu fruſtra moleſtis diſtinctionibus fatigatus. Itaq; quos pietatis tenet ſtudium, ij uel Chriſto, uel publicæ neceßitati Eccleſiæ hoc præſtent officij, ut rectè loqui diſcant. Vocat huc etiam Paulus, cùm in Corinthijs linguarum ſuaſionem proba-

probat, cuius autoritas meritò apud uos ualere debet, quibus in ore tam multus est. Iudicaui pau- cis quid ad literarum prophanarum ac sacrarum tractationem conducat, rectè dicendi scientia. Nunc uestrum est cum elegantiore literatura in gratiam redire, eamq; cupidè amplecti. Video pleroſq; intempestiuè properare ad grauiores, ut uocant, disciplinas, quosdam ad Iura discenda, ad Medicinam spes quæstus rapit, alij ad Theologiam contendunt, priusquam robur aliquod fecerint in studio artium dicendi. Qui si suo quæq; ordine ad grederentur, bonè Deus, quantò rem fœlicius ge- rerent? Nunc malè tentato compendio ipsi sese morantur. Peroratio.

Fuit apud nos Morio quispiam, qui in heri cu linam ex more ligna ferebat: Is solitus est ex insi mastrue, ea reuellere, quæ moueri sine magno ne gocio non poterant. Interrogatusq; cur id fieret, respondit, se difficillimam laboris partem pri- mum confecturum, summa illa facilius moueri: nec uidit quantum referret, singula ordine tolle- re. Huius mihi persimiles uidentur, qui fastiditis his artibus, ad sublimia prouolant. Nam & auge tur discendi labor, & incommodius omnia tra- ctantur, cùm nondum sint, perpoliti primis rudi- mentis. Deum immortalem, quàm infœliciter ces Moriones.

sit maioribus nostris hæc præcipitantia. Nulla genus artium superioribus seculis non sælesta spurcatum est ab his, qui cùm elegantiores litte non attigissent, in optimas quasq; et grauissim disciplinas tanquam in rosas porci irruerunt. Theologia stultis & impijs quæstionibus profa obruta est. Qui Philosophiam professi sunt, nu men quidem artis satis intellexerunt. Deni æquo ac bono fieri non potuit, ut quidquam sa comminiscerentur hi, qui elegantioris literatu rudes erant: quod & ipsum disciplinæ gen medijs humanitatis artibus deriuatum sit, & terum Iurisconsultorem literæ plenæ sint pro ueræq; eruditionis. Neq; nunc ego sermonis ei eiciem tantùm in artium professoribus accu sed imprudentiam, à quo se uitio adsereret posſunt, quorum ingenia dicendi artibus non sa exculta. Quare non cesso uos adhortari, ad e gantiæ earumq; artium studium, sine quibus di plinæ reliquæ non possunt non infœliciſſimè cu ctari, quod à uobis par est, ut uel publica neces tas impetret. Nam ubi disciplinas grauiores u arit barbaries, periclitari solent & hominum m

» » res. Est enim multò uerius hoc, comparari mor
» » ex doctrina, quàm quod Plato scripsit, ex Mu
» » corum cantibus. Dixi.

DE VTILITATE STVDIORVM eloquentiæ, Oratio Georgij Sabini, habita in Gymnasio Francofordiensi, Anno 1538.

CLARISSIMO VIRO, CVM GENERIS NOBILITATE, TUM UIRTUTE PRÆSTANTI, D. Eustachio à Schlieben, patrono suo, Georgius Sabinus. S. D.

MAgis studijs quorundã amicorum, quàm meo iudicio factum est, ut ederetur oratio, quam de eloquentiæ exercitijs ac laudibus more scholastico habui. Videbam enim multò esse tenuiorem, quã ut responderet argumenti magnitudini. Quæ enim ars alia tantas ad uitã utilitates adfert, quæ res maiores gubernat, quàm eloquentia? Explicat religiones, regit uniuersam togatam administrationem, dominatur in iudicijs, in curia, in Principum consilijs, & infinita negociorum uarietate. Sæpe etiam bella, & stantes in procinctu acies dirimit. Itaq; præclare Ouidius cùm ad Mercurium inquit: Pacis et armorũ Deus arbiter, signi Eloquentiæ uis.

ficat eloquentiam, & in pace res maximas gere re, & sæpe bella ac populorum tumultus sed Tantam facultatem pro dignitate laudare, u est mediocrium uirium. Ego autem de me illa multò uerius prædicare possum, quod de seipso quit Ouidius.

Inuida me spacijs natura coërcuit arctis,
Ingenij uires exiguasq; dedit.

Quare mihi ueniam dari peto, quòd susceptogra uissimo argumento, tam tenuem Oratiunculam sine motibus, sine splendore aliquo cõposui. Nam si qua est in æditione culpa, amicorum est, qui bus tamen eo minus repugnaui, quia arbitra omnes in hoc genere exhortationes prodesse iu uenibus, præsertim hoc tempore, cum languesc hæc studia, non solum fatalibus causis, sed etiam hominũ ignauia. Et ut Homerus inquit, ὑπεξ ξαρ. Quare omnes boni uiri, maximeq; illi, qui tenent Respub. et qui studijs iuuentutis præsunt, excitare debent adolescentiam ad has artes colen das, atq; amandas, quibus carere Respub. nullo modo potest. Quales tenebræ in religione, qua lis barbaries in iudicijs & negotijs ciuilibus fu tura est, amisso literarum elegantiorum & elo quentiæ lumine? Facile igitur patior extare hanc meam qualemcunq; exhortationem.

Cum

Cum autem usitato more patronum aliquem huic scripto quærerem, multæ concurrebant iustæ causæ, ut tui nominis auspicio æderem, quem scio maximè et studijs, et laudibus eloquentiæ fauere. Etsi enim abundas ingenij & fortunæ ornamentis, tamē his ingēs decus addit eloquentia tua, & cætera illustriora efficit. Nā cum natura te ad hanc artem omnium reginam finxerit, cumq; doctrina excultus sis, magnam tibi laudem, magnam admirationem, dicendi facultas parit, non solùm in patria lingua, sed etiam Latina. Eaq; in re illud inprimis glorioſum est, quod tua eloquentia patriæ præsidio est. Deinde hanc nostram Academiam authoritate tua apud illustrißimum & clementißimum Principem Marchionem Electorem præcipuè tueri soles: Me quoq; singulari comitate adiuuas. Quare hanc ad te Epistolam publicè scripsi, primùm, ut omnes intelligerent te à nobis, & propter admirationem tuarum uirtutum, & propter egregiam erga literas uoluntatem, diligi, coli, & obseruari: Deinde, ut hæc ipsa studia nostra tibi commendarem. Itaq; si officio meo delectaberis, præclarè me hoc munus collocasse arbitrabor. Peto igitur, ut pro tua excellenti humanitate, & hoc meum officium specimen esse grati erga te animi statuas, & me tuo fauore

atq; authoritate, in hac publica functione defe-
das. Est enim iustissimum, eloquentiæ studio-
professores ab ijs defendi atq; ornari, quibus e-
quentia summam dignitatem atq; authorita-
in Republica parit. Bene ac fœliciter vale.

Francofordiæ ad Oderam, Calendis
Nouembris, Anno

M. D. XXXVIII.

NON ignoro quantum on
suscipiat is, qui eloquen
scriptorum enarration
instituit. Etenim non solu
genus sermonis ei notum
oportet, sed etiam exposi
da sunt authorum consi
multa ex historijs omnium temporum repeten
Deniq; ut accommodet ad usum, interpres no
dis esse debet Reipublicæ. Hæc cum per se a
dua sint, mihi nouitas ipsa & negocij & loci, m
to reddit ea difficiliora. Nam antea nunquam
publico cœtu docui, & fieri nequit, quin reos
hospes huius Academiæ, magis metuam iudi
uestra. Omnium oculi in nouos hospites int
sunt, multoq; iudicant de eis morosius, quàm
nos

notis & familiaribus. Itaq; magna in solicitudine esse cœpi, postquam hæc prouincia mihi ab illustrißimo Principe nostro Elector mandata est, uosq; magnopere oro, ne fiducia ingenij, aut doctrinæ singularis à me expetitam esse existimetis: sed quodam amore patriæ hic potißimum uiuere malui, & si quid contigit ingenij aut industriæ, conferre potißimum ad patriæ utilitatem. Quare non arrogantia, sed quodam probabili cõsilio, seu studio potius à me expetitum esse hunc locum putetis. Vobis q; initio polliceor, mihi non defuturam esse diligentiam in ullo officio, quod à modesto & tranquillo hospite requiri potest. Academiæ authoritatem maximi faciam, professorum beneuolentiam, quibus potero officijs, tuebor, perficiam etiam, ne ciues in me humanitatem desiderent. Hanc meam uoluntatem, si probabitis, spero uos de ingenio meo, & de his operis scholasticis minus acerbè iudicaturos esse. Ac uerò inprimis decet uiros doctos candor, in prouehendis et iuuandis tyronibus, qui Reipublicæ operam nauare student. Quare rogo, ut his auspicijs meis faueatis, mihiq;, ut ille ait, crescendi copiam detis: quod si facietis, melius de publicis studijs mereri potero.

Cum autem hæc prælectio instituta sit præcipuè,

Propositio. puèr, ut ad eloquentiæ seu rectè dicendi studium uentus assuefiat, dicam aliquid de eloquentiæ u dibus, ac utilitate. Et quoniam iuuentutis exci dæ causa, hæc oratio habetur, dicam de ijs utili tatibus, quæ nunc in hac forma Reipublicæ h

Definitio. nis ingenijs expetendæ sunt. Eximia quædam tus est eloquentia, quæ est facultas sapienter & ornatè dicendi, de religione, de Republica, de alijs artibus, regens imperia, summorum Princi pum consilia, uoluntates inclinans populorum a gentium, & uel incendens languentes, uel re cans, ac sedans incitatas, qualem describit Virg lius eloquentiam cum ait:

Ac ueluti magno in populo cum sæpe coorta Seditio, sæuitq; animis ignobile uulgus,
Iamq; faces et saxa uolãt, furor arma ministra Tum pietate grauẽ ac meritis si forte uirũ quem Conspexêre, silent, arrectisq; auribus astant,
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

Porrò de hac excellenti ui, & perfecta eloquen tia, non sum dicturus, sed de his nostris studijs hoc est, de diligentia rectè dicendi, seu compon dæ Latinæ orationis, quæ tamen pars aliqua e eloquentiæ, et uelut inchoatio. Hæc quantum ornamentum, quàm multiplices utilitates affe rat, exponam. Primum enim cõmemorabo, qu

cõsid

conducat studium rectè dicendi ad cæteras artes, Praxedis.
uel intelligendas, uel tractandas. Magna est digni
tas scientiæ iuris, magnus usus. Cum autem leges
sint eruditissimè scriptæ, & multæ in eis compa-
reant uestigia ueteris Reipublicæ, non dubium
est, quin multum lucis eis accedat, rectè intellecto
genere sermonis, & cognitis historijs. Iudicium
autem de genere sermonis, confirmat hæc exer-
citatio dicendi. Sed non tantum in foro, in iudi-
cijs inter illiteratos uersabitur is, qui Iuris scien
tiam profitetur, uerùm adhibebitur ad maiora
negotia, ac uerè oratoria, ubi magnæ, & diffici-
les causæ latinam orationem flagitabunt. Hoc lo
co quis non uidet, quantum decus sit homini do-
cto, posse disertè, perspicuè, non sordidè, res ma-
gnas explicare.

Memini in conuentu Augustano, Liburnos ad Honestum.
Principum consilium uenire, petitum auxilia cõ
tra Turcas, & deplorare calamitates patriæ suæ
graui oratione: ibi cæteri Principes omnes detu
lerunt munus respondendi ad Illustrissimum Prin
cipem Electorem Marchionem Ioachimum I. Nõ
erat nouum, Germanicas ei causas committi,
sciebant enim à nemine splendidius ac ornatius
agi: Sed cum laudem eloquentiæ præcipuam uni
Marchioni tribuerent, & aliâs Latinè dicentem
audis-

Oratio Marchionis in conuentu Augustano ad Liburnos.

audissent, hanc causam etiam ei commendabit. Hoc iudicium cæterorum Principũ, nostro quo fuerit honorificum, omnes intelligtis: Itaq; audiretur cũ summa attentione, honestissimis dibus ornauit Liburnos propter fidem et fortidinem, quã in sustinendis, et depellendis Turcarirruptionibus, tot iã annos præstiterunt, ac bene sperare eos de uoluntate Imperatoris iussit; suas omnes cogitationes iã in parando bello aduersus Turcas cõsumerentur. Hanc eius orationem pudentes omnes, propter consilium et sententiarum grauitatẽ, eruditi etiam propter genus uerborum magna cum admiratione audiebant: Tantum abdis Principi pariebat latinè dicẽdi facultas. Quare et reliquæ nobilitati, et cæteris qui ad Rempacessuri sunt, omni studio eloquentia expetenda est, præsertim hac ætate. Videtis enim quantæ in hac natione motæ sint, quantum sit negotij nostris Principibus, cũ omnibus Regibus Christinominis, ubi pleraq; omnia Latinè agenda sunt. Qua in re & illud considerandum est, nunquam

Eloquentiæ studiũ apud Principes hodie.

cæteros Reges adeò studiosos fuisse eloquentiæut nunc sunt. Etenim non modò Itali et Galli, etiam Poloni & Pannones, explosa ueteri barbarie, nunc cum scribunt ad exteros, elegans, nitidum, ac uerè latinum orationis genus adhibent.

Nec alia ars apud pleraſque nationes plus habet dignitatis, quàm latinè dicendi facultas. Iam cogitate quàm multa incommoda ſunt expectanda, ſi mittantur ad exteros legati infantes: Primùm ridetur gentis ignauia, detrahitur autoritas noſtris, non interſunt conſilijs, accipiunt dictata ab alijs, nec rarò turpiter falluntur, et tanquam naribus trahuntur, ut non intellecta probent. Cum igitur ſit perſpicua utilitas, cum inuitent maximorum Regum et Principum exterorum exempla, cur ſoli Germani huic ſtudio iam luxum, apparatum conuiuiorum, & neſcio quas uoluptates anteferimus, qui quidem paulò ante etiam hac laude cæteris nationibus antecellebamus? Sed breui mira eſt facta huius nationis mutatio, negligitur res militaris, literæ non ſolùm ſpernuntur, ſed etiam ſunt in odio. Et honeſtiſſimis ſtudijs ſucceſſerunt multa uitia, luxus, ambitio, perfidia, & pleraq; aliæ peſtes, quæ inteſtinas diſcordias, & alias calamitates pariunt. Quare et Principes, et reliqui, qui autoritate cæteros præcedunt, omni contentione iuuentutem reuocare ad recta ſtudia debebant, ac præcipuè ad eloquentiam, quæ in Repub. maximum habet uſum.

Germanię mutatio.

Porrò ſi quis hoc ſtudium eò minus curat, quia putat tantũ prodeſſe ad genus ſermonis, is longè errat.

Vtile in Repu.

errat. Etsi enim non est exigua utilitas ipsa
ctum esse copia sermonis, tamen exercitatio
cendi etiam de multis rebus format iudicia, ex
tè animos ad diligentiam assuefacit. Legendis
de optimis rebus sapientissimi scriptores, quam
intelliguntur, nisi consilia ac uoluntates eorum
ita consideremus, quasi unà cum illis uiuētes, in
dem interfimus deliberationibus ac negocijs, a
quibus ipsi uersabantur. Tota Respub. uetus a
mo intuenda, & ad præsentem formam conform
da est. Hæ cogitationes aliquid ad prudentiam
conducunt, ac de multis magnis rebus nos admo
nent, de moribus, de iure, de actionum ac iudic
rum uarietate, de natura rerum. Demosthenes
citur octies descripsisse Thucydiden, ut sibi ad
rem eloquentem quàm familiarissimum face
Nec uerò aucupatus est præcipue uerba aut g
nus sermonis. Nam Thucydidis oratio admod
dissimilis est forensi. Sed uarias Reipub. mutat
nes ac momenta considerabat in historia, exer
pebat Principum consilia, quorum cognitio n
quoq; in publicis deliberationibus proderat. Ad
quid etiam grauitatis addidit Demosthenis or
tionibus, imitatio Thucydidis. Multas enim
fert Demosthenes sententias Thucydidis. Cita
leges multis in locis Homerũ, citant Ciceron

Demosthenes Thucydidis studiosus.

nō uerborum causa, sed tanquā sententias in foro dictas, quarū autoritatē in iudicijs ualere uolūt. Quoties Medici citant Poëtas in natura rerū describenda? Quis enim non uidet Poëtas uel præcipuè hoc studuisse, ut pleraſq; naturæ partes illustrarēt. Itaq; complexi sunt summa cum uenustate ortus et occasus syderū, ac totam doctrinā quæ in uulgaribus libellis de sphera traditur, descriptiones fulminum, iridis, et reliqua meteora, herbarū plurimarum et multorū remediorū naturas. Cicero uerò et moralē Philosophiā totā cōplexus est, et quosdā locos qui ad Philosophiā naturalē pertinent, quorum lectio nō modò copiam sermonis, sed etiam rerum scientiam alere potest. Quid est enim illa disputatione, de immortalitate animæ, in prima Thusculana eruditius ac iucundius? Multò etiam eruditior est libellus de natura Deorū: Ac in utroq; multa sumuntur argumēta ex ea doctrina, quā profitentur hi, qui propriè dicūtur Physici. Fateamur ergo eloquentiū scriptorū lectionē, non modò ad copiam sermonis, et phrasin comparandam prodesse, sed etiam ad augendā rerum cognitionem, et iudicia formāda de multis maximis rebus. Deinde diligētia in exercitio styli, illa uerò in primis acuit ingenia. Nā in inueniēdo res quæ ad causam pertinēt, prudēter omnes inuestigandæ

Poetæ.

Cicero.

Styli œconomia.

et cogitandæ sunt. Ad hæc deliberãdum de rem ordine et œconomia. Nec minor est cura pon cere quid deceat, quid locis ac tẽporibus cong at. Postremò cõpositio et cura elocutionis mu uiter exercet scribentẽ. Huius exercitij consu do parit immẽsas utilitates, prohibet præcipi tiã, et quasi frenum ingenijs injicit, ne temere delectu, sine ordine, sine cura effundãt omnia, se sese offerunt, adfert diligentiam, ut ea quæ ge mus, formemus etiã, et arte meliora efficiamus si facerent scriptores uel sacrarum rerũ, uel a quantò fœlicior esset status rerum humanar Quorum pleriq; si ad curiã in dicendo assue essent, multò essent in deligendis utilibus arg tis, et in cauẽdis publicis periculis, diligentiores.

Periclis cura in dicendo.

Pericles ascensurus in cõcionem, ac præm animo, quãtum periculi inconsideratè dicta rent, solitus est precari à Dijs, ne quod sibi ver excideret, quod officeret Reip. Et Demosthen cum ei obijceretur, quod meditatus ad dicend ueniret, respondit, sibi nõ modò imprudenter etiã improbum ciuẽ uideri illum, qui de rebus mis, uniuersæ ciuitati consilium daturus, ante dicere, re non ante diu multumq; cogitata: Q si posit, nõ solùm scripta, sed sculpta se dic affirmauit. Adfert ergo inter cæteras utilita

Demosthenis.

consp

consuetudo exercendi styli, multiplicem diligentiam, causa tota maiore cura expendenda et cogitanda, cùm ipsi nobiscum deliberamus, quomodo eam dicturi aut acturi simus: prospicitur etiam quid in actione periculi sit, deliberatur quomodo pericula in agendo cauēda sint. Denìq; si nihil est futili garrulitate turpius & perniciosius, plurimùm ad uirtutem in unoquoq;, & ad publicam tranquillitatem prodest hæc assuefactio, ad exercendum stylum, ad formandam & componendam orationem, ne omnia sine delectu effundantur. Multa etiam ingenij uitia corrigit stylus, et cohibet effectus, ne cōtra decorum cōcitatius ferātur. Stylus nutris diligentiam.

Dixi hactenus, quàm sit utile hoc studiū rectè scribendi his, qui ad Remp. accessuri sunt. Togata administratio præcipuè gubernatur eloquētia, et multa Latinè agēda erunt. Quare ad hanc tātam rem, ut se iuuentus præparet, adhortāda atq; incitāda est acriter. Iam in cōtrouersijs religionis explicādis, quis nō uidet magna doctrina, et magna uberitate sermonis, et dicendi facultate opus esse? Sūt enim res obscuræ, et scriptorū dissimilibus disputationibus inuolutæ. Vt igitur ex tanta caligine euoluantur, ut uerè, propriè, dilucidè explicentur, ea uerò res requirit non mediocres artifices. Est antē bonæ et piæ mentis, etiā ob hanc causam Vtile in Ecclesia.

expetere eloquentiam, ut ornare gloriam Dei
conferre aliquid ad utilitatem Ecclesiæ po
hunc finẽ præcipuè referri nostra studia debe
quod & Plato uidit, qui ait eam eloquentiã
tendam esse, quæ non futilia dicat, sed Deo gra
Vetus ecclesia quàm habuit eloquẽtes scriptore
Basilium & alios, qui cùm haberent studiũ re
dicẽdi, curabãt, Primũ ut res ipsas rectè intelli
rẽt, postea ut propriè et perspicuè alijs trade
Ideò sincerior apud eos doctrina est, quàm in
sterioribus, qui, nullã in dicendo doctrinã adhi
runt. Quid quod ipse sermo in sacris literis in
ligi et iudicari nõ satis potest, nisi ratio dicẽdi
figurarũ intelligatur. Dicã aliquid etiam de
artificio, uidelicet, de Poëtica. Psalmi magna
parte prorsus poëticis picturis ornati sunt,
profectò non possunt agnosci ab his, qui sunt ig
ri Poëtices. Nec difficilè est plurima exempla
strare. In Psalmo de concordia: Ecce quàm bon
cõparat concordiam balsamo, quo Pontifex un
tur: significãs suauissimã esse, quia in Rep. in
bus periculis utilissima est. Vide autẽ quàm
stè pingat in Pontifice balsamum, in barbam
totam pallam defluẽs. Cur hac utitur pictura?
solùm quia illud Pontificium balsamum erat
stantissimum, sed etiam ut significet in Rep.

Exemplum poëticum ex Psalmo.

ripuum concordiæ autorẽ esse debere Pontificem. Huius munus est, efficere ac tueri doctrinæ consensum. Sed nolo esse prolixior in re manifesta, nam Theologis opus esse hac cultura, & his literis, quæ rationem dicendi tradunt, minimè obscurum est. Nescio quæ res magis inflammare generosas mentes possit, quàm publica utilitas, seu necessitas potius. Ostendi autẽ Reip. magnopere opus esse, præsertim hoc tẽpore, eloquẽtiæ studio: quod si cognoscent adolescentes præditi bonis et rectis ingenijs, accendet eos, ut spero, ad hoc studium Reip. amor. Hæc causa in bonis præcipuè ualere debet.

Præmia studiorum eloquentiæ.

Dicerem de præmijs etiam, nam his quoq; moueantur homines, sed in uita sæpe accidit, ut maiora sint præmia malis artibus. Menandri uersiculi citantur, quos hoc modo, ut potui, Latinos feci:

« Hæc uita gaudet improbis potissimum,
« Sed assentator omnium primas tenet,
« Viuitq; longè iucundissime omnium.
« Deinde sycophantæ proximus est honos,
« Audire enim calumnias dulce admodum.
« At tertius conceditur locus inuido,
« Artes nocendi qui scit astutissimè.

Fruantur ergo maioribus cõmodis assentatores, sycophantæ, et alij instructi malis artibus. Sed tamen ea quæ uerè dicitur dignitas, non potest nisi

illis cõpetere, qui bene merẽtur de Rep. uidelicet, bonorum iudicijs probari. Hæc est uera gloria, qua semper in Rep. in ciuitatibus, in imperijs maximè floruerũt boni uiri, eloquẽtia instructi, qualis Romæ fuerũt Lelius, Crassus, Cicero, et cæteri Oratores, qui, ut Cornelius Tacitus uenustissime dicit, ne priuati quidem sine dignitate erant, cum et populum Rom. et Senatũ consilio atq; auctoritate regerent. Videtis & hodie in Germania magnã esse dignitatẽ Oratorum in aulis & ciuitatibus. Quare si huius fastigij splẽdore mouẽtur adolescentes, qui, ut decet, cogitent nõ exigua præmia huiusmodi studio proposita esse. Sed de hac Latinè dicẽdi facultate iã loquor. Etsi sunt aliæ artes quæstuosiores, tamen hæc quoq; parit nõ mediocria cõmoda. Etsi autẽ moderati animi etiã, mediocrẽ fortunã bonis consulere. Et Deo curæ est, ne egeant boni, qui se Rep. bene mereri student, ut significauit Theocritus in fabula Comatæ, quã adolescentib. recitabat.

Comata Theocriti.

Fuit quispiam locuples et auarus pastor, cui quẽ seruiuit Comata, qui fuit Musarũ cultor, quia & propter pietatẽ, & ut grex seruaretur diuinitus, singulis mẽsibus ouẽ Musis sacrificabat. Hac pietate impetrabat, ut grex aduersus morbos et lupos tutus esset, et multò fieret fœcũdior. Sed dum auarus refciscẽs singulis mensibus ouẽ

ſtari,ſeruũ furti accuſat. Ille excuſans religionẽ, cõmemoratetiã beneficia diuina,gregis incolumitatem,et fœcunditatem. Sed hæc oratio nõ flexit animum impium domini. Ridens igitur cœleſte numẽ: Experiar,inquit,an muſæ,quibus te curæ eſſe affirmas,ſint tibi famem depulſura,ſi te in hãc caauam arborem incluſero,nec dedero tibi cibũ. Statim igitur incluſit miſerum in arborem,ibi fame cum necaturus. Quid accidit? Poſt paucos dies grex ſcabie & peſtilentia moritur. Hic cœpit paſtorem ſæuitiæ ſuæ pœnitere,cùm agnoſceret ſe diuinitus puniri. Rediẽs igitur ad arborem,ſeruum inuenit adhuc uiuum,incolumẽ,et bene ualentem. Cũq; interrogaret,unde interim alitus eſſet,reſpõdet ſeruus, Muſas in eã arborẽ examẽ apũ miſiſſe,quæ mella ibi cõficerent,hoc melle ſe interea ſuſtentatũ eſſe. Petit ergo herus ueniã ſceleris,et agnoſcit pios Deo curæ eſſe,eisq; ſi nõ magnas opes,at mediocria commoda ſuppeditari. Hac nos ſpecõfirmemus, et recta ac utilia ſtudia amplectamur. Fortaſis etiã Eccleſia erit aliquãdo trãquillior,cũ ad iudicandũ adhibebũtur uiri boni et docti,qui cõtrouerſias planè et ſimpliciter explicare poterũt,et cũ mitiora ſtudia homines colere cœperint. Quare inuitẽt adoleſcẽtes,magnitudo publicæ utilitatis,dignitas eloquentiæ,denicq; etiam cæ

tera præmia, ut se dedant his literis atq; artib⁹ quæ ad eloquentiam conducunt, seq; in hoc gen exerceant, & ad res maximas præparent pra tim cùm hic labor homini ingenioso uolupta etiam dulcißimas pariat. Primùm enim lectio g uißimorum autorum de maximis in Rep. motio iucundißima est, quærentibus exempla uirtut & honesta consilia uitæ priuatæ aut public Deinde delectat & ipsa orationis harmonia, q Musica quædam: nulla est enim cantilena dul or, quàm oratio de rebus bonis concinna & ho composita. Postremò ut canenti, sic scribenti h ipsa exercitatio uoluptati est. Iuuat enim inuen re & quasi gignere honesta argumenta, eaq; t stribuere, disponere, ornare, cum alijs confer & inquirere meliora. Hæc naturaliter delect sana ingenia, et quædam ad uirtutem uia est, ips facere animum ad has honestas uoluptates intu ligendas & expetendas. Est & illa magna com moditas, quod hæ elegantiores literæ in omn fortuna usui sunt. Adminicula sunt in negocijs, ja cio ornant nos, & sunt uoluptati: In rebus aduer sis leuant mœsticiam, leniunt curas ac dolore Adiuuant etiam bonos, ut religionis doctrina melius intelligere possint, quæ utilitas magno æ stimari à bonis debet. Dixi.

Iucundum.

Orati

ORATIO PHILIPPI MELANthonis in laudem nouæ Scholæ, habita Noribergæ in corona doctißimorum uirorum, & totius fermè Senatus.

M. D. XXVI.

QVod uobis, & liberis uestris, & uniuersæ Reipub. fauſtum fœlixq; ſit amplißimi uiri, quemadmodum optabatis, ludum literarium aperiunt hi, quos huc publico conſilio ad docendas honeſtas diſciplinas, accerſiſtis, idq; uobis mea uoce publicè denunciare uoluerunt. Nam cum in ſcena hoc ſeruetur, ut ante actionem de Poëtæ uoluntate, ſeu de fabulæ argumento dicat prologus, poſtulauerunt à me iſti, pro iure amicitiæ, quæ mihi cum ipſis peruetus eſt, ut ego uelut fabulæ ab ipſis agendæ, prologus fierem. Neq; mihi fuit integrum eorum uoluntati deeſſe, tametſi impudentia erat committere, ut primas in dicendo partes facundißimis propemodum hominibus præriperе uiderer. Sed uel cum aliquo meo periculo coniunctißimis hominibus fuit obſecundandum, & ſuſcipiendæ partes, quas non ipſe mihi ultro ſumſi, ſed illi ſuo iure impoſuerunt. Prologi Poëtarum.

Quoniam autem hic locus postulat, ut constit
uestrum, quod de constituenda schola cœpistis, a
nemus, optarim hãc causam à facundioribus q
qui pro dignitate prædicare, & magnitudine r
oratione æquare possent. Nam mihi in hac infa
tia mea uerendum est, ne culpa ingenij, laudes u
stras deteram minimè uulgaris sapientiæ, & pr
pemodum diuinæ. Etenim quod perspexistis mi
& utilitatem literarum ignotam uulgo, longiq
meq; à conspectu multitudinis positam, cõseru
das esse, & asserendas ab interitu iudicastis, pro
sertim hoc tempore, cum ubiq; periclitamur, i
proficto diuinæ cuiusdã sapientiæ est. Quæ enim
alia res maiores utilitates toti generi humano
adfert, quàm literæ? Nulla arte, nullo opificio,
non hercule frugibus ipsis terra natis, non ib
niq; hoc sole, quem uitæ authorem multi credid
runt, tantopere opus est, atq; scientia literarum.
Nam cum sine legibus, ac iudicijs, & sine religi
nibus, nec teneri Respub. nec congregari com
hominum, gubernariq; possint, hominum genus
ferarum ritu uagabitur, si hæ occiderint, unde
bonæ leges procreatæ sunt, nati boni mores &
humanitas, per quas propagata religio, ad no
stram memoriam durat. Si quis parum fideibus
ic meæ orationi habet, is earum nationum mores
& ri

Scientia literarum maxima necessaria.

& uitæ genus consideret, quæ nullas norunt litе-
ras, quod ferunt de Scythis. Hi primum nullas habent ciuitates legibus constitutas, iudicia nulla, ius est quicquid fecerunt hi, qui aut uiribus, aut factionibus plurimum pollent, foris nulla commercia cum uicinis, nulla rerum commutatio, unum aduersus famem præsidium est latrocinari multos, etiam hospitium carnibus uictitare fama est, domi uerò, non modò disciplina nulla, sed etiam affectus illi quos natura communiter generauit in animis hominum, fides coniugalis, amor sobolis, charitas propinquorum, & familiarium, barbaris moribus extincti sunt. Nulla est scientia educandorum liberorum, sine qua boni uiri nulli fiunt, nulla uirtutis admiratio, nullus intellectus honesti, nullæ honestis officijs copulatæ amicitiæ, non humanitatis ullus sensus. Postremò, nullæ de religione, deq; uoluntate Dei erga mortales rectæ opiniones. Sic in genere sunt barbari alij plus, alij minus immanes, Cyclopicam quandam uitam agentes. Nam cum in huiusmodi barbariem harum gentium mores degenerare necesse sit, nisi literis ad uirtutem, ad humanitatem, ad pietatem excitentur, ac formentur. Præclarè sapienterq; à uobis factum est, qui in urbem uestram honestas disciplinas,

Scytharum barbaries.

nas, alumnas omnium uirtutum, accersistis, qui pro uiribus illas tueri, & conseruare studen Porrò his duris temporibus, in primis meru laudari uestrum consilium, cum periculum ej naufragium literæ, in hoc fatali motu Rem pub. faciant. Nam errore quodam uulgi scho deseruntur. Quidam enim stulti concionator

Stulti concionatores.

literis abstrahunt, magna pars uentri metuen ad quæstuosas artes se recipit, postquam spes ie ecta est, sacerdotum redditibus uictitandi, qui solos, laboris sui præmia esse putabant. Quan quisq; enim tantopere uirtutem miratur, ut gra tis eam colendam esse ducat. Cum in hoc diser ne sit res literaria, decuit omnes Reges, ac Prin cipes Rerumpub. periclitantibus disciplinis ope

Reguli nostri.

adferre. Sed nostri Reguli partim ita crassi sun ut precium literarum non intelligant, partim m mali, ut Tyrannidi suæ expedire credant, lege omnes, religionem, & ciuilem disciplinam sem

Episcopi & Sacerdotes.

aboleri. Quid de Episcopis dicam, quos et sacra & studijs literarum nostri Imperatores præfe uoluerunt. Nec aliud fuerunt olim collegia cerdotum, nisi scholæ, & ut otium, ac sumptus scentibus abundè essent, ampliſsimi redditus ei gijs constituti sunt. Nec omnino infœlicitere paret olim ab eo genere hominum tractata

co

cum alias literas, tum sacras. Nunc uidemus nusquã esse infestiores hostes bonarum artium, quàm in illis sacerdotum sodalitijs. Proinde necessario tempore uobis in mentem uenit, exulantes suis sedibus literas hospicio excipere, & tanquam domum deducere. Non pigeat adiecisse hoc decus reliquis ornamentis urbis uestræ, quæ iam ante opibus, ædificijs, opificum ingenijs, ita floruit, ut conferri cum quauis laudatissimarum urbium apud ueteres rectè possit. Neque alia urbs in Germania doctiores hactenus ciues habuit, qui quia ad gubernandam Rempub. scientiam optimarum artium adhibuerunt, effecerunt ut reliquis Germaniæ urbibus hæc longe præstaret omnibus. Nunc autem cum hic domicilium honestis disciplinis constitutis, ad illum cumulum laudum uestrarum, incredibile est quanta fiat accessio. Nam si pergitis excitare hominum studia ad discendum, preclarè merebimini primùm de patria, & de exteris. Cum uobis authoribus recte fuerit instituta iuuentus, præsidio patriæ erit: Non enim ulla propugnacula, aut mœnia firmiora urbium monumenta sunt, quàm eruditione, prudentia, & alijs uirtutibus præditi ciues. Spartanus dixit muros debere ferreos esse, non saxeos. Ego uerò non tam armis, quàm prudentia, moderatione et pie-

Noribergæ laus.

tate

tate defendi existimo. Deinde pertinebit hoc beneficium uestrum ad reliquam Germaniam, quæ huc, modò faueat Deus incepto, excolendam, ornandamq; iuuentutem, missura uidetur, & eam primis idoneos ad moderandas Respublicas habebit, qui in hac urbe tanquam in ludo ad uirtutem instituti, & assuefacti fuerint. Vehitur hæc ius urbis nomen summis laudibus, ab hospitibus apud exteros, & uestro beneficio deuinctos animos hominum tenebitis, quæ uos hominum iudicia, nisi fallor, magis quàm ulla imperia delectabunt.

Florentia.

Quanquam autem hæc urbs pleriſq; doctrina uel cum Maßilia, alijſq; quibuſdam urbibus certare poßit, tamen malo iam earum urbium exempla uobis proponere, quæ noſtris temporibus florere prædicantur. Maximum beneficium paulò ante hæc tempora in uniuerſam Europam urbs Florentia contulit, cum primùm Græcarum literarum profeſſores patria pulſos iußit ad ſe uerti, et non modò hoſpicio iuuit, ſed etiam reddit illis ſua ſtudia, poſtquam ampliſſimis ſtipendijs ad docendum inuitauit, in reliqua Italia profeſſores artium è Græcia profugos, nemo aſpernabat, & unà cum Græcia linguam, et literas Græcas amiſiſſemus propemodum, ni Florentia hoſpitio

ctissimos homines calamitate leuasset, quod absq; Florentinis fuisset, futurum fuit, ut prorsus obsoleseceret Latina lingua, sic uitiata barbarie, conspurcataq;: & Græcæ linguæ ne quidem ulla iam uestigia extarent, & occidissent unà monumenta religionis nostræ, nec iam sacrorum librorum titulos, amissa Græca lingua, quisquam intelligerit. Nam Romæ miserè esuriebant exules illi, cum pontificiæ opes, præcipuè collocari deberent uel in calamitosos, uel in eos, qui tractatione literarum religioni operam nauarent.

Romæ literæ sordent.

Theodorum Gazam, bone Deus, quantum uirum aiunt, cum illos Aristotelis & Theophrasti libros in latinam linguam uersos Pontifici offerret, codicem exhibuisse sumptuosius ornatum, ubi Pontifex interrogãs, quanti ornasset librum, nihil præter eos sumptus rependit, nulla authori pro laboribus, quos in difficilimo opere uertendo exhauserat, reddita merces. Porro ad exemplum pertinebat ampliora præmia dari, uel pro libro non perinde utili ut ille erat. Sed nec utilitas operis permouit Pontificem ad remetiendam gratiam uberiorem. Sed postquam Florentinorum beneficio honestæ artes reuiuiscere cœpere, magna utilitas inde ad omnes Gentes deriuata est, multorum ubiq; excitata sunt ingenia, ad optimarum

Theodorus Gaza.

ptimarum rerum ſtudium. Nam et Latinos ho
nes Græcorum æmulatio ad patriam lingua
ſtaurandam, quæ penè funditus collapſa erat, p
mulauit. In urbibus leges publicæ emendatæ ſu
deniq; expurgata religio, quæ iacebat ante Mo
chorum ſomnijs obruta, & oppreſſa. Qua
quanquã uariant hominum iudicia, tamen ego
exiſtimo, bonos uiros rectius peruidere nim
ramq; religionis, hoc tẽpore firmiora ſolatia
ſcientiæ tenere, quàm fuerunt illa, quæ paulo
te Monachi tradiderunt. Non dubium eſt igi
quin præclarè Florentia de omnibus gentibus
rita ſit, quæ literas uelut è naufragio in port
recepit, conſeruauitq;.

Huius urbis exemplo, uos his miſeris temp
bus bonas artes defendite, cum Epiſcopi pro li
ris arma tractant, et reliqui principes hanc c
ſe indignam ducunt, paßim tumultuatur Ger
nia, et ad arma conclamat, et quemadmodum
in ueteri uerſiculo:

Pellitur è medio ſapientia, ui geritur re
Id his ſtudijs maximè officit. Nã ſi inter arma
lere leges, rectè dixit Cicero, quãtò magis ha
ſtræ artes obmuteſcũt, in ocio natæ, atq; alitæ
his motibus ruinam omnes bonæ artes mina
niſi Deus fulciat, ac his qui rerũ potiuntur

bem det instaurandi literarum studia. Vos uerò ne desistite urgere honestissimum & sanctissimum propositum. Etenim neque Deo gratius à uobis officium ullum, neq; utilius ciuitati uestræ præstari potest.

Inuidia secutura honestum propositum.

Porrò cum recte facta plerunq; sequatur inuidia, non dubito quin cum iniquis quorundam iudicijs uobis certandum sit. Sed est fortis uiri inuidiam in rectè factis contemnere, fortasse certandum est uobis & cum alijs difficultatibus, quæ consilia uestra in prouehenda schola, remoratura uidentur, quas ita uincetis, si cogitabitis, Deo uos in hac re morem gerere. Nam nisi literis conseruatis, durare religio, & bonæ leges non possunt: præterea exigit Deus, ut liberos uestros, ad uirtutem, ac religionem instituatis. Est autem non modò in superos impius, sed planè humana specie beluinam mentem tegit, quisquis non dat operam, ut sui liberi rectissimè instituantur, hoc inter hominem ac beluam discrimen natura fecit, quod beluæ deponunt curam sobolis, cum adoleuit, homini iniunxit, ut ex se procreatos nõ modo in prima infantia alat, sed multò magis, ut mores eorum, cum adoleuerint, ad honestatem formet.

Homo Belua.

Quare in primis in bene constituta ciuitate, scholis opus est, ubi pueritia, quæ seminariũ est,

ciuitatis, erudiatur, ualde enim fallitur, si quis ne doctrina solidam uirtutem parari posse existimat, nec ad Respub. gubernandas quisquam idoneus est, sine scientia earum literarum, quibus ratio omnis regendarum ciuitatum continetur. Hæc cum expendetis, non inuidia, non ullis difficultatibus patiemini uos absterreri, quominus ad discendum uestros ciues inuitetis. Deprofessoribus uestris hoc polliceri uobis possum, eruditionem suscepto oneri parem esse, & in legendo munere summam fidem futuram. Christum precor, ut auspicijs grauissimi negocij fauet & uestra consilia, studiaq; discentium fortunet.

Dixi.

DE LAVDE VITAE SCHOLASTICÆ Oratio, dicta à D. Melchiore Fendio, in promotione Magistrorum.

CVm considero eos, qui in hunc locum cum ad dicendum prodeunt, solere argumenti nouitate, uel eloquentiæ placere, animaduerto mihi non opus esse humanitate atq; [illegible]

te uestra. Nam argumentum nouum, quod quidem huic loco conuenire uideretur, nullum reperiebam, nec peruulgatis addere aliquid splendoris dicendo possum. Cùm autem publici officij ratio imponat mihi dicendi necessitatem, erit humanitatis uestræ, ut uos quoq; æquitate uestra publicum morem conseruetis, me non grauatim audire, & orationem meam boni consulere.

Decreui autem dicere de dignitate uitæ scholasticæ, déq; comparatione uestri ordinis cum cæteris ordinibus & uitæ generibus: Neq; ego non uideo quantum, quàm amplum argumentum susceperim. Sed quanquam pertexi nunc non poterit, tamen utile erit capita rerum attigisse. Quemadmodum autem Medici in præceptis ualetudinis, monẽt, ut aëris qualitatem in quo uersamur, diligenter obseruemus. Ita magnopere conducit, genus uitæ intelligere, in quo uel nostro, uel alieno iudicio collocati sumus. Et est quædam Philosophiæ pars, gradus humanorum officiorum, atq; ordines considerare & rectè discernere. Deinde nescio quid alijs accidat, mihi quidem in hac fortunæ tenuitate, & in his difficultatibus quibus conflictor, hæc res aliquid solatij affert, quod hoc uitæ genus, & sanctissimum et hominis naturæ conuenientissimum, & uitæ utilissimum esse cogito.

Propositio.

Gradus humanorum officiorum.

Cùm hæc bona colligo, fero æquiore animo incommoda, quæ comitantur hanc uitam, quæ sunt plurima: Nam ad ipsos studiorum labores, accedit paupertas, quam perferre posse, magnitudo animi est non uulgaris: Adde quod superbissimè contemnimur, nõ solùm ab imperitis, à mercatoribus, centauris, sed etiam ab illis semideis, qui regnant in aulis, propter opinionem doctrinæ, aut sapientiæ. Postremò non tantùm contemnimur, sed etiam in odio sumus. Hæc incommoda quamuis sint leuia, res ostendit, deterrent enim plurimos literis. Ego tamen non dubito ea hic commemorare, ut cogitetis fortitudinem quandam esse, propter has difficultates non abijcere literas: Deinde monebo, ut his malis opponatis uera & non ficta huius uitæ scholasticæ bona.

Semidei aularum.

Initiò autem præfari uolo, me nihil de dignitate cuiusquam ordinis detrahere. Non detestor illa Cynica Philosophia, quæ uituperat omnes artes, omnia uitæ genera. Melius & humanius pronunciauit Aristotoles, ciuitatem non ex Medico et Medico, sed ex Medico et Agricola constare, hoc est ex multis ordinibus. Quare singulis tribuo suum honorem. Sed gradus considerandi sunt, quos plerunq; stulti cõturbant. Sic igitur statuetis scholasticam primùm necessariam esse Reip.

& m

& maximas ad communem uitam utilitates afferre, deinde & sanctißimam ac Deo gratißimam esse, postremò etiam iucundißimam. Et quidem tantas ad uitam utilitates ex uita scholastica peruenire, tantùm in hac esse ueræ dignitatis, ut quamuis titulo præstent Reges & Episcopi, tamen reipsa par sit illis ordo Scholasticus. Hoc cùm animo constitueritis, etiam opera danda erit, ut hinc uitam omni studio ornetis, ut fortiter labores, & omnes difficultates perferatis, quæ comitantur hoc uitæ genus.

Ordo scholasticus parregio.

Sed quas tandem ob causas usq; adeo laudamus uitam scholasticam? Vulgus iudicat esse ociosam uitam, atq; inde scholasticam appellarunt: Latini nuncuparunt ludos hos conuentus discentium. Quid autem dignitatis in ociosa uita, aut in ludis esse potest? De his appellationibus postea dicam. Prius enim ostendam, minimum esse ocij in hac nostra militia: nec ludum esse hæc studia literarum, sed seriam inquisitionem maximarum rerum.

Schola ludus.

Duæ res sunt, quibus nihil melius ac diuinius habet humana natura, uidelicet ueritas et iustitia. Harum inquisitio & explicatio commendata est scholis. Nec uerò obscurum est, ueritatis & iustitiæ cognitionem maximè necessariam esse ad bene uiuendum, et utilitates ad uitam maximas afferre.

Veritatis & iustitiæ inquisitio.

Non enim sine doctrina religiones coli, non leges condi aut retineri possunt. Quanto præsidio destituta esset uita, si medicinam nemo disceret aut exerceret? Quantis ornamentis carendum esset, si nemo disceret Mathemata, si nulla temporũ discrimina tenerentur, si res ueteres, et historiæ manifestæ literis ignotæ essent? Horum cõmodorum magnitudo uobis quidẽ, qui in his studijs uersamini, nota est. Quare facilè iudicabitis partẽ Reip. necessariam esse scholas, et quidem præcipuas utilitates inde ad communem uitam peruenire. Quis enim non uidet religionibus, legibus & literis ipsis uita magis opus esse, quã fabris aut cerdonibus?

Sed illud disputant quidam, Ecclesias, aulam, fõrum, sedes esse ueritatis et iustitiæ, magis quàm scholas. Vocant scholasticam uitam umbratilem, quòd ibi in ocio ingenia exerceantur, illic aiunt, ueritatem & iustitiam in acie uersari. Moderati animi est, & bene instituti, reuerenter sentire de Ecclesijs, de aulis & fõro. Ac debent quidem in illis locis regnare ueritas et iustitia. Sed constat ex scholis in illa loca hæc ornamenta afferri. Qualis enim esset doctrina in templis, si in scholis res nõ essent agitatæ & illustratæ? Qualis esset aulicorum consiliorum et fõri barbaries, si non extarent quædam erudita iuris doctrina? Deindẽ hoc interest,

tereſt, de omnibus magnis rebus ſcholæ conſulun
tur, ſcholæ pronunciant, nõ Epiſcopi, aut aulici,
aut cauſidici. Poſtremò in ſcholis eſt ſimplex ſtu-
dium rerum inquirendarum et patefaciendarum.
In Eccleſijs multa in popularibus concionibus di
cuntur impropriè, multa etiam quia populus non
poteſt aſſequi, prætereuntur. Iam in aulis & foro
horribile eſt dictu, quantum ſit Sophiſtices. Itaq;
ſepe mihi uenit in mentem ueteris fabulæ de A-
ſtrea, quam ferunt pulſam ciuitatibus, poſtea in ru
re diu ſolitam agricolis concionari. Ita mihi uide
tur propemodum pulſa ex aulis, ex foro, ex tem-
plis, et alijs hominũ cœtibus Aſtrea, hoc eſt, ueri
tatis et iuſticiæ doctrina, adhuc hærere in ſcholis.
Quare cùm minus ſit ſophiſtices in ſcholis, quàm
alibi, cũ bonis unũ hoc ſit ſtudiũ eruẽdæ ueritatis,
ſumma laus eſſe debebit uitæ ſcholaſticæ, quæ qui
dẽ imago quædã eſt illius beatiſsimi ſtatus, in quo
aurea illa ætate uiuebãt homines, ſi qua fuit, aut
certè uicturi erãt, ſi fuiſſet illa aurea ætas, ſi natu
ra hominum fuiſſet immunis à peccati labe, & à
morte. Quid enim tũc fuiſſet uita hominũ, niſi iu-
cũdiſsima quædã ſchola, in qua ſeniores et præſtã
tiores de rebus diuinis, de natura rerũ, de immor
talitate humanorũ animorum, de cœleſtibus moti
bus, de omnib. uitæ officijs docuiſsẽt reliquos? In

Aſtrea in ſchoa
lis.

Vita ſcholaſti-
ca imago aureg
ætatis.

hæc Philosophia, & huiusmodi disputationibus, tempus omne consumpsissent seniores & iuniores. Nec aliam uitam fuisse Adæ, et similium principum uirorum iudico. Huius beatissimi status imago est uita scholastica.

Sanctitas uitæ scholasticæ.

Dixi breuissimè de necessitate & de utilitatibus, addam etiam de sanctitate huius uitæ. Nihilum Deo gratius est officium, quàm ueritatis, & iustitiæ studium et propagatio. Nam hæc sunt præcipua Dei dona, in quibus Dei præsentia maxime cerni potest. Hæc Deus præcipuè conseruari postulat, imò ad hunc finem præcipuè conditi sunt homines, ut alij alios doceant de Deo & alijs rebus bonis. Ad hanc utilitatem addita est diuinitus humano generi sermonis communicatio. Quare non dubium est, quin hoc uitæ genus, quod in docendo et discendo uersatur, Deo gratissimum sit, et hoc nomine antecellat scholæ templis et aulis, quia maius est studium ueritatis in scholis. Quare si quas sanctum uitæ institutum quærit, non abdat se in solitudines, nõ putet aliud esse sacratius uitæ genus, sed in his discentium conuentibus maneat, hic conetur bene mereri de genere humano, doceat alios, & sciat hoc officium prodesse ad conseruationem & propagationem optimarum rerum, erudiat ambigentes cõscientias, respondeat de

de iure, deq; omnibus uitæ officijs, inquirat rerum naturam, morborum remedia, causas mutationum in natura, motus et effectus cœlestes, præparet iuuentutem ad maiores artes, enarret historias, mandet literis res gestas, illustret artes: Hæc quisq; facit, Deo gratißimum cultum præstat, & de genere humano præclarè meretur: Conseruat enim doctrinam utilißimam uitæ, formet mores, iudicia hominum, retinet pacem, mitigat multa mala publica. Tale uitæ genus non solùm præstat monastico, sed uerè diuinum est.

Cicero non recte reprehendit Platonem.

Cicero reprehendit Platonem, quod dixerit Philosophos, tametsi abstineant à Reipub. administratione, tamen iustos esse, propter hãc ipsam magnarum rerum inquisitionem. Sed Plato rectißime sensit. Est enim iusticia, suum quenq; officiũ facere, & fructum eius officij conferre ad communem salutem generis humani. Id maximè facit Philosophus, qui religiones, rerum naturam, causas omnium honestorum officiorum, leges explicat, & has res diuinas cæteris impertit, artes illustrat, aut docet: deniq; qui ueritatis, et iustitiæ doctrinã cõferre ad aliorũ utilitatẽ studet. Nec putemus melius mereri de genere humano uel causidicos aliquos, qui in foro controuersias, aut exponunt, aut dirimũt, uel ædiles qui põtes aliquos faciunt,

ciũt, uel mercatores qui iusto precio res utiles in portãt. Recte igitur Plato dixit, iustos esse Philosophos, qui doctrinã utilem uitæ tradunt. Nõ gessit Magistratus Isocrates, sed consilijs suis gubernauit Imperatorem laudatissimum Timotheum, & formauit ingenia multorum, qui postea in Repub. principes extitérunt. Nec melius de Repub. meritus est Aeschines causidicus, quàm Aristoteles, qui etsi nec Magistratus gessit, nec causas egit, tamen Alexandrum, & multos alios Principes finxit ad iustitiã et beneficentiã. Deinde bene etiã bene meretur de Repub. reliquit monumenta utilia ad religiones, et leges interpretãdas, parit Medicos, et iudicia multorum formant, qui in foro et negocijs uersantur. Aso Iuris cõsultus gubernauit magnã Italiæ partẽ. Nec tamen minus de Repub. meretur Bartolus, qui in schola tãtum uixit. Philippus Medicus Alexandri exercitum secutus est, ac Regem ipsum ingenti periculo liberauit. Neq; tamen minus de Repub. meretur Galenus, qui nullum exercitum secutus est, sed in schola esse dit, & scripsit doctrinæ suæ monumenta.

Cùm igitur non aliud uitæ genus utilius sit generi humano, aut magis necessarium, aut sanctius, quàm uita scholastica, satis intelligi potest, hanc esse præstantissimum uitæ gradum. Hac nostra lau-

ra laude moueri bona ingenia decet, ut magis amentur itam scholasticam, et adhibeant studium et diligentiam dignam tanta professione, & ornent eã optimis moribus. Quid est enim turpius, quàm quod multi in scholis ita degunt, primum, ut non intelligant suum officium: deinde, ut hoc ocium literarium collocent in turpissimas uoluptates, et sumant sibi licentiam omnium scelerum, quasi scholæ non ueriratis et iusticiæ, sed petulãtiæ officinæ essent. Quo animo homines pij ueniunt in tẽplaad facienda sacra, eodem animo uos quoq; in scholas accedere oportuit: Hic enim res diuinæ tractãtur. Et magna cura adhibẽda est, ut nostra sacra recte faciamus, ne nostra insciti a aut aliqua alia culpa artes corrũpantur. Nõ minus piaculũ est, corrumpere artes, quàm ceremonias in tẽplis cõtumelia afficere. Ideo scholis nomen inditum est ab ocio, ut Respub. testetur se liberare nos à sordidis operis, ut dediti esse rebus diuinis postimus. Addidit etiam præmia, sicut militibus: Etsi autem utilitates sunt exiguæ, etsi indocti non solum contemnunt, sed etiam crudeliter oderunt literas, tanquã uincula cupiditatum suarum, tamen Deus nõ patitur omnino deesse præmia docẽtibus literas, & discentibus. Et quo melius quoq; Respublica constituta est, eo est erga studiosos liberalior.

Increpatio.

Præmia.

Interim

Interim nos decet Philosophico animo fortuæ iniquitatē ferre, et intelligere causas, quare optimæ quæq; res maximè sunt spretæ uulgo. Deinde incommodis etiam opponamus commoda, uidelicet, dignitatem professionis, & sanctitatem, postremo etiam iucunditatem. Itaq; de hac etiā pauca adiiciam, uidelicet, nullum uitæ genus iucundius esse, quàm uitam scholasticam.

Scholasticum uitæ genus iucundissimum.

Omnes sanæ mentes incredibilem uoluptatē percipiunt ex ueritatis agnitione: Nā ad hanc assequendā maximè cōditi sunt homines. Hanc uoluptatem in scholis multæ causæ augent. Primum enim magna ibi artium uarietas est: Omnium disciplinarum professores esse solent, qui cōsuli possunt in qualibet arte: Est et frequentia discentium, in qua magna dissimilitudo est ingeniorū et iudiciorum. Quare nostras cogitationes cum multis conferre possumus, audire quid alij iudicent, imitari meliora exempla. Hinc enim est illa apud Hesiodum laudata contentio, de qua dicit, uicinum à uicino ad diuitias properāte, inuitari. Ideoq; apud Euripidem uerè dictum est, Cōmunicatione opinionum in magna frequētia repertas esse artes. Et Cicero ait, magnā uim in discendo habere studium conferendi, quod συζήτησιν uocat ipse. Et Salomon ait: Ferrum ferro acuitur, ita uir excitatur

Varietas.

συζήτησις.

à uic

à uiro. Significat enim tum admoneri ingenia collatione consiliorum atq; opinionũ, tum exemplis excitari. Propter has tantas utilitates libenter in hac frequentia uersari studiosos conuenit. Postremò natura fit, ut similes delectentur similium consuetudine, maximeq; hi, qui similibus artibus dediti sunt. Ipsa etiam celebritas delectat animos, iuuat uidere bene compositos choros docentium et discentium. Nullum acroama dulcius est, quàm audire de optimis rebus, deq; omni uarietate nature, de Repub. de religionibus, quid alij peritiores sentiant. Vetus est dictum: Extra uniuersitatem non est uita, quo significabant iucundissimam esse uitam in scholis. Id dictum opinor ortum esse ab eruditis et prudentibus, qui intelligebant, & quantam hæc consuetudo, et cõmunicatio sermonis uim habeat, et quantã pariat uoluptatem. Delectat bonos et uirtus illorum, qui liberaliter impertiunt doctrinam alijs, qui ex animo consulere posteritati conantur. Etsi autem in tanta infirmitate humani generis nullus est ordo, nullum uitæ genus prorsus sine uitio, tamen in scholis minus aliquantò est fuci, odiorum et aliarum malarum artium, quàm in alijs multis uitæ generibus. Primum enim doctrina liberalis flectit mediocria ingenia ad uirtutem. Nec ferè quisquam adeò est ferrea

Similitudo.

Minus maliatque fuci in scholis.

ferrea natura, ut literis et mediocri disciplinâ aliquantò fiat mitior. Est autem multò iucundior consuetudo cum eruditis, qui causas omnium honestorum officiorum intelligunt, quàm cum indoctis, quorum iudicia multis in rebus dissident à nostris. Deinde illud affirmare ausim, eum qui in studijs assuefit ad amandam et inquirendam veritatem, amare candorem ac simplicitatem etiam in moribus et in uita. Sed doctrina Sophistica depravat uoluntates, transfertur enim calumniandi studium ad mores. Vt autem quisquis est studiosissimus, ita maximè incensus est amore ueritatis, & Sophisticen odit acerrimè. Dulcissimus autem conuictus est cum eruditis et candidis, qui prospiciunt quid deceat, et certa quadam ratione moderantur omnes actiones, et animi impetus, quasi freno regunt. Itaq; nec dulciores, nec firmiores sunt amicitiæ, quam Philosophicæ, hoc est, eruditorum amicitiæ, & societate studiorum contractæ. Iam è regione confer ad hæc scholastica sodalitia, consuetudines cum illiteratis, in quibus etiam si qui boni uiri sunt, tamen minus suauitatis habent congressus cum illis, quia de doctrina nobiscum colloqui non possunt. Ne Lelij quidem, et Scipionis amicitia tantum suauitatis habuisset, si fuissent ἀμαθοί. Sed angustia temporis non sinit nos omnia

Philosophicæ amicitiæ.

uitæ scholasticæ commoda colligere et illustrare. Hæc autem recensui, primùm, ut adolescentes intelligant & ament uitæ genus in quo uersantur: Deinde cogitent, quanta uicißim requiratur ab ipsis diligentia, quãta in omni officio moderatio, ut hoc uitæ genus ornent. Literati in summo fastigio rerum humanarum collocati sunt. Quare ut muneri omnium difficillimo satis facere poßimus, adhibenda est acerrima contentio animorum in docendo. Est & sanctißimum uitæ genus, & Deo gratißimum, conseruare et propagare doctrinam uitæ utilem. Sciamus igitur Deo pœnas daturos illos, qui moribus suis dedecorant scholas, qui nõ conferunt aliquid operæ, ad doctrinæ conseruationem.

Postremò iucundißima est uita scholastica. Quare digni odio sunt, qui uelut Centauri, aut Lapithæ tumultuantur in scholis, & tranquillitatem uniuersi cœtus interturbant, disciplinam soluunt, qua soluta, dißipari societatem necesse est. Sunt & boni adhortandi, ut hæc commoda in conspectu habeant, eaq; opponant incommodis, quæ multos abstrahunt à literis: Plus ualeat apud bonos dignitas literarum, et publica utilitas, quàm iniqua uulgi iudicia, quàm odia Tyrannorum, quàm paupertas.

Sic

Sic affectos esse iudico hos iuuenes, qui eò gratiã petiuerunt, ut se publicè obligarent ad destinationem literarum. Iure igitur hunc animum eis gratulamur, eosq; usitatis honoribus ornandos censuimus. Dixi.

DE GRADIBVS DISCENTIVM Oratio Phil. Mel.

NOtus est Ennij uersiculus de ueteribus moribus conseruandis: Moribus antiquis res stat Romana uiris q;. Idẽ profecto in reliquis artibus præstiterit seruari in faciendis gradibus discentium, qui non mediocri prudentia à maioribus instituti, nunc errore quodam hominum, qui uidentur conspirasse ad abolendos semel omnes ueteres mores, delendamq; uniuersam ciuilem disciplinã, antiquantur. Neq; ego nunc suggestum conscendi digladiaturus cum eo genere, tantum adolescentes cõmonefacere decreui, quo consilio et olim gradus instituti sint, et quantum ad communia studia literarum momenti adferat illorum conseruatio. Est autem ad eam causam opus mihi æquitate uestra auditores, plerosq; enim tantum fastidium cœpit istius moris, ut tantum non tota

Antq

Anticyrã putẽt deſtinandã eſſe his, qui titulos iſtos graduũ decerni ſibi poſtulãt. Ab his pro meo iure peto, ne nos ex hac ſchola exibilẽt, ne explodant, priuſquã orationem noſtrã cognouerint. Nã pronunciare, cum nondum cognoueris cauſam, id uerẽ eſt iniuſti et barbari iudicis. Et ego me ſanis omnibus ſatisfacturũ eſſe in hoc negocio recipio.

Graduum defenſio.

Eſt quædam in puerilibus ingenijs infantia et imbecillitas, quæ non ſufficit pluribus artibus ſimul diſcendis, ſed ſenſim per gradus quoſdam, ad grauiores artes traducendi ſunt pueri, dum ad ſtigum artium peruenerint, hoc eſt, dum parauerint ſibi ſcientiam non ſtultè de rebus humanis iudicandi, et mediocrem quandam ſermonis copiã, ad docendos alios, demonſtrandamq; uim, naturamq; uirtutis. Et quemadmodum non ſtatim cibis durioribus ora infantium ſatis firma ſunt, ſed lacte diu aluntur, poſtea præmanſo cibo, donec grandeſcãt: ita pinguißima quæq; facillimaq; deliguntur, quæ infirmæ primum ætati tradantur, deinde ordine diſciplinæ reliquæ. Itaq; prudẽtes uiri in ſcholis deſcripſerunt claſſes quaſdam puerorum, ut ſecundum ingenij uires, alij alijs diſciplinis adhiberentur. Et in ſua quiſq; claſſe, tanquam intraſepta detineretur, ne imparatus, et tanquam ſus in roſas irrueret ad obſcuriores artes. In hũc

Simile.

Claſſes ut ſeptã.

modum gradus quidam facti sunt adolescentiæ, ut primũ Grammatica, Dialecticaq; traderẽtur, quæ primæ artes, planissimæq; sunt. Vbi uidebantur has perdidicisse, non temerè ipsi ad Physicen, aut alias artes irrumpebant. Sed præceptores explorabant uires adolescentium, qui si probarentur, admittebant ad reliquas disciplinas. Superadhuc hoc seruabatur in scholis, ne quis attingeret Physicen, aut Mathemata, nisi antea in Grammaticis et Dialecticis diu multumq; uersatus. Postea præceptorum iudicio tradebatur ulterius. Baccalaurei. primus ille gradus à Lauri bacca nomen habuit. Erant enim honesto titulo pueri ornandi. Post Physicen, Mathemata, Ethica percipiebant, priusquam salutabantur hæc à limine tantum, diu immorabatur iuuentus, dum penitus cognosceret, dum longo usu iudicium confirmaretur. In his tanquam præludijs grauiorum disciplinarum, cum iam satis uiderentur exercitati, præceptores præmittebant, ut Sacra, aut Medicinam, aut Ius publicum attingerent, ad quas disciplinas usum puerilium literarum magnum & acerrimum iudicium uidebant adferri. Itaq; prius explorabantur hic etiam uires adolescentium, Magisterium fecerunt clausit titulum. Profectò plurimùm refert, quomodo instruantur, præparenturq; ad sæueriores disciplinas

tas adolescentes. Non sunt longè petenda exempla, nostri seculi morem uideamus. Statim ubi in publicam scholam missi fuerint adolescentes, putant sordidi ingenij esse, diu hærere in Grammaticis, aut similibus nugis, properant alij ad sacra, nulla linguarum, nulla dicendi scientia antea parta, nulla humaniorum ac ciuilium morum cognitione, discunt inepté rixari de sacris rebus, nec ad uitæ usum comparant. Volo ego quidem omnium ætatum, omnium uitæ partium esse religionis studium, sed ea proponantur pueris, quæ assequi possint, quæ pietatem alant, quæ mores formẽt, non unde petant rixandi materiam.

Eruptio in artium facultates.

Quid de alijs professionibus dicam? In iure dicendo uideas uersari, qui nullũ prorsus usum aliarum literarum habent, cùm tamẽ illud ipsum ius ex Philosophorũ ac Rhetorũ literis, tanquam ex fonte ortum sit. Iatricæ uerò manus admouere, nisi Physicen didiceris, est sine pennis uolare. Nã clinica illa medicina tota ex ea Philosophiæ parte nata est, quæ elementorum cognitionem, motus uarietatem, corporum naturã tradit. Porrò dum hoc modo non perpoliti puerili doctrina irruunt ad seueriores artes, infirmo iudicio literæ omnes, artesq; fœdè conspurcantur. Et quia ex literis rerum publicarum status comparantur, fit, cùm

parum sani pro cõcionibus et iudicijs regnum rãt, ut uariè quassentur Resp. Profectò satius est nullas literas attingere, quàm hoc modo tractare. Diuerant pueri Grãmaticis, Dialecticis, ac Rhetoricis alligandi. Multum temporis postea collocandum in Mathemata, & reliquam Philosophiam. Vbi maturuisset iudicium, tum erant adhibendi ad eas artes, quibus Respub. gubernantur.

Græci agricolæ.

Græci agricolæ, cùm uiderent matureſcere ſegetes, certo tãtum temporis ſpacio, non colonorum opere, aut ſoli natura, dixerunt: Annus producit, non ager. Cumq; animaduertiſſent ſæpe immaturas ſegetes demeti magno damno, et fructum laboris ſuperioris perire, prouentum uniuerſum ſuo tempori tribuêre, & patienter expectari uoluerunt iuſtum meßis tempus. Ita mihi in ſingulis partibus literarum, temporis habenda ratio uidetur, et ut admoueantur ad eas artes adoleſcentes, quibus ingenij infirmitas adſequendis par eſt, & tantiſper detineantur in his, donec maturuerit iudicium, nec meſſem properẽt facere ante tempus. Et quia facile iuuenilibus animis obrepit ſatietas præſentis ſtudij, ut in eo detineri diu ſine magno negocio non poſſunt, ideò gradibus tanquam cauueæ includendi uidentur. Vbi omnibus animi uiribus cogantur in unum aliquod, ac certum negocium

Temporis habenda ratio.

cium, quantum satis est, incumbere. Est omnino, ut de alijs omnibus rebus, utiliter præceptum, βραδέως σπεύδειν. Ita in studijs non aliud perinde refert, quàm ne intempestiuè properemus. Nunc fit, ut cùm uarias disciplinas peruagentur sine ordine, sineq; ratione, nullam penitus cognoscant, nullaq; de re prudenter iudicare queant. Et ut erones nullos certos lares habent, nusquam domi sunt, & ut inquit Martialis: Quisquis ubiq; habitat, maximè nusquam habitat. Ita illi, cùm tamen omnibus disciplinis sint hospites, nullam habent familiariter notam. Neq; enim fieri potest, quemadmodum reliquit scriptum Xenophon, ut qui multa simul facit, omnia ritè faciat, nec sufficit animus iuuenilis uarijs ac diuersis studijs. Hoc in consilio fuit authoribus graduum in scholis. Neq; ego nunc quenquam esse puto tam impudentem, qui hanc rationem damnare ausit. Quid enim in studijs conducibilius est ordine? hunc classibus gradibusq; factis conseruare conabantur. Vos etiam adolescentes, ut quanta fide potest fieri ac religione, detis operam, ut in discendo, iusto quodam ordine utamini. Nam hac confusanea discendi ratione, nisi Deus aliquis opem tulerit ac ciuis rebus, uereor ne res humanæ funditus euertantur. Dixi. Festina lente.

ORATIO DE STVDIIS ADOLescentium habita cum titulis Baccalaureorum decerneretur quibuſdam, & ſcripta à Vito Vuinſemio.

MIRabitur fortaſſe aliquis, quid nobis in mentem uenerit, ut hunc morem publicè decernendi iſtum primum ſcholaſticum gradum, tot iam annorum ſpacio intermiſſum, ac uelut exoletum, hoc potiſſimũ tempore in ſcholam reuocaremus. Et fortè non deerunt qui conſilium hac in re noſtrum ut ocioſam περιεργίαν, uel inanem oſtentationem irridebunt, quibus in præſentia nihil attinet reſpondere, cum uiris honeſtis ac prudentibus hoc noſtrum inſtitutum probari non dubitemus. Sed tamen ut adoleſcentes & de gradu ipſo honorificentius ſentiant, & hæc ſtudia magis ament, ac pluris facienda ducãt, decreuimus utraq; de re, nempe de hoc gradu & utilitate examinum, atq; de his primis artibus paucis in hoc cõſeſſu dicere.

Cauſæ promotionum non leues.

Non enim leues aut negligendæ fuerunt cauſæ, quæ uiros bonos ac doctos mouerunt, ut hunc primum

rium & peruetustum Academiarum morem, nec sine grauissimo consilio à maioribus institutum, reuocatum ac retentum cuperent. Quemadmodũ enim primis illis scholarum parentibus necessarium uisum est, hæc examina, et discendi ordinem instituere, ita nostri præceptores has suas esse partes iudicauerunt, operam dare, ne quod tale exercitij genus in schola desideraretur, & si quid ex his ad tempus prolapsum, aut intermissum foret, ut id rursum instauraretur, et quantum eius fieri posset, conseruaretur. Quorum nos authoritatem secuti, non curiositate quadam, neq; enim ita ocio abundamus, nec propter ostentationem aut ambitionẽ, cùm nostra tenuitas nobis nõ sit ignota, sed ut utilitati scholæ, & discentium commodis pro nostra uirili parte consuleremus, hoc officium publicè promouendi Baccalaureos liberalium artium suscepimus. Quamuis enim hic primus gradus uerius puerilis quidam ludus, quàm res seria uideri possit, usu tamen compertum est, tantam eius utilitatem esse, ut non parum ad officium & fidem eorum qui præsunt, pertinere uideatur, operam dare, ut in schola non retineatur modò, sed et quàm maximè uigeat ac frequentetur. Nam primùm, si spectabimus utilitatem, quam affert consuetudo examinum, præsertim huic ætati, in

Primus gradus ueluti lusus.

cuius præcipuè gratiam hi primi gradus instituti sunt, tantam eam comperiemus, ut nulla amplior, nec uberior in schola possit esse.

Examina curam acuunt.

Quanti enim refert, quod examina discendi curam acuunt, studium, uigilantiam, ac solicitudinem augent, et ad omnia quæ traduntur diligentius obseruanda, ac perdiscenda alacriores & excitatiores reddunt. Metuit enim pro se quisq; ne quid se fugiat, quod tenere oporteat. Tum ut accuratius perfectiusq; omnia excutiat ac perscrutetur, eadem hæc solicitudo stimulat, cùm sciat sibi omnia dictata reddenda in examine, & perspicuè explicanda esse. Hic metus acerrimus est προτρεπτικὸς, ad discendi laborem ac uigilantiam animos accendens urgensq;, qui si absit, uidemus quàm frigidè, ac somniculosè studia tractentur. Verùm examinum cura, & solicitudo apud eum quem excubans, non sinit eum obdormiscere, sed expergefacit, ac uelut sedulus & acer paterfamilias instat & urget, ut suum studiorum pensum persoluat. Quapropter hæc ex multis causis usus fuit ueteribus instituendi examina & gradus, ut his uelut calcaribus incitarent discentes.

Quomodo aliorum scripta euoluenda.

Rectè monuit Fabius scripta euoluēda esse cum tali sollicitudine, quasi nos ipsi ita scripturi, uel dicturi simus, quod ita fiat, ut uigilantioribus oculis

lis omnia lustremus, nihil nobis elabi patiamur, quod obseruatu dignum sit, & ad omnes uirtutes scriptorum expendendas attentiores reddamur. Idem in consilio fuit his, qui examina instituerunt, nempe, ut circumdarent curam discentibus omnia plenius & exactius cognoscendi, ut aliquid integri, ac solidi perciperent, nec uagabundi in studijs oberrantes, extremis tantum labris uaria degustarent, hinc inde concisas sententiolas & mutilata membra uenantes, quod nunc à multis fieri uidemus, qui cum excutiuntur, ita stupidi atq; ignari, ut turpe sit, deprehenduntur. Dum enim in hoc uno studium omne suum consumunt, ut fragmenta quædam ex scriptoribus colligant, fit ut nullius rei integram ac perfectam cognitionem consequantur: à quo uago & inutili labore examina discentes, uelut in certam uiam reuocant. Nec ad non necessaria & inutilia respectare sinunt, sed in ijs, quæ necessaria sunt, ordine quodam discendis continent. Parit uerò istam in discendo diligentiam præcipuè hæc sollicitudo, cum scimus nobis in examine uelut rationem reddendam esse eorum, quæ tradita sunt, & magis se intendunt animi in ea, quæ ipsi tanquã nostra alijs exponere atq; explicare cogimur, & illæ ipsæ imagines magis euidenter in animis lucent,

ac firmius defiguntur, quas ipsi de rebus doctrina perceptis tractatione & oratione effingimus, atq; exprimimus. Nam quæ auribus tantum hausimus, aut ex lectione percepimus, ea tanquam umbræ per somnium obseruantes incerta hærent, & facile inde fugere atq; excidere solent. Quorum uerò ceu uiuas imagines commentando atq; agitando impressimus, ea uelut altius actis radicibus hærent tenacissimè, nec euelli se, aut excuti facile patiuntur.

Est enim commentationis atq; agitationis uis maxima in omnire, plenè perfectéq; percipienda ac discenda, sine qua auditionis & lectionis fructus sterilis, ac prope nullus est. ἐυρετικὸς autem, ut uerè dictum est, omnia potest, & agitando atq; inquirendo omnes artes inuentæ, ac excultæ sunt, estq; ea uel sola omnis doctrinæ effectrix. Quemadmodum enim leonum fœtus informes ac mortuos ædi memorant, & deinde longis parentum uociferationibus uiuificari, ac spiritum recipere, ita primi fœtus ingeniorum, hoc est, primæ imagines quas de rebus uel auditis, uel lectione perceptis, concipimus ac gignimus, mortuæ sunt & informes, quæ deinde dum cerebro de ipsis cum alijs colloquimur, ac commentamur, ab ipsa uiua uoce & tractatione ceu uitam, & per

ἐυρετικὸς.

Leonum fœtus

& perfectam formam recipiunt. Et uerè dictum est ab Aristotele: Id primum certum signum esse, quod aliquis quidpiam rectè sciat, si de eo ipso loqui, & alium docere possit. Eam gratiam debemus examinibus, quæ uelut uita sunt studiorum, sine quibus lectio omnis & meditatio mortua est. Huc accedit, quod ijs multi errores temereconcepti, & hærentes in animis corriguntur, eximuntur opiniones falsæ, quæ uel per ætatem, uel ex aliqua fallaci specie, uel institutione corrupta, uel artium præceptis male intellectis, accommodatisúc in animis hæserunt. Et ob hanc præcipuè causam ea à ueteribus instituta uidentur: non enim adolescentum studia temere, ac sine lege fluere, sed huic examinum censuræ subiecta esse uoluerunt. Neq; enim eos fugiebat omnes artes peccando disci, & ut fertiles agri multum gignunt spinarum, atq; inutilem herbarum, quibus subinde sunt repurgandi ac sarriendi, idem etiam ingenijs & quidem fœcundis solet accidere: sæpe enim fit, ut falsas rerum imagines pro ipsis rebus adprehendant. Et quemadmodum Ixion cum nube concumbens, cum putaret se Iunonem amplecti, Centauros gignit, sic ex falsis umbris, quas pro ipsa ueritate cõsectamur & arripimus, prodigiosæ opiniones nascuntur,

Agri.

Ixion.

tur, quæ niſi maturè & antequam altius radices egerint, animis euulſæ ſint, in perniciosos Enthuſiaſmos, ac Reipub. errores deinde erumpunt. Nam ut lolio, tribulis, lappisq; & alijs id genus inutilibus herbis ſuccreſcentibus, ſegetes opprimuntur, ac præfocantur, & ſterileſcunt agri: ita falſis opinionibus, ſi confirmentur, nec maturè extirpentur, atq; ijs uelut repurgentur mentes, ueritas opprimitur, & expugnatur. Ad id uerò non eſt aliud aptius remedium, quàm examina. His enim explorantur ingenia, ſi quid adhuc deeſt, ijs oſtenditur, ſi quid uitij aut errorum hæſit, corrigitur atq; euellitur. Eſtq; hæc uelut ſarritio ſtudiorum, ita neceſſaria, ut ſi omittatur, non modo uera ac ſolida doctrina nulla poſſit conſtare, ſed ipſius loco infiniti errores ſuccreſcant. Vt taceam quod illæ communicationes & colloquia etiam facundiam alunt, & afferunt quandam animis conſtantiam, ut et accipere ac intelligere ea, quæ proponũtur poßint, & aptè ad quæſita reſpondere. Videmus enim nonnullos ſerio de re quapiam interrogatos ita perturbari, ac uelut attonitos obmuteſcere, ut uix animi compotes eſſe uideantur. Eorum deinde, ſi quid ſerio diſcendo etiam conſecuti ſunt, nullus uſus eſſe poteſt. In hoc enim omnis ſtudiorum fructus ponitur,

Examina uitia corrigunt, & facundiam alunt.

tur, ut expromere, in lucemq; proferre, ac explicare idipsum, quod scias, possis. Vt enim occultæ « «
Musicæ, ita mutæ atque infantis doctrinæ nulla « «
gratia est.

Examina uerò ut iudicium formant ac limãt, animos confirmant, acuunt ingenia, ita linguam quoq; expeditiorem efficiunt, celeritatem quandam cogitandi, & promptitudinem respondendi afferunt. Magna hæc quidem sunt, sed est et alia non minor utilitas examinum, quod cohercent ac cohibent cursum studiorum intra certos limites: Adolescentes enim nisi intra certa, uelut septa cõtineantur, ceu nauis in medijs fluctibus rectore destituta, ita ipsi incerto cursu fluctuant, & si quid etiam instituunt, id nullo ordine tractant. Vnde operam illis omnem in discendo consumptam perire necesse. Et gignunt plerunq; hæc tumultuaria ac uaga studia, uanam persuasionem eruditionis, qua nihil nocentius est, ea deinde inflati tument, cum de rebus omnibus indoctissimè ac stolidissimè iudicent: Cum ea enim inscitia coniuncta esse solet insignis arrogantia ac pertinacia, unde fit, ut plerunq; tales Rebuspub. uel Ecclesijs præfecti, tumultibus deinde omnia misceant. His malis tantis medentur examina, & quod maximum est, uanam illam persuasionem doctrinæ, atq; arrogan-

Studiorum cursum intra limites tenent.

Persuasio. rogantiã, animis eximunt, qua non est alia pestis cum rebus omnibus, tũ uerò præcipuè studijs pernicioſior. Sæpe enim aliquis criſtas tollit antichpus, et putat ſe iam uel nouem artium liberalium Magiſtrum eſſe, qui cum examine excutitur, nihil aliud, hoc certè tamen docetur, quod adhuc minus ſciat, quàm ipſe ſe ſcire putabat, et iſto ſtulto atq; pernicioſo errore liberatur. Quanto autem ingenia fœcundiora ſunt, ac magis præcoci, tantò plus ab hac peſte periculi eſt. Videmus enim φιλαυτία fœliciſſima pleraq; ingenia in medio ſtudiorum curſu corrumpi, ac uelut in herba enecari, dum ſibi iam nimis placere incipiunt, & ipſos & ſua impenſe admirantur, attollunt ſupercilia, quibuſuis iam ſe præponunt, quoſuis præ ſe contemnunt, faſtidiunt iam hæc, iam illa, cenſuram ſibi de dogmatis ſumũt: nulli amplius præceptores, nulli propemodum libri, aut ſcriptores tam emunctæ naris iudicio ſatisfaciunt. Admoneri autem ſe aut doceri, pro indigniſſimo ducunt, ſtatim coarguti excandeſcunt, quid ni? non enim labi poſſe, aut errare uideri uolunt. Non Tygrides atrocius, aut infeſtiore ira, protulis depugnant, quàm illi pro ſuis erroribus defendendis. Quid hos facturos putemus, ubi ſe aſſecti ad Reipub. aut Eccleſiæ gubernacula acceſſerint,

tesserint, & autoritatem ac potentiam aliquam cum isto supercilio & inscitia coniunxerint? Ecquos uos unquam homines audistis pernicioſiores Ecclesijs, aut Rebuspublicis extitisse? Atqui talis arrogantia et alitur & confirmatur in animis, si nulla agatur de studijs censura, ingenia non explorentur coarguanturque, nec moneantur, quid adhuc illis desit, & quàm longè adhuc absint ab eo gradu doctrinæ, ad quem iam euasisse sibi uidebantur.

Quapropter si nihil aliud utilitatis afferrent examina, uel ob hanc unam causam tamē in scholis retinenda erant: Quod duabus maximis pestibus studiorum quæq; plerunq; coniunctæ solent esse, medentur, nempe, ignauiæ & arrogantiæ: ad eximendum enim torporem, & excutiendam somnolentiā, uix aliud calcar est acrius et efficacius. Deinde ne nobis ipsis immodicè placeamus, aut ultra nidum, ut aiunt, pennas extendamus, salutare est uitia atq; errata nostra nobis ostēdi, et assuefieri nos, ut patienter feramus nos redargui ac corripi, ne protinus omnia somnia nostra exosculemur, et pro oraculis adorāda ducamus. Quæ uana persuasio nisi corrigitur, pernicioſissimos deinde errores parit. Narcissus in fabulis Poëtarum, dum nimium sese amat, contabescit, peritq;

Duæ studiorū maximę pestes.

Fabula de Narcisso.

peritq; & ipse & illa falsa imago, in quam intopere deperibat, et nunc mutatus in florem, monet nos, serò floreſcens, ne nimis maturè & ante tempus ſapere incipiamus, neúe nos aut noſtra mis amemus atq; admiremur. Quod cum in omni ætate odioſum eſt, tum uerò in adoleſcentia prouſum intolerabile. Nam ut ab uſu rerum ſolidaqúe ac perfecta doctrina & ſapientia hæc ætas adhuc longiſſimè abeſt, ita has res non poteſt ſibi arrogare ſine ſumma turpitudine ac uanitate.

Simile à fructibus.

Vt enim uuæ & poma non in uere, nec in æſtate matureſcunt, ſed in autumno primum, paulò ante hyemem: ita doctrinæ fructus ingraueſcente ætate, ac paulò ante hyemem, hoc eſt, iam ſenectute inſtante, primum ſolent matureſcere. Et ut uuæ ac poma ante tempus decerpta, nec eſui ſunt, nec ulli alij uſui idonea, ita ingeniorum immaturi fructus acerbi adhuc ſunt, & ſalutare eſt adoleſcentibus oſtendi, quam nunc primùm florere, aut rubere cœperint illi fructus, necdum maturuerint: & moneri, quo cultu, quibus auris & ſolibus, et qua benedictione diuina adhuc ſit opus, ut læti ac maturi, talesq; fructus proueniant, quibus Reſpub. et Eccleſia deinde ſalubriter poſſit uti. Hoc efficiunt examina, quæ cuiq; quouſq; progreſſa ſit, & quid uiæ adhuc reſtet, oſtendunt, ne ſe iam meta-

metam superasse putent, cum uix dū septis excurrerint: cum igitur quædam modestiæ ac disciplinæ officina sunt, tum uerò etiã ad κοινωνίαν, hoc est, studiorum communicationem mutuam atq; in cõferendo & disceptando facilitatem, humanitatemq; adsuefaciunt. Quidam enim in his congressibus magis sunt intractabiles ac morosi, quàm homines doctrinæ studijs excultos decet. Alij porrò sublimi arrogantia subnixi, suã, si qua est, eruditionem ceu Regum Persarum mysteria celant, & sola maiestate ac tenebris tutam censent, cum nihil promant, nihil quidquam de suo in medium proferant, cum nemine communicent. Hos si excutias, inuenias plerunq; inanes, & hoc est cur examinari atq; excuti tantopere fugitant, metuunt enim, ne de sua autoritate aut existimatione plusculum amittant, si se aperiant. His permittamus ut aliorum opinione magni doctiq; sint, sua maximi ac doctissimi tumeant quàm uelint, et uel ranæ Æsopicæ exemplo cum tauris certent, donec ad summum inflati crepent. Qui rectius mente ualebunt, hi non errare magis uolent, quàm uiam doceri, atq; examina & istos congressus, ut saluberrimos studijs atq; utilissimos magnificient, quodq; poterunt, de suo quoq; ad ea tanquam ad aliquod magnum publicum bonum conferent.

Disciplinam custodiunt.

Diximus de examinum utilitate, & si ulla ta & tam multiplex est, ut nec in hac temporis angustia, neq; à me homine ad dicendum minùs instructo satis commemorari possit. Nostris autem temporibus iuuentus his τριβῶις magis etiam opus habet, quòd hæc ætas, ut alijs in rebus à legum uinculis libera uult esse, & magis quàm modo antehac ulla, contumax ac freni impatiens, ordinisq; & disciplinæ contemptrix est, ita animum quoq; præcepta respuit atq; adspernatur. Quæ utrum nocentius sit, haud facile dictu fuerit, cum alterum Rerumpab. alterum artium ac doctrinarum ruinam trahat. Quæ duo, nempe leges & doctrina, ut fœdere quodã inter se iuncta sunt, similiq; et florere et intercidere solent, ita cum sunt labefactata immani barbarie ac uastitate, omnia uoluui necesse est. Quo maiore cura & contentione uiros honestos his præsentibus malis, quæq; his haud paulò grauiora impendere uidentur, omni genere remediorum occurrere decet. Nec uero hæc examina ad disciplinam conducunt, licentiam temporum nonnihil reprimunt, discentium curam augent, et certa lege atq; ordine studia gubernant, atq; ad ea discẽda adigunt, quibus religio moresq; boni, ac uera et solida doctrina continetur. Nam ea quæ ad hunc gradum instituí solent

examina,

xamina, non solùm Grammaticæ & Dialecticæ exercitia sunt, sed quædam etiam κατηχήσεις Ecclesiasticæ doctrinæ. Exiguntur enim rudimenta pietatis ab adolescentibus, & si quæ parum cõmodè opiniones de religione fortè perparam hæserunt, animis euelluntur, atq; aduersus multos noxios errores pectora muniuntur. Quod quàm operæ precium sit, his præsertim temporibus, non satis dici potest. In hac enim tanta securitate hominum & incuria ac negligentia religionis, necesse est hanc teneram ætatem quoq; uelut publica contagione infectam, prophanam, ac pietatis contemnentem fieri: quæ cùm sit seminarium Ecclesiæ ac Rerumpub. & in hoc ueterno huius seculi tam tõq; contemptu religionis succrescat, satis adparet, quàm horribiles tenebræ ac uastitas posteros nostros sit exceptura. Cùm alioqui, quemadmodum semina ac plantæ in singulos annos degenerare solent, fato quodam omnia successu temporum in peius trahente, ita homines quoq; singularum ætatum deteriores nasci, ac semper à superioris seculi ingenio et moribus lõgè degenerare uigeamus. Quare ut agricolæ arte ac diligẽtia, dũ quot annis maxima quæq; manu legunt, illi seminũ mutationi mederi studeant, ita uiros honestos quosq; cum suorũ temporũ uitijs pugnare oportet, quod

Religionem stabiliunt,

nisi fiat, omnia breui in præceps ruitura videamus. Ad eundem modum nisi totis uiribus nitatur horum temporum negligentiæ atq; inscitiæ, metuendum est, ne ad posteros magna ex parte religionis doctrina, & cæteræ quoq; disciplinæ fiant interituræ. Nam Ecclesia, non iam dicam alumnis uel discipulis, Doctores certè non habitura, et dispensatores mysteriorum Dei, cùm negligatur uerbi diuini tractatio. Deinde quam putemus militiam in superioribus disciplinis fieri, cùm in his primarum artium rudimentis nullum sit tyrocinium? Non igitur debet prætermitti ulla occasio, qua utcunq; rerum tantarum ruina fulciri ac prohiberi possit. Examina uero quæ trunq; præstant, fouent studium Ecclesiasticæ doctrinæ, & ad elementa pietatis perdiscenda adiungunt adolescentes, nec ea prorsum negligi aut intercidere patiuntur, & harum primarum artium Grāmaticæ ac Dialecticæ rudimenta conservant. Scimus autem quàm difficulter ad ea discēda compellantur adolescentes, propterea quod, ut inquit Fabius dixit, plus habent operis quàm oblectamentis. Neq; obscurum est, quàm harum artium cognitio necessaria sit, ad quodcunq; omnino genus doctrinæ adspirantibus: Et quàm non infeliciter modò, sed & turpiter superiores disciplinas tra-

Difficultas discendi fundamenta.

ctent

int, qui hæc fundamenta neglexerunt. Quid enim in quacunq; alia disciplina efficiet, qui sermonis uim ac proprietatem ignorabit? Quomodo illi scripti alicuius sententiam uenabitur, cùm uerba & eorum structuram non intelliget? Quàm prodigiosa somnia finget, cùm ita ceu uia lapsus, orationis sensu destitutus, sententiam uelut in tenebris palpans prehensabit? Rebus quoq; eum destitui necesse est, quem oratio et uerba, quibus res sunt inuolutæ ac proditæ, destituunt. Rectè igitur Grammatica nutricula dicitur omniũ artiũ ac disciplinarum, et illicæteræ, hunc honorem et gratiam nutricationis libenter tribuunt: Sumunt enim ab ea unaquælibet certum ac proprium orationis genus, & arcẽt ac repellunt à se eos discipulos, qui Grammaticæ ubera prius non suxerunt. Quintilianus requirit uel præcipuè nutricis operam in formando pueri ore ac lingua, uultq; deligi non indiserta, & fabularum ac historiarum non ignara, quæq; cum primo lacte simul purum orationis genus, & quædam liberalioris doctrinæ elementa instillare possit. Quæ uerò nutricula potest ad hæc efficienda magis idonea esse, quàm Grammatica? Format hæc fingitq; os pueri tenerum, adsuefacit ad sermonis genus proprium ac certum, poëmatum atq; historiarum noticiam tradit,

Grammaticæ ueluti nutricula.

dit, & illo primo lacte eloquentiæ ac grauis doctrinæ pectora alit, subigit, præparatq; aliquando uberiorem cæterarum disciplinarum fructum. Non igitur tenuis aut ieiuna est eius opera, sed uel præcipua & ex omnibus maximè necessaria, etsi id in speciem minus adpareat. Nam quemadmodum fundamentis nixa sunt & fulciuntur ædificia, quæ si parum firma sunt, perit omnis ædificandi labor ac sumptus, & tamen ea neq; conspicua sunt, nec magnificentiæ aut splendori ædificiorum quidquam addunt, ita harum primarum artium cognitioni ceu fundamento innituntur omnes cæteræ disciplinæ, & si ipsæ per se minus habent splendoris aut ostentationis, hoc tamen maioris ac dignitatis obtinent, ut sine ipsis nullum genus doctrinæ disci rectè possit, uel tractari. Nam quæ monstra gignent in alijs artibus, qui sermonis, quem Grāmatica tradit, ignari erunt? Quæ uero prodigiosè iudicabunt, & quas Chimæras, quos Hippocentauros fingent, ad quamcunq; disciplinam proruent sese, qui Dialecticæ subsidio destituti, neq; rem obscuram definiendo explicare, nec ambiguam uidere aut destinguere, nec partes tam in partes suas distribuere scient, nec ordinem ullum, aut consequentiam rerum intelligent. Nihil firmi nec ipsi discere, neq; alios docere possunt.

Ædificiorum & artium fundamenta.

Dialectica.

runt, sucq; deq; incertis certa, uera falsis miscẽat necesse est. Commemorarem quàm noxij tales deinde homines Rebusp. ac Ecclesijs soleant esse, et quam sæpe ingentium tumultuum atq; cladium autores extiterint, nisi id usu atq; nostrorum etiã temporum experientia nimis notum esse arbitrarer, & angustia temporis me id facere prohiberet. Quapropter iam finem faciam, adolescentes adhortor, ut istum discendi ordinẽ, quem per hos gradus ueteres descriptum uoluerunt, & examina, quorum tam multiplicẽ utilitatem esse uident, non contemnant, sed statuant eos qui ista instituerunt usu atq; ætate plus uidisse, & fidelißimè doctrinæ studijs ac Rebusp. consultum cupijsse. Dissoluti ingenij est, cum sanctißimis maiorum institutis ac moribus pugnare, & nullas leges, nullum ordinem nosse, temerè omnia citraq; rationem administrare, Cyclopicum est. Quæ plus quàm barbarica uita, quia nostro seculo nimis placet hominibus, uidemus quàm multis ingentibus malis laborent his temporibus res humanæ, quantaq; sit omnium propè rerũ perturbatio ac labefactatio, & quàm non paulò grauiora, nisi deus singulari clementia prohibeat, impendere uideantur. Vt enim in cõcentu, si uox una ab harmonia dißideat, cæteræ omnes dissonare incipiũt, totaq; sympho- Concentus musicus.

nia perturbatur: Ita si una aliqua in re à legitima discedatur, consequitur alijs quoq; in rebus inordinata perturbatio atq; dissipatio ordinis ac disciplinæ. Quapropter ne minima quidem cõtemnenda sunt, præsertim si ad ordinis conseruationem pertinent, & absq; illis maiora teneri non possunt. Neq; uerò sine his primis artibus ulla doctrina constare potest, & hi gradus atq; examina hanc studiorum artium q; ordinem conseruant, prohibentq; confusionem ac perturbationem. Porrò qui ab his artibus probè instructi, ad superiores disciplinas accedunt, hi fœliciter in illis deinde uersantur, & fructus studiorum suorũ uberrimos percipiunt, reddunt q;: Est enim hæc prima ac puerilis institutio, uelut flos omnium deinceps prouentuum, quos redditura sunt ingenia. Ouidius:

Si bene floruerint segetes, erit area diues.
Si bene floruerit uinea, Bacchus erit.
Si bene floruerint oleæ, nitidißimus annus,
Poma quoq; euentũ tẽporis huius habent.

Dixi.

SERMO HABITVS APVD IVuentutem Academiæ Vuittenbergensis, de corrigendis Adolescentiæ studijs, Authore Phil. Melanth. Anno M. D. XVIII.

EXIMIA

EXIMIA PIETATE AC DOctrina uiro, Domino Othoni Beckman, Iurisconsulto, Canonico Vuittenbergensi, Philippus Melanthon. S. D.

NOn parum refert ad uitæ tuendæ rationes, quo genere literarũ rudis ætas initio formetur, cùm ob alia multa, tum hoc maximè, quod nihil efficacius est ad mutanda ingenia, moresq; hominum, literis: Nam ferè semper talis est unusquisq;, qualem studia faciunt. Nec mihi bonæ literæ, nisi quæ mentis bonæ sunt, uidẽtur. Itaq; præstat optimis iuuentutem erudiri, mores enim optimos optimæ literæ cõserunt. At uideas hodie passim in Germania tale quoddam genus iuueniliũ studiorum tractari, quod nõ modo sit ad omnẽ reliquam uitã inutile, sed omnino etiã pernicioſum. Etenim deserta pædeia, quibus nescio, nugis ingenia, cæterum fœlicia occupantur, ac franguntur, philosophiam ipsi uocant. Non hoc dico, quo à Philosophia studiosos auocem, sed hunc Philosophandi ordinem ac ductum nõ probo. Nec enim angustiis adeo finibus circũscripta est Philosophia, ut philosophari

Literæ.

Philosophiæ nugatrix.

nihil aliud sit, quàm nugari. Maxima eius pars contempta iacet, ea uidelicet, quæ sola humanitatis nomine maioribus nostris digna uisa est. Adolescens quispiam ad Xenocratem adductus, percipiendæ Philosophiæ gratia, cum nondum quicquam Cyclicorum attigisset, sapientiæ sacris prohibitus est. Sic enim ait Xenocrates:

οὗτοι παρ' ἐμοῦ πόκ' οὐ κναφθήσεται.

O nos fœlices, si recta studia Deûm fauore nostrâtur, quæ iam ferè caput exerere in Saxonibus cœperunt. Proinde iuuentutem nostram sermone nuper habito inhortatus sum, ut ad bonas literas animis adspiret. Atq; hoc unum egi paucis, ut intelligat quænã sit Barbaricorum, quæ bonorum studiorũ ratio. Neq; dubito, cui satis utrunq; genus cognitũ est, conaturũ totis uiribus, ut ea parte præstet, quæ & optima est, & ab optimis sola probatur. Quæ enim uesania fuerit, immenso labore, cura, nugas emere? Orationem tuo nomini Otho doctißime dedico δόσιν ὀλίγην τε φίλην τε. Debemus enim tibi, quicunq; literas profitemur, atque adeo ego multis sanè nominibus, quem pluribus quotidie soles officijs cumulare. Hoc igitur munus qualecũq; est, si de animo æstimes meo, amplißimum ac pulcherrimum accepisti. Vale Vuittembergæ Mense Octob. Anno M. D. XVIII.

Ne

NAE ego plane uidear impudẽs, atq; mei prorsum oblitus, in hoc cœtu Magnifice. Dn. Rect. Eximij Principes Academiæ, dicturus, quẽ cùm aliâs & ingeniũ, & umbratile studiorum genus ab huiusmodi theatris, & hac plausibili Oratorum quasi curia auocet, absterrere modo cum primis rei, quam acturus sum, difficultas potuit, ni me cum pietas in recta studia, tum officij mei rationes inhortentur, quo bonas literas ac renascentes Musas, quàm quod maximè cõmendatas uobis uniuersis uelim. Illarum enim causam suscepi tutandam, aduersus eos, qui uulgò sibi in scholis doctorum titulos ac præmia, Barbari barbaris artibus, hoc est, ui & fraude arrogarunt, & hactenus ferè malitiosis ingenijs homines retinent. Germanicam iuuentutẽ paulò superioribus annis alicubi conatã in hoc fœlix certamen literarum descendere, iam nunc quoq; non pauci, uelut è medio cursu, commento plusquam Thracio reuocant: Difficilius esse studium literarum renascentium, quàm utilius: Græca à quibusdam malè sciatis ingenijs arripi, ac ad ostentationem pararì: Dubiæ fidei Hebrea esse: Interim à genuino literas cultu perire. Philosophiam disertum irrẽ, & id genus reliquis conuicijs.

Barbaries literarum,

Cum

Cum isto grege indoctorum congressuro, quis non intelligat, uel Herculi non uno Theseo opus esse? Adeo susceptο negocio non parum æquo dicar audacior. Vt interim sileã uix posse hanc à me prouinciam administrari, citra modestiæ periculum, quæ dispercã, si quid nunquam rerum humanarum prius duxi. Ardeo enim amore recti, & quum studia uestra uehementer iuuari adolescentes cupiam, fiet, ut quædam liberius quàm isti uolent, dicam. At quãdo me huc siue ratio (ita enim uidebatur mihi) siue casus aliquis impulit, uolo hanc meã, Clarissimi uiri, caussam habere uos communem, quorum industria, consilijs, operaq; fit, ut passim à situ & squalore adserantur literæ, natiuumq; nitorem ubiq; recepturæ sperentur.

Ratio uera studiorum.

Placuit igitur paucis commonere iuuentutem illustris Academiæ nostræ, ut quantum ad summam præclari instituti uestri attinet, intelligat, quæ sit renascentium studiorum ratio, quæ illorũ quæ barbari maiores nostri è Scotis in Galliam, è Gallijs in Germaniam inuexerunt, ut ordine ac ductu generis utriusq; cognito, ipsi iudicetis, uetrum maiore commodo, periculo minore, liceat amplecti. Atq; in hoc omnis oratio mea incumbet, uti spem uobis elegantis literaturæ (de Græca & Latina loquor) faciam. Scio enim in ipso

ium

iam ueſtibulo pleroſq; nouitate rei, ſi non deterreri, certè angi. Præſtabat autem orationis argumentum, et quaſi filum, ab ipſis ſtudiorum fontibus, et omnium ſeculorũ literatis inſtitutis ducere: ſed ea ſcenæ alterius erunt. Iã quod attinet breuibus barbara ſtudia cum ſynceris cõmittam, docebo quibus auſpicijs Latina diſcẽda ſint, et Græca tentanda. Interim quæſo dicentem benigni audite, id quod à uobis uel ſingulare meum erga uos ſtudium, uel ipſa literarum dignitas impetrabit.

Annis ab hinc opinor octingentis, orbe prope uniuerſo à Gotthis commoto, & à Longobardis deuaſtata Italia, ſimul cum Romano imperio Romanæ literæ ſunt intermortuæ, quod unà belli furor & bibliothecas exciderat, et Muſas otio, ita ut fit, negato extinxerat. Scitis enim quàm non conueniat cum ſapientiæ ſtudijs, atque adeo ciuilium rerum cultu, Marti, quem fingit Homerus noſter cum Pallade acerbis odijs conflictantem, μαινόμενον, ut ipſe ait, τυκτὸν κακὸν, quo fere tempore Gregorius, quem iſti Magnum ego præſultorem καὶ διδάσκον Theologiæ pereuntis uoco, cæterum eximia uir pietate, Romanam Eccleſiam adminiſtrauit, & infœliciſſimi ſeculi caſum, quoad potuit, docendo ſcribendoque ſuſtinuit. Sub id ætatis nemo, ut uidetur, noſtrorum homi-

Ruina literarũ

Gregorius.

hominum fuit, qui aliquid insigne scriptum alijs ferros dederit.

Verùm hactenus in Scotis atq; Hibernis literas diuturna pax aluerat, clarebantq; hi cum alijs quibusdam, tum maximè uenerabili Beda, græcè & latinè haud uulgariter perito: ad hæc in Philosophia, Mathematicis: sacris sic erudito, ut cum uetustis quoq; conferri possit: Interim frigebat Italia, frigebat Gallia, Germania ut semper armis, quam literis instructior erat, eaq; tum potissimùm in Italia sæuiebat: nondum enim uniuersa Christum profitebatur. In hunc rerum statum Carolus natus, cum fines Romani imperij pacasset, ad instaurandas literas animum adiecit. Nam & ipse præter multarum rerum cognitionẽ, pleraſq; disciplinas, quæ scholis debent, expeditas & compertas habebat. Alcuinum ex Anglia in Gallias duxit, quo authore Parrhisij literas profiteri cœperunt, auspicio certè læto. Nam puræ adhuc erant, & accedebat græcarum rerum mediocris peritia. Ea nobis ætas Hugones, Richardos, & alios nõ peßimos scriptores ædidit. Philosophia, non uti nunc, ex Aristotele petebatur, sed totam sibi adseruerant Mathemata, quæ magnæ curæ tum literati omnes habebant, id quod indicant uetera Monachorum Diui Benedicti bibliothecæ.

Beda.

Alcuinus.

Mathemata.

ἐquibus nemo clarus extitit, qui non opere Mathematico, ſit eruditionem ſuam egregiè teſtatus.

Deinde uſu res acta eſt, incideruntq; homines quidam, ſiue libidine ingeniorum, ſiue amore litium ducti, in Ariſtotelem, eumq; mancum, et lacerum, et qui alioqui Græcis obſcurus, καὶ τ λοξίᾳ ſimilis uidetur, latinè ſic redditum, ut etiam Sibyllæ furentis coniecturas exerceret: Huc tamen incauti homines impegerunt. Senſim neglectæ meliores diſciplinæ, eruditione græca excidimus, omnino pro bonis non bona doceri cœpta. Hinc prodiêre Thomæ, Scoti, Durãdi, Seraphici, Cherubici, et reliqui proles numeroſior Cadmea ſobole. Accedit inſuper, quod nõ ſolùm cõtempti ueteres ſtudio nouorum, ſed omnino ſi qui in eã ſupererãt ætatem, ceu in Lethen ablegati perierunt, ut dubites num alia re argutiarum autores plus nocuerint, quàm quod uecordes tot millia ueterum ſcriptorum ad internicionem uſq; aboleri paſſi ſunt. Talibus deinde ſemel iuris diuini ac humani poteſtas facta eſt, ex horum decretis iuuentus erudiebatur. Proinde in ſcientiam Iuris ac rem Medicã pariter poſthac ſæuitum eſt: Oportebat enim ſimilem præceptoribus diſcipulum eſſe, ut aiunt ῥᾳδὸς κόραξ κακὸν ᾠὸν.

Ariſtoteles obſcurus.

Tyrannis literarum.

Hæc

Hæc ratio studiorũ, annos circiter trecẽtos in Anglia, in Gallijs, in Germania regnauit, nec quid interea dicam immodestius. Quàm pertinax sit, conijcere licet propemodum ex his quæ fiũt, atq; ut planè intelligatis, animum aduortite.

Audax Philosophandi ratio.

Primùm desertis ueterũ disciplinis, quando audax ista cõmentandi et philosophandi ratio inualuit, simul græca contẽpta, Mathematica deserta, sacra negligentius culta sunt. Quo malo, quale uior pestis esse potuit? Certé nulla uulgarior unquam fuit. Nã cum ad eam usq; ætatẽ, et Philosophia tota græca fuisset, et sacrorũ latinæ litteræ, præter Cyprianũ, Hilariũ, Ambrosium, Hieronymum, Augustinũ, nullæ insignes extarent, et Gracorũ usum uernaculũ sacra Occidẽtis magnam parte eatenus habuissent, fieri non potuit, quin græcis cõtemptis, unà quidquid commodi studiis humanis Philosophia confert (confert autem longè plurimum) deinde cura sacrorum sensim interiret. Hic casus uerè Christianos Ecclesiæ ritus ac mores, ille studia literarum labefactauit. Aliquius forsan alterius ruina ferri potuit. Nam & lapsantes literas, incorrupti Ecclesiæ ritus facile instaurare poterant, & bonis literis, quæ saluæ mansissent, liberum erat, ruinosos Ecclesiæ mores corrigere, animos hominum sacris

les excitare, confirmare, & in ordinem cogere.

At uerò siue fato, siue nostro uitio euenit, simul bonæ literæ non bonis, prisca pietas ceremoniis, hominum traditionibus, constitutionibus, decretis, capitulis, extrauagantibus, glossis δευτερώσεσι mutata est. Neq; retulit quod Nicena Synodo Patres tam prudenter cauerunt τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω. Audacius hæc uidear alicui, quàm ex usu uel studiorum meorum: Verùm, ut sic dicam, res uestræ, ingenui iuuenes, postulant. Nam ut quidam segnius cum bonis artibus in gratiam redeant, nimirum in causa est, quod nondum quisquam eos liberè admonuit. Iam igitur cognoscite, quænam sit illa barbarorum commentandi ratio, quæ è quibus manarit fontibus, audistis.

Artium genera omnino tria sunt, λογικὸν, φυσικὸν, προτρεπτικὸν. Logicum uim omnem ac discrimina sermonis tractat, & cum per ipsum in illa superiora sit iter, primùm formandæ puerilis rudimentum est, literas docet, proprietatem sermonis aut regulis adstringit, aut collatis autorum figuris, indicat quid obserues, id quod ferè Grammatica præstat. Deinde cum paulò progressus fueris, iudicium animis comparat, quo metas rerum, ortus, fines, ductum, sic agnoscas, ut sicubi quid inciderit exacte tractandum, omnia quæ

Artium genera tria.

Grammatica.

Dialectica & Rhetorica.

ad institutum pertinent, quasi in numerabeas, & artis adminiculis ita sensus audiascapias, ut dissentire temerè non queant: hæc illius sunt, quam uos Dialecticam, alij Rhetoricam uocant: Nominibus enim uariant authores, quum ars eadem sit.

Bullati Magistri.

Atq; hic docendi ordo quondam fuit, quum gerent adhuc literæ, donec in bullatos quosdam Magistros incidimus, qui scitis qua mole commentariorum Grammatica primùm oppressa. Sed quando ea reuixerunt, de Dialecticis uidemus, quæ adhuc ex Tartaretis, Bricot, Peratore, Eckijs, Copulatis bursæ montis, Exercitijs taurinis & caninis, & alijs huius farinæ premus. Licet hac parte mihi liberius agere, nam & ijsdem ego annos iam sex perpetuos pene detentus sum. Et quum rem probè meditatam habeam, non erit difficile mihi suis eam coloribus pingere, ac declarare, non esse διαλεκτικὰ, quæ istâ amb. insciticæ Magistri profitentur.

Dialectica.

Primùm Dialectica, ut dixi, methodus qualis est omnium quæstionum compendiaria διαιρετική τε καὶ διακριτικὴ: qua constat ordo & iudicium cuiusque rei tractandæ, ut in quoque uidemus, quid, quantum, quale, quur, quomodo: Sit plex sit, sin complexum, uerúmne an falsum. Si plicitus

plicium discrimina, notionesq; isti per loca senta situ cogunt, noctemq; profundam. Complexorum doctrinæ, quas tenebras non offuderunt argutijs? Quales sunt: Genus est species: Nullus & nemo mordēt se in sacco: Parisijs et Romæ uenditur piper. Arcent foro suo quæ non assequuntur. Libru κατηγοριων aiunt Dialecticæ tabulis nō censeri, quum inde omne artificium inueniendi, ceu è fonte fluat, & κατηγορίαι non sint nisi μέθοδοι quædam simplicium. Et hîc argutantur: Num singula genera generaliß. realiter (ut uocant) discrepent, atq; de eo nondum inter Scotistas ipsos conuenit, multò minus cum factionis diuersæ nominibus. Analytica posteriora, cùm sint disponendi series, ac ut Simplicius Peripateticus ait, canon ac amußis artificiosæ disputationis inter Metaphysica nostri retulerūt: Nempe quo rē per senōad modum difficilem, ac mirè utilē studijs honestè tractandis, et difficilē et inutilem redderēt. Hóccine est illud docere quod iactant? Hæccine sunt sine quibus pensum arti cuiq; suum reddi nequit? Hæccine sunt, quæ tā splendidis Philosophiæ titulis audiōanturē? At quāto minoris didicissent rectè sapere, quàm desipere. Sed cohibeo animum, ne quē uel bonorū nimia libertas offendat. Vos à me adhibētes hoc unum agi putetis, utilius quàm quod

κατηγορίαι

Analytica posteriora.

olim tractabant, studium uideri renascentium rarum. Equidem aliquot noui recti iudicij uiros, quibus cùm sæpe rem eandem contuli, prorsus nostræ sententiæ, omnibus calculis adstipulantes.

Franciscus Stadianus.

Amicus mihi quispiam est non uulgaris, sub quo primùm puer præceptore in Sueuis Tubingæ, Dialecticis merui annum unum aut alterum, hactenus ut fratre semper familiariß. usus, Franciscus Stadianus, eruditione ac uitæ genere tali, ut à bonis ac doctis omnibus certatim diligimentur: Is Analytica posteriora Sueuicæ iuuentuti anno superiore prælecturus, à nobis Themistij libellos, quos latinè reddidit Hermolaus, accepit. Addidi quædam è Philopono transcripta, neq; enim græca omnia satis mihi probantur. Admonui insuper illic ab Aristotele Rhetorica doceri Logit, relegitq;, & quo est iudicio, protinus adscripũ aduertit animũ, ibi re penitus cognita, et prosfœlicitate ingenij sui aucta illustrataq;, tot mutabilibus, acceptionibus, distinctionibus exductus, causam integram, ueluti recuperatorio iudicio restituit, scholæ simpliciter ac cãdidè summam rei τὸ ἄλφα μχὶ ὦμέγα traditurus. Ad hæc malè precatus nugis, obnixè à me contendit, Aristoteli purgando socias manus adijcerem: Conaturo omnia sese pro uiribus, uti artium elementa uindi-

ctis bata

ta barbarorũ liberarẽtur. Primi nominis studia, sordibus recipi nõ posse, nisi purgatis adolescentiæ rudimẽtis. Id ferè quẽq; in sũmis posse, quod in infimis assueuerit. In summa, omnia sibi de grandioribus polliceri, si exercendæ iuuentæ ratio melior iniretur. Placuit amici cõsilium, et negocium mihi literarium suscepimus, Dij reliqua secundẽt.

Nunc quæso uos quanti facitis huius uiri iudicium, cùm in alijs disciplinis οὐ παρέργως, tum in hoc genere summa cum laude annos opinor decem uersati. Hoc egero uobiscum testẽ, atq; eo sane iurato, non esse in his uulgatis stromatis, quod probari cuiquam præter personatos quosdam professores. γαλοὺς μᾶλλον ἢ φιλοσόφους, queat. Iratum habeam Musas, ni hæc ita damnem, ut pro eis meliora fœlicioraq; uos amplecti uelim. Alioqui liberum per me cuiq; fuerit, quorsum uel usus uocat, uel ingenium trahit sequi. Sat scio nullum fuisse seculum, neq; Græcorũ neq; Latinorum, quod non sit egregiè nugatum philosophando, ueteres aliquanto quam noui fœlicius. Quare affers ad ea studia, oportet, animum acrem et curam, deinde Magistrum adhibeas boni iudicij, qui seligat quæ nã et quatenus discenda sint. Dolet enim sanis esse qui persuaserũt sibi, nisi hæc nugalia didicerimus, non fore ex usu, quidquid studiorum affectemus.

Nugacitas Philosophandi

Socratis modestia.

Modestus uir Socrates erat, qui cũ opinione sapientiæ uulgo coleretur, dicebat, hoc unum se scire, quod nihil sciret: illi cõtra hoc unũ nescĩt, quod nihil sciunt. Atq; utinã fœliciter eos aliquãdo ἡμῆς ὁ λόγιος uirga sua demulceat ut expergiscãt, ut desipere se agnoscant. Vt euagarer lõgius, ipsa me rei indignitas perpulit. Volo enim fidẽ studiosis factã, aliud quoddã literarũ genus utilius esse, quàm sit quod Copulata iactãt, atq; hæc in Rhetoricis nostris lõgius. Quin uideamus, et hoc facile ne sit, hac enim se cõmendatione diuenduntur quæ uerò angustis adeo finibus contenta uirtus esse uoluerit, ut quod cuiq; procliue sit aggredi, continuo idẽ honestum sit. Quantum ætatis homini datum est, nedum adolescentiam, insumunt, ut Euripos omnes, sic enim Nazianzenus uocat, Aristotelicus exhauriãt, id quod nescio an unquã alicui contigerit. Subinde enim quod exhauritur influit, fœcundius id quidẽ quàm quod de Danaidũ dolijs fertur. Adde quod cùm se ueri scientiã meditari gloriantur, plurimum operæ fallacijs nectẽdis q; dolis linguæ nauãt, ut festiuiter ludit Isocrates cum ait τοὺς προσποιοῦνται μὴ τῶν ἀληθειαν ζητεῖν, ἐνίους δ' οὐ δεῖ ἀρχὴ τῶν ἐπαγγελμάτων, ψευδῆ λέγειν ἐπιχειροῦσιν. Deinde ex tot factionũ diuersis opinionibus, uix unã aut alterã, quæ sibi cõstet, reperias.

ἐυριποι. Aristotelici.

Solũ

solēt enim ut ex ueteribus Theologis quidā primi nominis dixit, in omni humano dogmate falsis uera ueris falsa miscere, μὴ τὰ ἀληθῆ τοῖς ψεύδεσιν ἐγκεῖσθαι, ut Dionysij uerbis utar. Ibi uerò quanto agas negocio, quibus auditorem per sugis trahas, dum sententiæ Doctores inter se conueniant, nimirum ut candida nigris: at nil refert, cadat, an recto stet fabula talo, modo clamatum sit fortiter. Quanto satius erat hic uel τὸ ἐπέχειν nouæ Academiæ amplecti. Vereor ne molestum sit uobis audire tam inconditas nugas, alioquin exemplis hæc comprobarem non paucis. Interim partium studijs disceditur, aluntur odia, frigt humanitas, et cùm à literis nihil abesse debeat longus rancore, nam communia erant Musis & Gratijs quondam sacra, horum studia, quæcunq; sunt, uel sola nutrit inuidia. Sic imbuti, quum ad sublimia, Theologiam, Iuris scientiam, aut rem medicam, effœtis iam annis pedem mouent, quid aliud defectis ingenij uiribus, quàm quod in ludo consueuerunt, agant? Nugantur ergo bis pueri senes, quanquam si cui paulo fœlicior est genius lusisse pudet, sed non incidere ludum. Inuidia nutrit uana studia.

Porrò uobis adolescentibus uestram gratulor fœlicitatem, quibus benignitate optimi ac sapientissimi Principis nostri Friderici, Ducis Saxo

Gratulatio de studiorum correctione.

niæ, Electoris, contigit longè saluberrimis eruditionis fontibus: fontes ipsos artium ex optimis autoribus haurire. Hic natiuum ac syncerum Aristotelem, ille Quintilianum Rhetorem, hic Plinium tantum non ditissimum pedeæ, ac ueluti quoddam copiæ cornu, ille argutius sed arte temperatas docet. Accedunt sine quibus nemo potest eruditus censeri, Mathematica, item Poëmata, Oratores, prosessoribus non proletarijs. Hæc si cognoueritis quo ordine tractanda sint, certo scio, & facilia, & admirandi profectus uidebuntur. Pueriliæ studia, quæ appellant προγυμνάσματα, Grammatica, Dialectica, Rhetorica, eatenus discenda sunt, quæ ad dicendum ac iudicandum instructus, fastigia studiorum non temere affectes.

Græcæ & Latinæ literæ cõiungendæ.

Iungendæ Græcæ literæ Latinis, ut Philosophos, Theologos, Historicos, Oratores, Poëtas lecturus, quaqua te uertas, rem ipsam adsequare, nõ umbram rerum, uelut Ixion cum Iunone congressurus, in nubem incidit. Hoc quasi uiatico comparato, per compendia καὶ εὐπετῶς, ut Plato ait, Philosophiam accede. Nã in ea sum planè sententia, ut qui uelit insigne aliquid, uel in sacris, uel foro conari, parum effecturum, ni animum antea humanis disciplinis (sic enim Philosophiam uoco) prudenter, et quantum satis est, exercuerit. Nolo autem

qutè philoſophando quenquã nugari, ita enim fit, ut cõmunis etiã ſenſus tandem obliuiſcare. Sed ex optimis optima ſelige, eaq; cũ ad ſcientiã naturæ, tum ad mores formãdos attinentia. In primis hic eruditione græca opus eſt, quæ naturæ ſcientiam uniuerſam complectitur, ut de moribus appoſitè ac copioſe dicere queas. Plurimum ualent Ariſtotelis Moralia, Leges Platonis, Poëtæ, atq; ij ſanè, qui et optimi ſunt, et in hoc legi poſſunt, ut animos erudiant. Homerus Græcis fons omnium diſciplinarum: Vergilius ac Horatius, Latinis. Philoſophandi uera ratio.

Neceſſaria eſt omninò ad hanc rem hiſtoria, cui ſi auſim, me hercle non inuitus uni cõtulero, quid quid emeretur laudum uniuerſus artium orbis. Hiſtoriæ.

Hæc quid ſit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non,
Plenius ac melius Chryſippo & Crantore dicit.

Hac nulla uitæ pars, neq; publica, neq; priuata uacare poteſt. Huic adminiſtratio rerum urbana rũ domeſticarumq; debet. Ac neſcio an minore incommodo mundus hic noſter ſole, animo uidelicet ſuo, cariturus ſit, quàm hiſtoria ciuilium negociorum ratio. Conſenſu maiorum noſtrorum celebratũ eſt, Muſas ex memoria natas eſſe, eo, ni fallor ſignificatum, ex hiſtoria omne artium genus manare. Philoſophiæ nomine quid complectatur.

nare. Complector ergo Philosophiæ nomine scientiã naturæ, morum rationes, et exempla. Quibus qui rectè imbutus fuerit, ille uiam sibi ad summum munijt. Causas acturus, habebit unde diuitem orationem, ac amplam orationem condat: Ciuitatem administraturus, unde æqui, boni, iusti, formulam petat. Nimirum hæc Philosophiæ commoda Demosthenis clarissimo Oratori uisa sunt, quur tam accuratè eam adolescenti cuidam commendaret. νόμιζε δὲ. Reliqua ipsi in Erotico legite. M. Cicero nusquam non dedit Philosophiæ primas, & audistis opinor, quid ille in comparatione Seruij Sulpitij, & Q. Sceuolæ Iuris cõsul. quendam docti Romani cognominarunt, admirati uberem in Philosophicarum rerum scientiam.

Literarum usus in sacra scriptura.

Verùm quod ad sacra attinet, plurimum refert quomodo animum cõpares. Nã si quod studiorum genus, sacra profecto potissimum ingenio, usu & cura opus habẽt. Est enim odor unguentorum domini super humanarum disciplinarum aromata. Duce spiritu, comite artiũ nostrarum cultu, ad illa uenire licet. Sicut ad Herculianum Synesius scribit: ἐρρῶμθαί σε εὐθυμῶς διαβιώνης φιλοσοφίᾳ βωμίου ἐς τὸ θεῖον ποδηγετούσης ἀξιαγάστου. Illi cui nõ uidetur, cogitet præter cætera et oricha[lcum] cum à Tyrijs in templis Solymi fabricam collatis esse.

esse. Itaq; cum Theologia partim Hebraica, partim Græca sit, nã Latini riuos illorum bibimus, linguæ externæ discẽdæ sunt, ne ueluti κωφὲ πρόσωπα, cum Theologis agamus. Ibi se splẽdor uerborum ac proprietas aperiet, et patefcet uelut in tra meridiana cubilia uerus ille, ac genuinus literæ sensus. Proximè cum literã percepimus, sequemur elenchum rerũ. Facessent iã tot frigidæ glossulæ, cõcordantiæ, discordãtiæ, et si quæ sunt aliæ ingenij remoræ: Atq; cũ animos ad fontes cõtulerimus, Christũ sapere incipiemus, mandatum eius lucidum nobis fiet, et nectare illo beato diuinæ sapientiæ perfundemur. At cum in uineis Engaddi cyperum legerimus, occurret spõsus saliens super mõtes et trãsiliens super colles, ductos in palatia Eden בשמן דרור succo liquido fragrãte, impios animos difluente inunget, ac more osculi dignabitur. Illius membris inserti uiuemus, spirabimus, uegetabimur, Sion contemplantes, & silentio κεφαλομύσῳ Salem adorantes. Hic cœlestis sapientiæ fructus est. Eam igitur quàm purissimè nõ interpolatam nostris argutijs colamus.

Id quod cum aliquoties inculcat Paulus, tum in Epistola ad Titum sedulo à Christiani hominis doctrina exigit, ἀδιαφθορίαν integritatem, hoc est, ne lubrica sit fides. Deinde σεμνότητα

mundi-

mundiciem, hoc est, ne alienis literis improbis sacra contaminemus. Opinor quod futurum sperabat, si sacris prophana miscerentur, fore ut simul prophani affectus, odia, studia factionum, schismata, iurgia, consertim succederent.

Proinde qui diuinis initiari uolet, Adã illum uterẽ exuat oportet, ut incorruptibilẽ. Adã induat hoc est, humanos affectus, ipsumq; callidi serpentis iugum supera uirtute frangat, excutiat, ut in gloria Domini transformetur in abyssum abyssus. Hoc sanè in causa erat, cur dicerẽ usu literarum destitutã ecclesiam, ueram ac Germanã pietatem traditionibus humanis alicubi mutasse. Postquam hominum cõmenta placere cœperunt, et amore operum nostrorum uicti, pro mãna Beelphegor gustauimus, homines non χρηστοὶ esse cœpimus. Haec uelim ita dicere uidear, ut sentio. Sentio autem omnino aliud nihil, quàm quod Euangelicæ ueritati Ecclesiæ decretis probatur, eritq; mihi, quod Hebræi dicunt: אכחו סד חדת אמיתך

Iã ne obscurè intelligitis, quantũ sit in renascentibus studijs momenti, quantum ad excolendas bonas mentes cõducant? Quem nõ misereat superioris ætatis, quæ tã clara luce studiorum deserta, in orci tenebras, et nescio quas fæces literarum incidit? Quem non tangat ingens nostri seculi calamitas,

mitas, quod & uetustis autoribus nostratium in curia orbatum est, deinde quod hi quoq; lucri fecissent ex bonis, ni periissent illi desiderati. Superest igitur, iuuenes, ut audiatis, quanquam ita se res habeat, & difficilia sunt, quæ pulchra sunt, tamen ita uincet industria difficultatem, ut longe minore impendio bona, quàm mala uos sperem assecuturos. Facilitas discendi literas.

Deligũt uobis præceptores uestri, quæ ex usu est scire, friuola secernunt, atq; hi Latina quidẽ, simul cum latinis Græca disci, et debent, et facile possunt. Modo succisiuas aliquot horas Græcis date, ego faxo studio ac labore meo, ne opera uos uestra frustretur. Statim enim ab initio difficultatem rei Grammaticæ optimorum autorum lectione temperabo, ut quod illic regula, hic exempla docetãt. Accedit obiter in autoribus interim quod ad mores, uel rerũ secretarum scientiã pertinet: omnia si cõtuleritis, pulcherrimè absoluent orbẽ studiorum. Erit enim curæ mihi, ut pro re, quæ uidentur diligenter admoneam. Homerum habemus in manibus, habemus et Pauli Epistolã ad Titum. Hic spectare uobis licebit, quãtum sermonis proprietas, ad intelligenda sacrorum mysteria conferat, quid item intersit inter interpretes Græcè doctos et indoctos: In alijs nota mala pro bonis ducan-

ducantur, in hoc negotio diutius citra iudicium ineptire non licet.

Capeßite ergo ſana ſtudia, et quod à Poëta dictum eſt, animo uoluite: Dimidiũ facti qui cœpit habet. Sapere audete, ueteres Latinos colite, Graeca amplexamini, ſine quibus Latina tractari recte nequeunt. Ea pro omnium literarum uſu ingenium alent mitius, ac elegantius undequaq; redent. Paucis annis prodire in lucem, qui uobis exemplo et ſtimulo ſint: Videor enim uidere tacitus aliquot locis refloreſcere Germaniã, ſuneq; moribus et cõmuni hominum ſenſu mitigare, et quaſi cicurari, quæ Barbaris olim diſciplinis effera, neſcio quid immane ſolita eſt ſpirare.

Proinde locabitis operã, non modò cõmodo veſtro, eoq; ad poſteros propagãdo, ſed omnino gloriæ non intermoriturae Principis omniũ gentium cõſenſu optimi, qui nihil adſerendis bonis literis habet potius. Equidẽ quod ad me attinet, nihil accõmitar, ne deſuiſſe uel pientiſſimi principis uoluntati uel ſtudijs ueſtris optimi auditores uideer. Atq; hoc me nomine uobis clariſſimi uiri, Academia Saxonicæ Principes, addico ac deuoueo, futurum erit adoleſcentiã meam bonis literis cõſecratam, minimè malis artibus imbutam, denique fidẽ ueſtrã ſedulo commendatã, benignè officijq; tueri, ac conſeruare. Dixi.

DE RESTITVENDIS SCHOLIS

Oratio habita ab Alexandro Alesio Scoto, in celebri Academia Francofordiana ad Oderam. 1540.

VT Paulus inquit: incertis uagamur sedibus: ita ecclesia uera Christi, exulat in hoc mũdo, nusquam certam ac durabilem sedẽ habet: diabolus enim odio filij Dei incẽdit ubiq; impios ad eam pellendam & dissipandam. Ita summos illos heroas, Abraham, Iacob, Moysen, hostes fugere, quærere alia hospitia, legitis. Dauidem & Heliam uix remotæ solitudines, & specus in saxis aduersus tyrannos texerunt. Apostoli toto orbe terrarum uagantur. Ipse etiam filius Dei ueniens in hunc mundum ex cœlesti patria, exulare se fatetur, cum ait: Filius hominis non habet ubi caput reclinet. Quare etiam si de exulibus grauiter suspicari homines solent, tamen Christianos communem Ecclesiæ fortunam cogitare decet, nec exilium inter probra ducere, si causa sit honesta. Fateor me iam annos octo abesse à patria, uere diuina ope crudelitati cuiusdam sæuissimi Tyranni ereptum, qui me, cum quædam errata doctrinæ Ecclesiasticæ manife-

Ecclesia exulãs

Alesius exul

manifesta taxassem, iam uinctum adseruabat, & dirã necem mihi minabatur. Etsi autẽ postmultis periculis conflictatus sum, tamen res ipsa ostendit, Deum uerè mihi adfuisse ducem in illis longis peregrinationibus, meq; clementer seruasse, ut spero, ad aliquam Ecclesiæ utilitatem.

Narratio de suo exilio.

Primùm ex patria discedens, ueni in Academiã Saxonicam, eo tempore, quo omnes articuli doctrinæ diligentissimè disputabantur, ubi consuetudine eruditorum excitatus, multò maiorecurã conferre dogmata cœpi. Postea Britanniam adij, ubi & docui aliquandiu in Academia, & rursus cum ijs qui excellunt eruditione, de doctrina Christiana collocutus sum accuratè. Estque perspecta mea mens in ea insula præstantibus uiris, Episcopo Cantuariensi, Latimero, et alijs. Cumq; iã defessus tot peregrinationibus, quasi in portum uenissem, manereq; ibi decreuissem, ecce rursus prodeunt atrocissima edicta contra doctrinam Euangelij. Itaq; cum aut subeunda esset impiorum crudelitas, aut cedendum, secutus sum cõsilium multorum bonorũ uirorum, qui et mihi et alijs pijs, qui palàm dissentiebant ab illis decretis sanguine scriptis, hortatores erant, ut discederemus. Rediij igitur in Germaniã ad eas Ecclesias, cum quibus sentire me profiteor, quæ mihi hospitium hoc

seme-

semestri pergratum præbuerunt. Cumque exi-
mia liberalitate Ducis Saxoniæ adiutus sum, tum
hoc accessit, quod iterum de doctrina licuit cum
hominibus pijs & peritis conferre. Deinde mihi
illustrissimus Princeps Marchio elector locum in
Academia uestra clementer tribuit, ac munus cõ-
mendauit re ipsa amplissimum, uidelicet, doctri-
næ Ecclesiasticæ explicationem. Hæc eò comme-
morani, ut sicut meipsum series mearum ærumna
rum & exitus monent, ut diuinitus me seruatum
esse ad aliquam Ecclesiæ utilitatem existimem, ita
& uos bene & amanter de hospite sentiatis, nec
me propter exilium aspernemini. Laudatur ue-
tus Germania propter singularem fidem & hu-
manitatem, qua excipere & tegere hospites soli-
ta est. Et uos arbitror adhuc retinere plurimùm
priscæ & antiquæ uirtutis, ad quam accedere e-
iam pietas est.

Præcipuè autem hoc officium Christus flagi-
tat, ut eos qui uagantur uel docendi, uel discendi
Euangelij causa, cæteri amanter complectantur,
ac promittit mercedem inquiens: Amen dico uo-
bis, si quis dederit uel aquæ potum uni ex mi-
nimis propter doctrinam, mercedem accipiet.
Quare & uobis spero Deum benefacturum esse,
si nos complexi fueritis, qui qualescunq; sumus,

tamen ex illo cœtu sumus, de quo Christus loquitur, Euangelium enim circumferimus, et si fatear me uerè esse omnium, qui docent minimum.

Sed cum ordinis ac functionis dignitatè Christus magnifaciat, erit uestræ pietatis, me non gratiatim audire. Maiores uestri reuerenter exceperunt multos ex insula Scotorum egressos, Gallum, Bonifacium, & alios, qui in Germaniam intulerunt Euangelium, horũ uos honesta exemplaimitari decet, præsertim cum his miserrimis temporibus doctrinam Christianã ubiq; terrarum horribili amentia Pontifices ac Reges delere conentur. In tanto publico periculo credite uos Deo gratissimum officium facere, quod Euangelij Doctores benignè excipitis, tuemini et auditis. Hæc de me ipso præfatus sum. Nunc in genere de scholis et de professione mea dicam. Nam si quis cogitabit, quantum referat, hoc præsertim tempore, restitui emendatas scholas, hunc mihi quoq; et ceteris mei ordinis hominibus æquiorẽ fore sperem. Nemo est tã impudẽs ac sine fronte, qui negare ausit multos non dissimulandos errores à Pontificibus et Monachis in Ecclesiã inuectos esse. Quam multi boni et docti uiri ante aliquot secula deplorauerunt missarum nundinationem, idolomaniam in inuocatione sanctorum? Reprehendunt ipsi uete-

Emendatio scholarum.

rum

teres, Ambrosius, & Augustinus errores satisfactionum, & renouant doctrinam de pœnitentia, & de fide. Quàm multi deplorauerunt libidines sacrificulorum? Episcopi quid agunt dignum suo munere? Hæc cùm iam iterum reprehendi Deus voluerit, ac instaurare Ecclesiam, ne prorsus omnes homines pereant, uidetis quantum certamen exortum sit: Epicurei, Pontifices & Monachi, uentri metuentes, adeò fremunt se reprehendi, ut deleri nomen Christi, & uniuersam doctrinam Euangelij, & omnes Ecclesias in uastitatem redigi cupiant. Res ipsa loquitur eos sic affectos. Pergunt enim defendere suos errores, moliri bella ciuilia, cumulant flagitia, negligunt Ecclesias, & scholas.

Tali tempore necesse est bonos & pios Principes prouidere, ne funditus intereat religio Christiana: Quare ut Ecclesias restituere, ita & scholas instaurare debent. Nunquam enim uera Ecclesia sine scholis aliquibus fuit, ac ne potest quidem diu conseruari doctrina, nisi scholastici cœtus adiungantur ad Ecclesias. Haud dubiè primis patribus, Adæ, Nohæ, Sem, ideò prorogata est uita tot seculis, ut auditores haberent testes ἀξιοπίστους de prima origine generis humani, deq; initio doctrinæ. Postea familiæ Abrahæ, Isaac, Iacob,

Nulla uera Ecclesia sine scholis.

Scholarum fundatio.

prorſus ſcholæ fuerunt. Deinde cùm lex Moſi data eſt, iam clarum mandatum de ſcholis editum eſt. Conſtitutum eſt enim, ut ad tabernaculum ſemper eſſent cœtus docentium & diſcentium, Ita Samuel traditus eſt in diſciplinam illi collegio, perinde ac ſi eſſet in academiam bene conſtitutam miſſus. Poſtea cùm negligerent ſtudia ſacerdotes, Deus excitauit Prophetas, qui magnas ceteruas diſcentium ſecum traxerunt, ut tantum agmen erat auditorum Eliſei, ut cùm antea in Iericho habitaſſent, propter eius loci anguſtiam, quærerent ad Iordanem aliam ſedem. Nec putas ocioſos greges Monachorum fuiſſe, ſed illos ſummos uiros audiebant de promißionibus diſſerentes, de regno Chriſti, de peccato, de lege, de gratia, de iuſtitia, de ueris cultibus Dei, de maximis mutationibus orbis terrarum.

Teſtimonia.

Extant adhuc uetera quædam dicta, quæ ab illis ſcholis quaſi per manus accepta fuerunt, ut dictum de ſex millibus annorũ mundi, id habet tiuulum domus Eliæ, hoc eſt, ſcholæ Eliæ. Meminiſtis enim ſententiam: Sex millibus annorum durabit mundus, poſtea deſtruetur: Duo millia inane, duo millia lex, duo millia Meßiæ: Etſi qui anni deerunt, propter peccata noſtra deerunt. Ex huiſmodi dictis exiſtimari poteſt, in illis ſapiẽtiſſimis

ſodalitijs

sodalitijs fuisse disputationes de rebus maximis. Accogitate quanta fœlicitas fuerit, & si erant Reges impij, & si erant omnia plena bellorum ac seditionum, illi cœtus Ecclesiam regebant, nam ita alij alijs succedebant, quasi in acie, ut aliquo excellenti Propheta extincto, Deus mox alium, quasi in id uestigium collocaret. Cùm Elias docuisset annos circiter uiginti, succeßit Eliseus, qui annos circiter septuaginta gubernauit Ecclesiam in Israël. Huic succeßit Ionas, quem arbitrantur fuisse filium mulieris Sareptanæ, ab Elia reuocatum ex morte. Deinde abductis decem tribubus, succeßit Esaias in Iuda, qui docuit annos circiter octoginta, et regnum liberauit ingentibus bellis, nam quilibet Propheta habet aliquod insigne πολίτευμα. Post Esaiam excitatus est Ieremias, qui annos circiter quadraginta concionatus est. Fuitq; eius πολίτευμα in speciem triste, sed omnium maximè salutare eo tempore: fuit enim hortator faciendæ deditionis, atq; ita seruauit reliquias gentis, cum alij antea depulsis hostibus patriam seruassent. Ideò cùm hic nouo exemplo deditionem suaderet, quæ uidebatur turpis & exitiosa, ualde contemptus est à Pontificibus. Sed Deus non humanis consilijs, sed suo gubernat ecclesiam, castigat, et castigatam mirãdis modis restituit.

Elias.
Eliseus.
Ionas.
Esaias.
Ieremias.

Quid in exilio Babylonico? an tunc defuerunt scholæ? Imò cùm Iudaici Reges non aluissent Doctores, iam alunt Babylonici. Daniel cum collegis instituitur doctrina Caldæorum, sed uicissim, hunc postea Reges omnium maximi, tanquam discipuli, audiunt, Nabugdonosor, Euilmerodach, Darius, Medus & Cyrus. Quem uirum ex omnibus ætatibus nominare quisquam potest, qui tantos heroas discipulos habuerit? Post Danielem extiterunt Esdras & Nehemias, qui attigerunt Alexandri Macedonis ætatem. Post Alexandrum celebrat liber Sirach Simonem Oniæ filium, qui doctrinæ puritatem conseruauit. Deinde paulo ante Machabæorum tempora, cùm Pontifices certarent inter se ambitione, emerent Pontificatum à uicinis Regibus, doctrinam negligerent, collapsis scholis, magnum uulnus accepit religio: nobilit tamen Deus superesse aliquas reliquias. Machabæi restituerunt doctrinam. Post hos creuit impudentia in populo Dei, repudiatis Prophetarum monumentis, cœperunt prophana ingenia amare græcam Philosophiam, hinc extiterunt sectæ diuersæ Pharisæorum & Zadducæorum, qui postea Epicuræas opiniones professi sunt.

Daniel in Babylone.

Esdras, Nehemias.

Sirach.

Machabæi.

Itaq; cùm diu horribiles essent tenebræ in populo Dei, rursus excitauit Deus scholas per Iesum

nem Baptistam, deinde per Christum. Hos habuisse scholasticos cœtus, historia Euangelij non obscurè testatur. Postea exemplа Prophetarum, & Ioannis ac Christi imitantur Apostoli. Nam hos quoq; suas scholas habuisse apparet ex Irenæo, qui ait Ioannem habuisse assiduos auditores multos, et in his Polycarpum. Hunc morem postea seruauit et ipse Polycarpus Smyrnæ. Fuit autem frequentissimũ Gymnasium Alexandriæ, ex quo multa lumina Ecclesiæ exorta sunt. Inde mittebantur pastores ad ecclesias uicinarũ regiorum. Hæ scholæ consulebantur de doctrina: Ibi enim extabant testimonia dogmatũ ab Apostolis accepta, ut certò constaret, quæ fuisset Apostolica sententia. Cogitate autẽ quàm gratum pijs, quàm utile fuerit ad confirmandas mentes, scire ueteres Aposto. sententias, scire per quos authores propagata doctrina fuerit. Clemens ait se peruagatum esse totam Asiam, et de singulis doctrinæ articulis consuluisse eruditos ubiq;. Sed postquã uenit Alexãdriam, fuisse se contentum iudicio Pantæni, quem ait eruditione et pietate eximia præditum fuisse, ac ornatũ testimonijs Spiritus S. seu miraculis. Vt igitur hæ scholæ ab Apostolis inchoatæ conseruarẽtur, Collegia in Ecclesijs Episcoporum instituta sunt, & donata uictu. Sed postquàm opes creuerunt,

Ioannes. Christus.

Apostoli.

Polycarpus. Alexandria.

Clemens.

Pantænus.

in Collegijs doctrina extincta est. Quilibet nunc sunt illa agmina Canonicorum, nisi foedus Apicij? Quarum rerum studia in illis locis uigebant, non ignoratis, sed de his non dicam hoc tempore. Cæterum hæc tam longa commemoratio de Propheticis & Apostolicis Academijs quo pertinuit? Illud ostendere uolebam, Deo placere conseruationem scholarum, nec posse florere Ecclesias sine scholis, & quidem magna artium ac literarum uarietate opus est. Nam etiam illi uetera Prophetarum auditores, & si præcipuè discebant cœlestia oracula, tamen alias artes etiam adiungebant, discebant aliquid de naturarerum, quærebant historias, alij Musicam, alij Medicinam profitebantur. Ita nunc uidetis sine literis, sine linguarum cognitione, sine Dialectica, sine aliqua liberali eruditione, profectò neminem satis idoneum esse ad explicandas controuersias religionis. Ergo in scholis multarum artium exercitia instituta sunt, quarum pleræq; & si multiplicem in uita usum habent, tamen præcipuè conducunt ad Ecclesiasticam doctrinam illustrandam.

Principum cura de scholis.

Hæc cùm ita sint, cùm scholæ necessariæ sint Ecclesijs, ardentissimis uotis optare omnes pij debent, ut Deus excuscitet Principum animos ad restituendas & ornandas Academias, ad excitandas & pro-

& prouehenda literarum, ac bonarum disciplinarum studia. Cumq; ea in re optimam uoluntatem Princeps Marchio ostenderit, gratulari hanc fœlicitatem Reipub. debemus, ac precari Deum, ut auspicijs honestissimæ atq; utilissimæ rei faueat. Profectò melius de suis populis, & de tota posteritate hac in re meretur, quàm si nouas auri, aut argenti uenas tam largas, quàm fuerunt uenæ Lydiæ, quæ Crœsi opes tantopere auexerant, reperiret. Hoc munus præcipuè flagitat Deus à Principibus. Ideo enim Deus ad societatem condidit homines, ut alij alios de religione doceant, ut quidam uenustissimè scripsit:

Vtq; alios alij de religione docerent,
Contiguas pictas iussit habere domos.

Cum autem Principes sint custodes humanæ societatis, certè hoc efficere debent, quantum ipsi possunt, ut Deus rectè celebretur. Armentarijs satis est, pecudibus pabulum curare. Hi qui hominum cœtus regunt, non tantum custodes sunt uitæ corporum, sed legis ac disciplinæ: Ideo Deus impertit societatem sui nominis, ut Dei dona, id est, religionem, iusticiam, disciplinam, pacem inter homines tanquam uicarij Dei tueantur.

Oro igitur Dominum nostrum Iesum Christum filium Dei, ut gubernet & augeat hanc scholam,

et studia harum gentium excuscitet, ad salutem Ecclesiæ, quam Filius Dei sic amat, ut ea sanguine suo redemerit. Vos etiam qui hanc urbem, tribus Academiam regitis, obtestor, ut cum operæ pretium sanctam Ecclesiæ necessariam esse intelligatis, me benevolentem, et uersantem in difficili munere, uestra benevolentia confirmetis. Sumus nos quidem longe inferiores illis summis uiris, de quibus antea dixi, qui olim ecclesiæ studia rexerunt, Elia, Elisæo, Esaia, Ieremia, Daniele, Esdra, sed in munere pronsus eodem uersamur. Nec raro ego ipse toto corpore perhorresco, cogitans magnitudinem oneris, quod sustinemus, et intuens animo illos uetustos Duces nostros, quos longo interuallo sequimur inertes, et ignaui, atq; hanc dissimilitudinem cum respecto, non solum docentium imbecillitatem, sed ecclesiam deploro, quæ quasi senectæ imbecillitate, omnia membra habet languidiora, et tamen postremis temporibus plurimum periculi habituram esse Christus prædixit. Nam quo propius instat dies extremi iudicij, eo Diabolus furiosius irascitur Christo, iam scilicet formidans sententiam, in qua omnibus creaturis patefiet turpitudo immensa superbissimi spiritus, & cruciatus ipsius horrendus augebuntur. Itaq; odio Christi incitat Turcas, Pontifices, impios Reges, denicq; omnia sua organa ad-

Onus scholastici cultus.

Finis mundi.

uaduersus Ecclesiam, Eò magis uigilandum & pugnandum est nobis, ut furor Diaboli impediatur: Reges turpissimè sinunt grassari Turcas, Episcopi negligunt Ecclesias.

Quare pios Principes & cæteros, qui præsunt, annitidecet, ut quantum suo quisq; loco potest, sarciant illorum negligentiam, bonos doctores querant, constituant Ecclesias, curent ad posteros propagari Euangelium. Auditores etiam propter Christum Dominum, ac officij dignitatem, amanter tractent fidos Euangelij interpretes, inter quos me quoq; uobis commendo. Nam & fidem ac diligentiam præstabo, & genus doctrinæ pium profiteor. Amplector enim uerè & ex animo consensum Catholicæ Ecclesiæ Christi, hoc est, doctrinam Christi, & Apostolorum, & explicationem traditam in Symbolis, Apostolico, Niceno, & Athanasiano. Et cũ incidérint discordiæ, fateor me sentire cum ecclesijs, quarum extat confessio Augustana, & has iudico tueri perpetuum consensum ueræ Ecclesiæ omnium temporum, Prophetarum, & Apostolorum. In his iudico multos Articulos doctrinæ Christianæ rectè et piè renouatos & illustratos esse. Cum his iudico etiam uerè congruere scriptores puriores dextrè intellectos Ambrosium, Augustinum, Hilarium, Basilium, Epi-

Genus doctrinæ quod profitetur.

Epiphanium, Nazianzenum. Et quanquam illo-
Discordiæ diuinitus excitatæ. sum est nomen discordiæ, tamen sentio hæc certa-
mina, quæ de doctrina mota sunt, necessaria & di-
uinitus excitata esse. Quia Daniel et Paulus ca-
cinãtur postremis temporibus hos futuros esse a-
gones piorum aduersus impios Pontifices in eccle-
sia, defendentes manifestã εἰδωλομανίαν, & exer-
centes Neronianam sæuitiam in membra Christi.
Ac præmonuit nos Spiritus sanctus, ut cum inci-
derint certamina, cogitemus ubi sit uera eccle-
non terreamur titulis sceleratorum Pontifi-
nec simus socij & administri impiæ Tyranni-
Nõ igitur nouum doctrinæ genus cõminiscar, p-
na est perpetua Ecclesia, in qua filius Dei per p-
tres, Prophetas, et Apostolos, uerã Dei notitiã
tradidit, & taxat persuasiones contumelioſas a-
uersus Deum, quas spargit Diabolus odio Dei.
Ad illã ueram Christi ecclesiam, nunc quoq; bel-
gerantem cum Diabolo, & dissentientem à Pon-
ficibus, qui idolomaniam defendunt, et trucida-
mẽbra Christi, ut omnes pij adiungere se debent,
ita me quoq; tota mente et toto pectore adiung-
ac precor ex animo Filium Dei, Dominum no-
strum Iesum Christum, ut ministerium meum gu-
bernet, ac per me sit efficax, ut adsuit Patribus,
Prophetis, & Apostolis: Ipsius enim latus mili-
ris,

rle, ipſi triumphus debetur, qui uincit Diabolũ: noſtra infirmitas non eſt par tantæ dimicationi, ſed ipſe uult pijs adeſſe, et conculcare caput ſerpentis, hoc eſt, ut Iohannes interpretatur, deſtruere opera Diaboli.

Ecebolus Rhetor Apoſtata.

Fuit Ecebolus quidã Rhetor tempore Conſtantij, is ut gratiã aucuparetur Principis, baptizatus eſt, et ut fuit in dicendo uehemens, acriter ſolitus eſt taxare idolomaniam. Poſtea ſub Iuliano, cum uideret hunc abhorrere à Chriſti nomine, et reſtituere Idola, defecit et ipſe à Chriſtianis, eisq; in gratiam Imperatoris rabioſè maledixit. Ita animi ſententiã de religione inflexit ad Principum uoluntates. Nõ fuit autem diuturna Tyrannis Iuliani, ſed ſtatim ſucceßit Iouianus bonus et pius Princeps, ubi cum uideret multo maiorem odio eſſe illos, qui ut aſſentarentur Iuliano, defecerãt à Chriſto, quàm cæteros Ethnicos, rurſus ipſe ſeſe retexit, redit ad Chriſtianos, abijcit ſe ad templi fores, iubet ſe pedibus conculcari, ut ſunt Hypocritæ tanquã hiſtriones ad hæc præſtigias idonei. Nec nulli ſũt hoc tẽpore tales Ecebo li, qui alia alijs tẽporibus, et apud alios probãt.

Hypocritę hiſtriones.

Ego igitur ſimpliciter profeſſus ſum quid ſentiã, et opto ut in hac me ſententia confirmet Deus, et ut Filius Dei gubernet meum miniſterium.

Certè

Certè illud Ecceboli *nunquam facturus sum, nec stringam stylum aduersum ueram Ecclesiam, nec deformabo eam calumnijs: Sed ingenium meum seruiet gloriæ Dei et Domini nostri Iesu Christi.*

Dixi.

ORATIO CASPARIS CRVCIgeri, De ordine discendi, habita in promotione Magistrorum, Anno 1531.

CVm ex hoc loco sæpe dictum sit de uniuersa Philosophia, deq; harum artium omnium dignitate, quæ in scholis ideò traduntur, quia ad bene beateq; uiuendum iudicantur esse necessariæ. Ego pro ingenij mei mediocritate, omissis illis præconijs superiorum disciplinarum, quas arbitror propter manifestam utilitatem cõmendatissimas esse omnibus, pauca quædam dicere instituo de hoc genere disciplinarum, quod nos propositum sit, et quo prima ætas ad percipiendas maiorum artes præparatur. Quanquam enim et harum utilitates quotidie uobis in scholis decantant præceptores, tamen hic aliquid de ea re dicendum est, ut publico mori seruiamus.

Et

Et quia à me publico nomine habetur oratio, tantum ei tribuetis authoritatis, Adolescentes, quantum existimatis esse in hoc collegio uirorum optimorum & doctissimorum, præceptorum uestrorum, qui mihi hanc personam imposuerunt. Nam horum omnium sententia, mea uoce ad uos perfertur: qui cum uobis optimè consultum uelint, non desinunt uos hoc in loco adhortari ad hæc studia colenda, quæ tum uobis priuatim honesta atq; utilia, tum Reipub. retinendæ necessaria esse iudicant. Si quis autem huius ordinis authoritatem aspernatur, & iudicia contemnit hominum, non solùm peritorum, sed etiam toti Reipublicæ optimæ cupientium, in hoc iure desideranda erit humanitas. Publica uox Academiæ.

Duxi autẽ uos adhortandos esse, ne studia inferiorum artium negligatis, quæ etsi ad populũ parum habent ostẽtationis, tamen ad cognoscendas superiores artes, quæ continent administrationẽ Reipub. uiam sternunt. Itaq; etiam de ordine discendi pauca addemus, qui in omnibus rebus nobis plurimum, ut suauissimè dixit Xenophon: Inferiores artes nõ negligendæ.

οὐδὲν οὕτως ἔυλαβητὸν οὔτε καλὸν ἀνθρώποις ὡς ἡ τάξις.

Et ut inde sumam initium, societatem quandam artiũ inter se esse scitis. Quare etiamsi quædam;

dam in uita excellere atq; eminere uidẽtur, inter aliarum ope indigẽt. Quare impudẽter faciunt, qui dum ambitione, aut ſpe quæſtus incitati, properant ad illas ſuperiores, quarũ fructus uerſantur ob oculos etiã imperitis, reliquas diſciplinas negligunt et cõtemnunt, quaſi ad uitam inutiles.

A literis ſimile.

Ac mihi cogitanti interdum uidetur huius ſocietatis quædam in ipſis elementis literarum ſimilitudo eſſe, ubi etſi dignitate præſtant uocales, tamen ſine conſonantibus ſermo nequit exiſtere. Et quoniam ex literis omnes artes procreantur, ſtigia quædam in ipſis elementis animaduertere poſſumus, ut in ſeminibus, artium diſſimilitudines. Longè antecellunt omnibus uocales, quæ per ſe uitam & ſpiritum habent, quia perfectum ſonum ædunt, non adiutæ ab alijs. Reliquæ quaſi labiæ ab his inflatæ ſonum accipiunt.

Vocales.

Significant igitur uocales principem omnium artium, doctrinã religionis, quæ longè ſupra alias artes collocata, gubernat omnia uitæ conſilia, negocia, et ſtudia. Nec uerò ciuilis diſciplina ſine religione retineri poteſt: Et iuris ſcientia plurimùm à doctrina religionis mutuatur. Ideo ſemiuocales, etſi habent obſcuram quandam uocem, tamen ſuum munus tueri non poſſunt ſine uocalibus: Ita in diſciplina politica, religio ciuili-

Semiuocales.

hab

bus institutis uocem addit, tuetur authoritate sua ius humanum, & emendat cùm opus est.

Mutæ literæ quasi priuatam uitam significant, quæ uerè muta est, hoc est, agrestis, & fera, sine religione & ciuili consuetudine. Vt igitur sermo ex dissimilibus literis contexitur, ita diuersa genera artium atq; actionum in uita necessaria sunt.

Quanquam autem iamdudum uereor, ut uiri docti in hoc consessu has ineptias æquo animo ferant, tamen quoniam habetur oratio ad iuuentutem, spero eos boni consulturos esse hunc ludum, in quo et societatem et gradus artium pingere uoluimus. Et usum est in ipsis elementis literarum pingere, ut quoniam hæc quotidie ob oculos uersantur, sæpe ueniant ista in mentem scholasticis, quorum cogitatione nobis quidem uidetur acui & firmari iudicium de utilitate artium. Et ego in hac schola professor Grammaticus, libenter sumpsi orationem ex hoc artificio, quod exerceo.

Cogitate autem, Adolescentes, quid futurum sit, si quis consonantibus omissis, tantum uocalibus uti uelit in loquendo. Is profectò cum tota rerum natura pugnabit. Ideò enim literæ uocantur elementa, quod sicut in natura necessaria sunt elementa, ex quibus corpora constant, ita literæ ne- Literæ cur elementa.

cessariæ sunt ad sermonem componendum. Quare sicut illa diuina series in uniuersitate rerum perturbaretur, exempto uno elemento, ita absque istis consonatibus, nulla articulata uox existere posset. Itaq; sicut dissimilium literarum naturalis inter se societas est, ita dissimiles artes inter se copulatæ atq; deuinctæ sunt. At hunc chorum artium perturbant isti, qui sentiunt inferiores disciplinas ad uitam inutiles esse, quia earum spectus imperitis non ita in conspectu est.

Si quis admirator cœli ac stellarum (quibus nim his corporibus pulchrius cogitari potest) uelit aquam ex rerum natura tolli, quod impar sit stellarum claritati, nónne hunc insanire dicimus? Si quis propter admirationem doctrinæ religionis, iubeat è uita tollere omnia iura atq; instituta ciuitatum, omnia uincula domesticæ uitæ, nónne hunc omnes sani homines ui atq; armis coercendum esse iudicarent?

Et uidemus his annis quosdam ἀνοήτως θεοδοτοῦντας dementatos huiusmodi fanaticis opinionibus, erroris sui pœnas dare. Meminisse enim Monetarium & Anabaptistas, & hoc genus alia portenta. Ad hunc modum iudicate insanire eos, qui chorum et concentum artium perturbant, neglectis & contemptis inferioribus artibus. Quare sicut

re sicut de literarum elementis cogitantes, totum ἔλφα καὶ βῆτα necessarium esse ad sermonem ducitis, ita disciplinas omnes quæ in scholis traduntur, existimabitis ad uitam esse necessarias.

Nam is demum rectè sentiet de artibus, qui cũ gradus earum animaduertit, intelliget singulas certæ utilitatis causa repertas esse.

Hæc dixi ad commonefaciendos adolescentes, quorum multos uidemus magno non tantum suo, sed Reipub. incommodo, intempestiuè properare ad superiores disciplinas. Nam studia uestra non tantum ad uos, sed ad Rempub. pertinent.

Et hunc finem studiorum uestrorũ uobis proponere debebatis, ut ea ad dandum consilium Reĩ pub. & ad docendas Ecclesias, & retinendam doctrinam religionis cõferenda esse statueretis, quorum nihil præstare poteritis sine perfecta doctrina. At perfecta doctrina nulli continget sine disciplinis inferioribus.

Cum hac cogitatione animus conformatus est, proxima de ordine discendi deliberatio esse debet. Neq; ego hoc loco dicam, quanta sit uis ordinis in genere, quæ res et nota est, et latius patet, quàm ut hic explicari possit. Si agricola prius serere uelit, postea arare, aut si uelit sub Canicula sementem facere, sub bruma arare, labor atq; im- Ordo discendi.

pensa perierit: Ita si in percipiendis disciplinis non seruetur iustus ordo, profectus omnis deplorandus erit.

Bonum malum sit, aiunt, non datum in tempore: Proinde etiam optimarum & maximarum rerum studia nocent, si non apto tempore suscipiantur. Quare maiores nostri, ut ordinem discendi constituerunt, certos gradus quasi classes excogitauerunt, per quos ordine ab inferioribus artibus traduceretur iuuentus ad superiores. Nunc quia perfractis illis repagulis, nullo ordine res geritur. Subito sicut fungi nascuntur nobis Theologi, Iurisconsulti, et Medici, sine Grammatica, sine Dialectica, sine ratione dicendi, sine incunabulis Philosophiæ naturalis ac moralis. Quorum cognitio, non solùm quia perliberalis est, olim traderetur communiter omnibus, priusquam admitterentur ad superiores disciplinas: Sed etiam quia iudicium acuit, & præparat ad res maiores percipiendas. Modo autem satis est afferre ad illas disciplinas grauissimas, magnum pileum & insigne contemptum omnis doctrinæ humanioris.

Vt fungos, nascí doctos.

Hanc temeritatem nisi leges ac Magistratus cohercebunt, breui nullæ erunt in Repub. literæ, nulla doctrina ullius rei. Nam isti Theologi, Iurisconsulti, ac medici subitò nascentes, nulla præ-

dili

diti liberali doctrina, non ſolum alias artes interire ſinent, ſed nec ſuas profeßiones tueri poterunt. Nec nihil pertinet hæc cura conſeruandarum literarum ad Magiſtratus: Ideo enim appellantur Dij à Spiritu ſancto, ut diuina dona in terris, religionem, ciuilem ſtatum, et omnes honeſtas artes tueantur ac retineant. Propter hanc procurationem diuinarum rerum gerunt auguſtum titulum, quo nullum habet Magiſtratus ornamentum maius, aut uenerabilius. Magiſtratus dii cur uocentur.

Quare conuenit eos proſpicere, ne perturbato diſcendi ordine, honeſtæ diſciplinæ intercidãt. Plato inquit, Reſp. mutari, ſi contingat Muſicam mutari. Neq; id abs re dictum eſt. Sed hoc multò uerius eſt, Mutatione ſtudiorum mutari Reſp. Omnes autẽ mutationes Rerump. ad Magiſtratuũ curam pertinent. Et peruerſa ratio diſcendi, maximarum atq; optimarum rerum ruinam trahit. In primis igitur in hac re uigilãtes eſſe Magiſtratus oportet. Neq; dubito quin olim de his rebus nouas leges cõdituri ſint, cũ præſentes turbæ atq; motus Rerump. conſileſcent. Quibus utinam contingat Dei beneficio, facilis et mollis κατασϛοφή. Platonis dictũ

Interim tamen quantum nos authoritate, ſtudio, ac diligentia conſequi poſſumus, dabimus operam, ut ordine diſcat iuuentus.

Lectiones.

Sed hoc magna ex parte in uobis quoq; positum est: Nos enim & diligenter hac de re admonemus uos, & lectiones optimas in omnibus disciplinis proponimus: Summa fide traduntur artes, quæ continent rationem dicendi: Elementa Philosophiæ & Mathematum planissimè proponuntur. In qua schola secundus liber Plinij tam perspicuè enarratus est, ut hic enarratur? Reliquum igitur est, ne uobis ipsi deesse uelitis, sed præsentibus commodis fruamini.

Quod quidem ut faciatis, adducere uos debet cùm ipsa cogitationis suauitas, tum etiam utilitas. Nam incredibilem uoluptatem parit eloquentia: Mirè delectat homines historia rerum gestarum, quæ & ipsa traditur, cùm dicendi exempla proponuntur. Et nihil dulcius est, quàm intueri animo eas res, quæ in Philosophia nobis traduntur, de magnitudine cœlestium corporum ac terræ, de uarijs motibus syderum, quomodo lumina cœlestia uariè mixta inter se ac temperata, diuersos affectus pariunt in hac inferiori natura, sicut aliter atq; aliter mixtæ uoces diuersas cantiones efficiunt. Iuuat etiam uidere causas officiorum ciuilium in natura diuinitus scriptas, & mirabilem prudentiam à doctis hominibus animaduersas.

Iam utilitas maximè percipitur ex his studijs, quæ

sunt enim, ut Græci dicunt, πρὸ ὁδοῦ in superioribus artibus, quæ certè dicendi scientiam requirunt. Quid enim promouerit aliquis, si sermonis genus non queat iudicare? Et multa ubiq; sumuntur ex Philosophia naturali ac morali: quorum qui non uident fontes, turpiter interdum hallucinantur.

Et quoniam Reipub. interest, bonas artes conseruare, omnes sentiatis hoc à uobis Rempub. petere, ut detis operam, ne uestra negligentia artes intercidant. Cùm autem maiora beneficia omnes à Repub. quàm à priuatis ullis, siue parentibus, siue amicis accipiamus, æquum est nos uicißim hanc illis gratiam reddere, & nostro labore artes retinere ac defendere. Quid Reipub. debeamus.

Quare uos adhortor Adolescentes, ut ita inducatis animum, prius uobis cognoscenda esse elementa Philosophiæ, quàm ad superiores disciplinas accedatis, & in ea diligenter collocetis studium atq; operam ἀρχὴ, inquiunt, ἥμισυ παντός: Dimidium facti qui bene cœpit, habet. Faciliora igitur omnia erunt istis in alijs disciplinis, qui recte cœperunt, qui ad alias afferunt earum artium scientiam, sine quibus illæ neq; percipi, neq; tractari, neq; intelligi possunt.

Et hãc orationem existimate me publica autho-

ritate habuisse, quam si quis contemnit, is sit Deum ultorem huius contumeliæ fore. Ac tib. ornauit etiam priuilegijs hæc nostra studia clo noribus, quos nunc his iuuenibus libenter dem nemus, quia singularem laudem hoc tempore in tanta peruersitate iudiciorum merentur isti, qui hæc communia Philosophiæ studia attigerunt. Dixi.

ORATIO VITI THEODORI Noribergensis, de Studio Linguarum, habita in promotione Magistrorum, Anno M. D. XXXIII.

PRincipio uobis gratias ag doctissimi uiri, quod huc honoris nostri causa, & hæc primarum artium studia ornaretis, conueniistis. Cæ autem existimem id uestrum officiū ad studiorum honori pertinere, spero uos ita induxisse animum, hoc am beneficium nobis dandum esse, ut nos non gr uatim audiatis. Neq; enim huc prodimus, ut dign aliquid uestra sapientia atq; autoritate affer mus, quod in huius nostræ ætatis imbecillitate quidem

quidem requirendum est. Tota hæc fabula agitur adolescentum causa, ad quam uos acceditis spectatores, ut intelligat iuuentus, uobis hæc prima studia probari. Quanquam igitur in omni genere humanitas uestra nobis cognita & perspecta est, tamen id quoq; nostri est officij, uerecundè petere, ut nos æquo animo audiatis. Quare rogo, & ut hanc meam iuuenilem orationē boni consulatis; et ut uestra mihi authoritas adsit in hac causa, quā agendā suscepi, quāspero uobis esse probatissimā.

Studium linguarum.

Institui enim de studio linguarū, ut uocant, dicere. Etsi enim plerunq; hic de Philosophia dici solet, tamen neq; hic locus de linguis, si quis rectè æstimet, à Philosophia ualde alienus est. Mihi quidem ea Philosophiæ pars, quæ est suauissima, præcipuè ex cognitione linguarū pēdere uidetur. Neque uerò hoc argumentū studio nouitatis delegi: Neq; enim statui me nouo argumēto in hac infantia satis facere posse. Sed publica necessitas hortatur, nō solùm me, uerùm omnes bonos uiros, quantum pro se quisq; potest, adolescentiā ad studia linguarum excusitare, atq; accēdere. Maximè uerò conueniebat ad linguarum causam agendā adhiberi nō elinguem, sed eloquentem patronum, qui ornare eas pro dignitate, & magnitudine utilitatem, quas parit earum cognitio, illustrare posset.

Quod etsi intelligebam à me non posse fieri, ta men arbitrabar me non debere publicæ causæ esse, præsertim in hoc loco, quo cum mihi dicendi necessitatem scholasticus Magistratus imponeret, sperabam tantum authoritatis in hac oratione futurum esse, quantum tribuitis uniuersorum legio doctissimorum hominum, qui & has mihi partes mandarunt, & suam sententiam meu quicunq; oratione uobis exponi uoluerunt. Quorum doctrina, iudicio, rerum usu excellant, denique cum fide summa & uestris studijs, & uniuersæ Reip. consuetum uelint, honestissimum uobis de monitis eorum libenter & studiosè parêre.

Sed uenio ad causam, de qua, quia etiam propter temporis angustiam non satis dici potest, breuiter utilitates præcipuas colligam, quæ nos omnes ad linguarum studium hortantur: loquor autem de Latina, Græca, & Hebraica.

Cum autem aliud alij propositum in studijs habeant, nec idem doctrinæ genus sequãtur omnes, de singulis, ut uocant, professionibus ordine dicendum est. Ac primum non opinor longa mihi disputatione opus esse de Theologia: Constat enim fontes Theologiæ Ebraicis, & Græcis literis contineri. Nec possunt ita transfundi linguæ, ut nihil opus sit fontibus, si uelimus iudicare de locis obscuris

Fontes Theologiæ in Ebraicis & Græcis literis.

lcuris, quod in multis grauissimis controuersijs si cri necesse est. Toties commendat nobis ipsa scriptura ministeriũ uerbi, admonet nusquã uoluntatẽdei cerni, nisi in his scriptis: Facile igitur intelligi potest, quantũ referat perfecte intelligere naturã sermonis, quod sine linguarũ cognitione, & sine eloquẽtiæ exercitationibus, nemo cõsequi potest. Itaq; cum suæ quisq; salutis causa, tum etiam propter publicam Ecclesiæ necessitatẽ perfectam sacri sermonis cognitionem expetere debet. Primum enim priuatim quoq; experimur mirificè confirmare animos, cum in tanta uarietate opinionum quasi in rem præsentem deducimur, inspicienies genuinum scripturæ sermonem. Deinde de magnis ac difficilibus controuersijs publicè in Ecclesia pronunciare bona conscientia uix possunt doctores, si genus sermonis in testimonijs, ex quibus tota res iudicanda est, nõ intelligant. Multas hereses peperit inscitia linguarum et figurarum orationis, id quod facile potest ostendi in ipsis historijs contentionum Ecclesiasticarũ. Et quamuis nõ sunt in hoc omnia, tamẽ in interpretatione sacrarum literarum hoc primum est, ut sermonis genus intelligatur, quo intellecto, multa iudicari possunt, quorum pleraq; etiam hoc tempore controuertuntur. Quare non dubium est, quin ad

Hæreses ex linguarum inscitia.

Theolo-

Theologiam necessaria sit linguarum cognitio.

Neq; uos ab hac scientia deterreãt indocti homines, qui ut soli sapere uideantur, nõ solum harũ linguarum studia damnant, sed omnes bonas artis insensissimè oderunt. Ac si res testibus iudicãda est, opponite illis Hieronymi, Augustini, et multorũ tum exempla, tum sententias, qui censuerunt ad enarrandas sacras literas, necessariam esse linguarum cognitionem. Quid quod ita Deus ipse iubilat, qui cum Euangelio linguarum donum largiens, testatur Ecclesiæ linguarum cognitionem necessariam esse. Profecto enim contumelioſe de diuino munere sentit, si quis existimat nullum eius in Ecclesia usum esse. Etsi istos nihil hæc testimonia mouent, Canones saltem audiant, quorum auctoritas eis sacrosancta est. Extant decreta de linguis, extant & constitutiones in Synodis factæ, quæ celeberrimis Academijs de docendis linguis præcipiunt. Cur hæc magna autoritate constituit Synodus, si id studium Ecclesiæ non est utile.

Donum linguarum.

Audiui Gregorium Tifernaten ante annos sexaginta uenisse Parrhisios, & à Senatu Academiæ stipendiũ postulasse, quod ibi Græcas literas docere constituisset. Cum q; nonnullis inciuiliter facere uideretur, quod stipendiũ flagitare ausus esset, cũ Senatus Academiæ neq; accersisset eum, neq;

Gregorius Tifernates.

neq; significasset se ipsius usurum opera, neq; omnino lectorem Græcum haberet ullum: Erant enim adhuc in Gallia, ut apud nos, Græcæ literæ ignotissimæ. Quare cũ interrogaretur, quod hoc regnum esset, Senatui Academiæ quasi imperare stipendium, hic homo paratus citauit constitutionem de linguarum studijs, in qua nominatim mentio fit scholæ Parrhisiensis. Senatum adeò nõ offendit hæc libertas, ut etiã magnopere collaudauerit hominis consilium et studium: stipendium magno cõsensu decretum est. Neq; uero id facturus erat Senatus Parrhisiensis, si cõstitutionem illam Pontificiam non probasset, aut hoc studium iudicasset Ecclesiæ inutile esse. Sed desino hac de re longius disputare, cum Erasmus iustis uoluminibus ostendat, linguarum cognitionem ad sacrarũ literarum interpretationẽ necessariã esse. Et meminisse, hoc ipso in loco non solùm hortari uos, sed etiam seuerè castigare inertiam, atq; ignauiam nostram, D. Doctorem Martinum. Si tantum huius iudicio tribueretis, quantum ipsius & excellens doctrina, & usus postulat, profectò multò cupidius & peregrinas linguas disceretis, & multò plus operæ collocaretis in hæc eloquentiæ studia. Sed quia Theologia nunc in odio est, iuuentus ubiq; cum sacris literis abijcit linguarum & eloquen-

Constitutio de studiis linguarum.

Erasmus.

D. Martinus.

eloquentiæ ſtudium, et eas artes amplectitur, quæ uulgò uendibiliores, & magis quæſtuoſæ ſunt.

Neq; uerò uitupero alias artes. Nam Reſpu. habet opus magna uarietate artium, quemadmodum uerè dictum eſt: Non fit ciuitas ex Melite et Medico, ſed ex Medico et agricola. Sed illi reprehendendi ſunt, qui aut abducunt omnes à ſacris literis, aut cũ ſe dediderunt alijs artibus, nullã ſpem dij partẽ in ſacris literis collocandã eſſe cenſent, et ut uideo, nos irrident omnes, atq; etiã inſanos putãt, qui non in totũ abſtinemus à ſacris literis.

Sed de his nihil hoc loco dicemus, qui cũ aduerſus Deum impij ſunt, tum in eccleſiã crudeles, quantum in ipſis eſt, uniuerſam religionem abolent: Cum alijs moderatioribus diſputabo.

Doctrina religionis ad omnes pertinet.

Primùm ita cogitare uelim bonos adoleſcentes, religionis doctrinã ad omnes pertinere. Et quemadmodum ille dixit: Homines nõ ſolùm ſibi, ſed etiã patriæ naſci. Ita ego multò uerius dicere poſſim, omnes bonos ita ſentire oportere, præcipuam natos ſe eſſe Eccleſiæ. Itaq; etiamſi quæ rationes probabiles uocãt nos ad alias artes, nõ enim adpero eas, tamẽ doctrina Chriſtiana nõ eſt negligenda. Aliquid tẽporis ac ſtudij huic quoq; tribuere oportet, tum ad animos noſtros cõfirmandos, tum uerò ut præparemus nos ad publicã eccleſiæ ad-

lit-

statem. Fuit in foro, in iudicijs Ambrosius, interim tamen & sacras literas legebat, & Græcos Theologos cum Latinis coniungebat.

Deinde linguarum cognitio non tantum Theologis prodest, habet egregias utilitates etiam in alijs artibus, quod quomodo uelim intelligi, quæso attendite, ne quis putet me detrahere aliquid de aliarum professionum dignitate. Sic enim statuo, hos, qui ad Medicinam aut Iuris doctrinam accessuri sunt, præformandos esse quadam liberali doctrina, quæ & Philosophiam, & antiquitatis notitiam continet. Adhibenda est etiam dicendi exercitatio, quibus rebus ingenia & ad suauitatem atq; humanitatem formantur, & acuuntur, atq; instruuntur, ut percipere & tractare artes alias fœlicius possint.

Philosophia sine græcis literis

Si quis autem existimat Philosophiã perfecte cognosci posse sine Græcis literis, hunc sanè pati ar sua opinione beatũ esse. Sed res loquitur ipsa, quantũ interfit inter Aristotelis interpretes græcè doctos, et illos ineptos, qui cũ res grauissimas ab ipsis autoribus traditas explicare nõ possent, nouum quoddam doctrinæ genus pepererunt, plenum prodigiosis somnijs, quod nullum in uita aut communibus negocijs usum habet. Deinde iniuriam Philosophiæ facit, quisquis eam tam

tam angustis finibus circumscribit, ut nihil ei iuuabuat, nisi illa uulgaria præcepta, quæ in scholis ex Aristotele traduntur. Ego uerò ut iam non loquam de Mathematicis disciplinis, cognitione antiquitatis, poëmatum, et historiarum, uel præcipuã partem Philosophiæ esse statuo. Hæc enim continet humanitatis doctrinam, cum proponat omnium officiorum præcepta atq; exempla.

Nihil accidere potest in uita priuata, aut in re pub. cuius nõ extet imago aliqua in historijs sententissimè scriptis. Plurimum autem, meo iudicio, prodest accessuro ad res magnas gerẽdas, intueri in illas imagines uelut in speculũ, et uidere consilia, ac bonorum et malorum cõsiliorum euentus. Præterea multa sunt in ipsis negotijs tũ propositionis, tum Ecclesiasticis, quæ sine antiquitatis cognitione neq; intelligi, neq; iudicari possunt. Quoties de imperiorum mutationibus dicendum est? quoties in Ecclesia requirendæ sunt ueterum contentiones de rebus maximis? Hæc sine Græcis et

Græci uincunt Latinos.

Latinis literis nullo modo cognosci possunt. Et quidem Ecclesiasticæ res tantum græcè scriptæ sunt. Cæterum uarietate & copia rerum atq; exemplorum, longè uincunt Latinos, tum Poëtæ, tum Historici Græci. Nam Romani domesticas res tantum ornare studuerunt: at Græci omnium gentiũ

gentium atque Imperiorum historias complexi sunt, easq; ita descripserunt, ut uerius philosophẽ tur in ipsorum negotiorum atq; consiliorum expositione, quam illi qui in scholis nuda præcepta tradunt, ac uerè Philosophiam ex umbra ac puluere in solem educunt, hoc est, usum eius in uita atq; negotijs ostendunt.

Hæc doctrina etiamsi tantum propter suauitatem expetenda esset, tamen satis magna causa esset, cur græcè disceremus. Quæ enim potest esse uoluptas magis digna præstãtibus ingenijs, quam ea, quæ percipitur ex illa ipsa cognitione maximarum rerũ? Et quoniam uoluptates ipsæ aliquo modo ad mores pertinent, traduci ad humanitatẽ & suauitatem hac delectatione animos arbitror.

At uerò nos non tantum de uoluptate disputamus, de fructu ac necessitate loquimur, quia sine hac liberali doctrina, quæ præcipuè græcis literis continetur, nemo satis idoneus est uel ad cæteras artes tractandas, uel ad res magnas gerendas. Nõ sunt in hoc omnia. Sed tamen si quid omnino doctrina uel ad excitanda ad uirtutem, uel ad conformanda ingenia proficit, non dubito affirmare, eam ad rem plurimum cõducere hoc doctrinæ genus, de quo loquor. Illud certè negari non potest, ad cæteras artes tractandas requiri hanc doctri-

Linguas ad omnes artes tractãdas requiri.

nam. Nã et Medicina magna ex parte Græca, et sine Philosophia percipi non potest. Etsi hi qui se dediderunt Iurisconsultis, nõ tantum illam scientiam Rhetoricã auferre studẽt, ut eã ad quæstiones ferant, sed doctrinã expetunt futurã usui Reip. et ut ipsi loquuntur, non simulatam Philosophiam. His ut potissimum cum decoro tueri personam fas sit, profectò etiam alia quadã doctrina opus est, uidelicet, religionum scientia, noticia antiquitatis, eloquentia, & illis literis, quæ cùm fontes legum contineant, non minus in consilium adhiberi solent de communibus officijs, quàm ipsæ leges.

Præposteratio studia.

Sed sunt quidam iuuenes, qui cum propter iguauiam fugiant discendi laborem, subitò irrumpunt ad summas professiones, quarum titulos præxunt suæ ignauiæ. Hi ut iudicio uideantur hanc aspernari, hæc nostra studia uituperant. Quasiquidẽ ita libet, fiant sanè Solones meri sine Grammatica, sine Dialectica, sine cognitione religionum, sine eloquẽtia, sine Philosophia, denique sine humanitate ulla. Verũ hoc miror, quo ipsi ore

Testimonia Poëtarum et Philosophorum apud Iurisconsultos,

spicere legum libros audeant, quarum autores apparet præclarè instructos fuisse his ipsis artibus, de quibus dicimus. Quàm multa ex græcis et latinis historijs repetunt? Quàm reuerenter assumgunt Homero, quoties eius sentẽtias uelut oracu-

la ci-

la citant? Alicubi pronunciant ex uerbis Demosthenis, alicubi ad uerbum transcribunt Platonis dicta. Et quidē recētiores Doctores disputāt, uale rein causis Philosophorum ac Poētarū autoritatem, quia maiorum instituta, moresq;, et grauissimas rationes honestorū officiorū, deniq; uim omnē iuris naturalis sapiētissimè describūt. Quæ tandē impudentia est, eas literas contemnere, de quibus ipsi legum cōditores honorificentissimè sentiunt?

Proinde modesta & bona ingenia adhortor, ut cum professionis magnitudinem, ad quam se cōtulerunt, considerabunt, exemplo suorum authorum cogtent aliquid studij his nostris artibus ac literis impertiendum esse. Cum cæteris nolo pugnare, qui non solùm nostra iudicia, sed etiam suorum authorum exempla aspernātur. Alia enim alij bona ducunt, ut uerè inquit ille: Ἀνάχαρσις παρ' Ἀθηναίοις σολοικίζει, Ἀθηναῖοι δὲ παρὰ σκύθαις. Nihil isti afficiuntur suauitate earum artiū, quas nos miramur, nec nos ab optimarum rerum studijs istorum iudicia abstrahent.

Atq; ita cogitate adolescentes, cum in studijs uersemini, constantiam ac fortitudinem uobis etiā adhibendam esse. Neq; enim sine fortitudine, coli, aut retineri uirtus ulla potest. Quare nō patiamini uobis harum nostrarum artium et linguarum

Constantia in studijs.

studia, præposteris uulgi atq; indoctorum iudicijs excuti. Durate, et uosmet rebus seruate secundis. Cur enim non utar fortißimi uiri uerbis apud Poëtam, præsertim in causa multò maiore? Nam ille sedes sibi ac socijs quærebat: Vestra studia ad uniuersam Ecclesiam, & ad omnem posteritatem pertinent. Quæ autem causa existere maior illa potest, quàm quæ salutem Ecclesiæ continet?

Capnio ad Argyropylum Romæ.

Sæpe audiui Capnionem, cùm Romam à Principe Palatino certi negocij causa missus esset, uenisse in Argyropyli auditorium, qui tunc Romæ magna cũ laude græcè docebat. Cumq; Capnio rursus renter salutato Argyropylo, in cõsessu multorum doctißimorum hominum exposuisset ei, se hominem Germanum incẽsum studio Græcarum litterarum, gratulari sibi eam fortunam, quod occasionem audiendi ipsius cõtigisset, quo illis quidem temporibus nemo in Philosophia & Græca lingua doctior prædicaretur, oraſſetq;, ut sibi audiẽdi potestatem faceret: delectatus Argyropylus oratione Capnionis, cùm operam suam benignè polliceretur esset, interrogat, an attigerit antè Græcas litteras. Capnio ait, se Basikæ in Germania audisse elementa. Enarrabat autem fortè Argyropylus Thucididem, hunc exhibet illi, ac iubet legere, deinde etiam interpretari. Cùm autem & suam ter pre-

ter pronunciaret Capnio (audio enim per studio sum fuisse rectæ pronunciationis) & sententiam sic satis latinè redderet, ibi uerò Græcus ille admirans, conuertit se ad auditores, et exclamans: Ecce, inquit, Græcia nostro exilio transuolauit alpes. Quod quanquam ille uerè dixit, nam exules Græci accenderunt hæc studia apud Latinos: Tamen uos ita existimare debetis, diuinitus accidisse, ne infidis in Græciam Turcis, ac deleta natione Græcorum, lingua etiam intercideret, Ecclesiæ in primis necessaria: Itaq; in has nationes singulari Dei beneficio propagata est. Neq; uerò negari potest, plurimum lucis eam attulisse, cum alijs artibus omnibus, tum etiam sacris literis. Eloquentiæ studia mirificè audiuit: Nam sine Græcis authoribus intelligi Latini scriptores non poterant. Aditum fecit ad Germanam Philosophiam: Neq; tantum ad Aristotelem et Græcos Medicos, sed etiam ad optimos authores Mathematices. Quantum enim debemus his qui Eucliden & Ptolomæum latinè uerterunt? In his expoliendis, et hoc toto genere artium illustrando, uidemus postea Ioannem Regiomontanum ciuem meum, Græcis literis ualde adiutum esse. Et nonnulli nunc quoq; in Germania, qui excellunt græcæ linguæ cognitione, studium conferunt ad ornandos eius generis authores.

Exules græci.

Græcæ linguæ fructus.

res. Boni uiri sacras literas & amare magis & tractare purius cœperunt, patefactis fontibus.

Has artes, quas recensui, obruere ac delere impius fuerit, quàm solē è mundo tollere. Neq; uerò sine cognitione peregrinarum linguarum retineri earum possessio potest. Qua ex re facile iudicari potest, linguarum noticiā nō esse leue aut uulgare Dei donū. Quæ autē impietas, quod scelus est spe le donum, cuius usus tā latè patet, aspernari, aut uinitus illatum in has nationes rursus explodere atq; eijcere? Leges publicè atrociter puniūt sacrilegia: At maius sacrilegium est, Ecclesiā spoliare linguarū cognitione, quā aurea aut argentea suppellectile. Hæc enim cœlestia dona Euangelio lucem afferunt, & uerius sunt Ecclesiæ suppellex, quam ulla ornamēta aurea. Neq; enim dubium est, quin ad hāc utilitatē Deus Euāgelio addiderit donum linguarum, ut uocāt, ut ad sacras literas explicandas cōducant. Itaq; sacrilegos istos linguarum contēptores putate in ipsas aras ac templa impetum sancti furoris olim facere, et uastitatē atq; exitium religioni et omnibus honestis artibus minari: nec dubitate quin Deo pœnas daturi sint. Nos uerò simus Deo grati, et erga ecclesiā pij esse studemus, agnoscamus Dei beneficium, et propter ecclesiæ unitatem tueamur et cōseruemus. Siquē ab his studijs hoc de-

Sacrilegi linguarum contemptores.

hoc deterret, quòd nõ uidentur labori respondere præmia, is nõ satis religiosè de Deo sentit. Cùm enim pietati toties ingẽtia præmia Deus pollicea tur, nõ est de eius fide dubitãdum. Alicubi promittit amplißimos frugum prouentus, si populus libe raliter cõferat ad usus necessarios templi. Quare nec nobis præmia defutura sunt, si studia nostra ad Ecclesiæ utilitatem conferemus. Et est pietas expectantem hæc promissa, Ecclesia utilitatibus consulere. Dixi.

Præmia habet pietas.

ORATIO DE CONCORDIA ET Communicatione studiorum, atq; operarum, in promotione Magistrorum, dicta à Decano Magistro Ambrosio Iuterbocensi, Anno M. D. XXXVII.

VM Agesilaum regem Spartarum, domi suæ cum paruis liberis in baculo equitantem deprehendisset quidam ex Ducibus, casu interueniens, atq; admirans Regem, et quidẽ talem, quo illa ætate nullus uir præstantior in tota Græcia esse iudicabatur, hoc modo cum pueris colludere, petit Agesilaus ueniam ab isto, siquidem hic ludus uideretur alienus Regia grauitate.

Agesilaus equitans in baculo cum paruis liberis.

tate. Deinde addit, se non tantum oneris ipsum ponere, ut perpetuò hanc rem taceri postulet, sed rogat, ut tantisper taceret, donec ipse liberos haberet: significans eum qui liberos nõ haberet, nõ intelligere, quid habeant hi ludi, nõ dico uoluptatis, sed utilitatis. Quãuis enim per se ridiculi res sunt, tamen ad disciplinam, ad mores formandos pertinent. Et prudens pater intelligit, magnum uim assuefactionis esse in tenera ætate, etiam his læuissimis exercitijs. Vt autem ille Spartam miratur patrem colludentem cum paruis filijs, ita multi nunc quadam inusitatæ sapientiæ persuasione derident, cùm alios multos ueteres & honestos mores, tum etiam hos scholasticos gradus, & spectacula promotionum: Quos uelim hanc Agesilai responsionem considerare, ne prius uituperare uetera instituta, quàm ipsi habeant liberos: hoc est, non prius quàm perspexerint quanta sit infirmitas in tenera ætate, quamob causas, hi ludi, gradus, tituli propositi sint, quãtum referat puerilia ingenia his ritibus certa quodam ordine assuefacere, ac prouehere in discendo, quantum conducat exemplum, ut assuefaciant ad publicos mores amãdos. Incredibilis infirmitas est animorum puerilium, quare ad eos excitandos, regendos, aut deprauandos, parum re-

Puerilia studia & assuefactiones.

sert

sepe magnum referunt momẽtum. Hãc infirmitatẽ quo magis perſpicimus nos, quos iã uſus, ætas, mutationes Reipub. graues erudierunt, eo magis amamus hos ſcholaſticos mores inſtitutos, ut ſtudijs proſit ordo, ut diſcant adoleſcentes ordinum diſcrimina intelligere. Itaq; non recuſamus quanquã ſeneſcentes, in hanc ſcenã prodire, et amãter petimus à prudentioribus, ut & ipſi faueant his ſpectaculis, propter iuuentutis utilitatẽ. Neq; enim tantum ad hunc cœtum, qui in hoc theatrum cõfluxit, ſed ad noſtros liberos, et ad poſteritatem pertinent. Nõ faſtidiamus hos ludos, tanquam res indignas nobis, ſed exemplũ noſtrum prodeſſe adoleſcentibus ad honeſtos mores amãdos, et cõſeruandos exiſtimemus. Hæc præfatus ſum, ut imperiti intelligant, nos bono cõſilio hos ſcholaſticos ritus conſeruare. Quod cùm ita ſit, æquum eſt, uos orationem meã patienter audire, quam hoc loco habere me cogit officij ratio. Etſi autem quædã erant cauſæ, cur de artium ſtudijs et utilitate, hoc tempore dicendũ uidebatur, tamẽ cum alij ſæpe uobis cõmonſtrent uſum, in multis uitæ partibus, & uituperatoribus grauiter reſpondeãt, relinquã modo id argumentum, et dicã de cõcordia, deq; cõmunicatione ſtudiorum atq; operarum, ſine qua retineri et conſiſtere Reſpub. non poteſt. Communicatio ſtudiorum atque operarũ.

Extat autẽ apud Græcos uenustum epigrãma, in quo pingitur optimus Reip. status. Ac eo libenter argumẽtum Epigrãmatis illius recitabo, ut exemplum illustre adolescẽtes infigãt animis, quod eos et in schola, & deinceps in omni uita admoneat, qua arte retinẽda sit publica tranquillitas. Est rò magna est ars, seu sapientia potius, præcipue requirenda in ijs, qui uiri boni perhiberi uolunt, quæ cuiusmodi sit, in hac imagine cõspici possit.

Opt. Reip. status imago.

Forte in uia cõueniunt cæcus et claudus, alter sine duce progredi cæcus nõ posset, claudo etiã ad hiculo opus esset, retinebatur uterq; suo malo. Videbat autem claudus cæcum ualidos lacertos, firmos pedes, deniq; robur integrũ corporis habere, nec quicquam morbi in eo hærere, nisi quod oculis captus erat. Quare prudenter inijt rationẽ, ut inter se cõmunicarent operas, et alter sarciret id, quod deerat alteri, ut cæcus tolleret in humeros claudum, claudus ipse monstrator uiæ esset. Exponit sanum cõsilium cæco, et suam operã pollicetur. Et sarcina imponebatur nõ leuis cæco, tamẽ cum humanitate socij caperetur, nõ detrectat hãc conditionem, ac sublato in humeros claudo, pergit, et gubernat eum claudus. Ita amãter cõmunicatis operis, iter susceptum conficiunt. Hæc est imago optimi status in Repub. Primum enim in tanta multi-

ac nam

de uarietate negociorum, nemo unus par esse omnibus rebus administrãdis potest. Deinde tanta est infirmitas ingeniorum, ut etiam qui unum aliquod munus sustinent, tamen interdum non satis sint intenti, interdum fallãtur. Deniq; nihil est in rebus humanis ab omni parte perfectum. Itaq; opus est primum in Repub. ea inter ciues beneuolẽtia, ut non grauatim, quod quisq; potest, ad usum cõmunem conferat, deinde quædam ut uitia in alijs dissimulemus, postremò ut nostra diligentia, dexteritate, et uirtute sanemus, ut sicubi cessatum est ab alijs, arte ab alijs sarciatur iactura. Talis status optandus est ex animo, & decet bonos omnes, cõsilia omnia sua, et omnes actiones ad hũc statum efficiendum dirigere. Sic in schola liberaliter conferant singuli suas artes ad communem usum. Nemo alterius generis artifices premere conetur, quædam etiam incommoda in alijs tegenda sunt, et uel comiter emendãda, uel arte quadã sarcienda. Ac nos quidem in scholis præcipuè amemus hunc statum, quia Aristoteles, quẽ sequimur Magistrum in Philosophia, Aristocratiam maxime probat, et hanc antefert omnibus formis politiarum. Sequamur igitur Aristotelem, & in scholis, quantum fieri potest, Aristocratiam efficiamus. Hæc autem non sunt Aristocratica, sed partim

ἀριστοκρατικὰ

partim Timonica, partim ὀλιγαρχικὰ, grauitim operas in commune conferre, uel impedire aliorum cursum, qui et ipsi bene merentur de Rep. pub. aliorum aucupari errata, aut etiam calumniari studia, seu odio, seu ambitione, seu aliqua alia cupiditate. Quanta inter se modestia certarunt septem illi summi uiri, qui Sapientes nominantur, qui eodem tempore floruerunt in diuersis ciuitatibus? Nã cum Mileti, inuentam auream mensam Apollo iussisset sapientissimo dari, ciuitas Thalidandam esse decreuit: is magnitudinem huius laudis non agnoscens, & libenter alteri, uel imperiens, uel cedens, misit Soloni, Solon ad eundem modum Bianti. Cum per omnes septem uagata missa ad Thaletem rediisset, ait Thales, nunc demum oraculi sententiam intelligere: iussitq; mensam referre Apollini, quod Deus significasset hoc inuento lucro, neminem mortalium, sed solum Deum sapientem esse. O uerè Aristoteraticos uiros, quorum nemo de alterius laude quidquam decerpsit: deinde, qui uiderint, nihil esse furiosius, quàm homines sibi sapientiæ laudem arrogare. Itaq; comiter inter se uixerunt. Et quidem Solonem accepimus a Thalete didicisse motus astrorum. Nunc uero quoties illud fit, quod ait Martialis:

Septem sapientum modestia.

Qui uelit ingenio cedere, rarus erit.

Et

Et uidimus aliquoties hoc accidere, ut ortæ dissentiunculæ ex leuissimis initijs excitarint ingentes tumultus; quorum exitus ne nunc quidem prospici potest. Cur hic nõ uenit in mentem cæci et claudi, ut mutuis officijs cogitaremus iuuandam esse Rempu. non acerbitate animorum dilacerandã: Romæ Scipionem optimè meritum de patria, inuidi ciues aliqui allatrarunt, quibus ille ex urbe cedere maluit, quàm excitare maiores tumultus uehemẽtius concertãdo. Ita cum nõ abduceret eũ ambitio à moderatione, cõmuni saluti ac tranquillitati optimè cõsuluit: contra flagitiosè Marius, qui cum ureretur gloriæ Syllæ, conatus est eũ ui spoliare exercitu et prouincia, patriam implicuit crudelissimo luctuosissimoq; bello. Sed omnium seculorum, atq; ætatum historiæ plenæ sunt exẽplorum, in quibus cõspici potest, sæpe certamina accesa, seu quadã morositate ingeniorum, seu odijs aut inuidia, magnis imperijs ac ciuitatibus exitio fuisse: Rursus etiã commoditate moderatorum ciuium, qui impetus aliorũ, ratione lenierunt, seruatas esse Respub. Hæc exempla cũ legimus atq; audimus, nos quoq; ad moderationem, & regendos animorum impetus hortentur. Decet enim præcipuè literatos homines doctrinam uirtutis, ad mores atque usum transferre. Deinde ne quaquam

Scipio cauet dissensiones.

Marius excitat incendium.

quam cõmittendum est, ut quemadmodum nauē, excusso gubernatore, sine uelo, sine gubernaculo uētis iactatur, ita nos extincta ratione, rapiamur affectibus, nec cõsideremus quid expediat ecclesiæ, quid Reipu. quæ exempla noceãt iuuentuti, quid publicis studijs prõsit aut obsit, sed qua impellunt turbidi affectus, cœco impetu ruamus. Tale uitæ genus nec Philosopho, nec Christiano conuenit. Nã uel maximè Christianus omnia sua cõsilia ad gloriã Dei, ad ecclesiæ ædificationem, et ad iuuentutis salutẽ referre debet. Nec uerò fieri potest in tãta infirmitate hominum, quin incidant errores atq; offensiones. Et Diabolus sæpe igneis telis, ut uocat Paulus, sauciat animos, et inflammat odijs, ut ecclesiã, aut Rempu. dissipet. Has dissidiorum causas intelligere Christianos decet, ut singulari diligentia, et muniant pectora aduersus illa tela, & affectibus frenum inijciant. Si quid in alio desideras, cogita qua ratione mederi possis, nõ ut exulceres. Plutarchus περὶ φιλαδελφίας scribit morem fuisse Græcæ gentis, cum duo fratres una incedebant, et ad lapidẽ aliquem excitatum uenibãt, ne seiuncti cederẽt medium locum lapidi, sed ut ambo simul ad idem latus circuirent lapidem. Huiusmodi ritus uarios singulæ gentes habent, qui et recepti et conseruati sunt, quia aliquid ha-

Mos Græciæ ad concordiam accõmodatus.

mõ-

moribus significabãt. Accõmodat igitur Plutarchus hunc ritum ad fratrum concordiã, ac monet eos hoc exemplo ait, ut caueant, ne quis lapis, hoc est, ne ulla offensio diuellat eorum animos. Et si qua inciderit offensio, ut illã coniuncti circumeant, hoc est, dissimulent, deleãt ex animo et extinguant. Hæc uirtus nõ solùm priuatis familijs, sed Reipu. et ecclesiæ necessaria est: Itaq; extant in scriptis sapientissimorum hominum grauissimæ cõciones, quæ hortantur, ut concordiã tueamur, ut placari nos sinamus, ut redeamus in gratiam cum ijs, quorum animi sunt sanabiles. Cũ autem de his rebus loci scripturarum uobis noti sint, nolui esse prolixior. Tantum illud moneo, quod apud Homerũ est, qui fingit Aten ualidissimo corpore discurrere, et dissidia excitare, sequi uero Litas diuinitus missas, quæ hortantur, ut redeãt homines in mutuam gratiam. Et addit Poëta, Litas magna beneficia impertire obtemperantibus, & uicissim eos exaudiri, si quid à Deo petant: Alijs uerò qui non obtemperant, imprecari, ut Ate de eis pœnam sumat. Nec uerò putate hanc Homeri concionem fabulosam esse. Sententiam haud dubiè à uetustissimis illis parentibus, quibus uera religio nota fuit, acceptam recensuit, & Poëtica addidit picturam. Quid enim uult aliud, quàm

Ate et Litæ Homericæ.

quàm quod toties præcipiunt ſacræ litere, ut ſi-
mus placabiles, ut obliuiſcamur iniurias: hoc ſa-
ficio ita delectari Deum, ut uiciſſim nobis roga-
bus det erratorum uenią, et multa largatur bene-
ficia? Rurſus autẽ implacabilibus placari nolle,
et eorum pertinaciã aſperitatemq; animorum p-
nire. Hæc ſententia nequaquam prophana eſt, ne
nauitq; haud dubiè à pijs maioribus ad poſteros
Scitis enim à Chriſto nobis ſæueriſſimè cõmen-
tum eſſe hoc officij genus: Remittite, & remi-
tur uobis. Hæc præcepta, ſi magnificimus Deu
autorem, ſi amamus publicam eccleſiæ tranquil-
tatẽ, ſi Reip. ſalus nobis curæ eſt, toto pectore a
cipiamus, et communem concordiam tueamur. A
quæ ſunt in amicis incõmoda, aut prudenter ſa
mus, aut comitate noſtra tegamus, cogitemus
,, ſæpe in uita locum habere illud quod ait Plini
Plinii dictũ, ,, Qui uitia odit, homines odit. Certè in ſchola
uiuere, ut uiuũt in arena gladiatores, turpe a
ſerum eſt. Ferarum enim eſt talis congreſſus, q
quod hæ cognatarum morſu abſtinẽt, gladiato
uerò mutuis cædibus in ſeſe ruũt. Itaq; et hor
et oro omnes ſtudioſos, ut omni genere officij
uare Remp. et tueri cõmunem concordiã anni
tur: Id dignum eſt bonis uiris et Deo gratũ: et
Pſalmus inquit, hoc agẽtibus Deus dadit bene
ficia

ctionem. Postremò quia non tam mea oratione, quàm autoritate et sententia optimorum, et præstantißimorum autorũ uos adhortor, libuit in fine adijcere memorabile dictũ Senecæ, qui sic in postremo libro de ira ait: Dũ inter homines sumus, colamus humanitatem, non timori cuiquam, non periculo simus: detrimenta, iniurias, conuitia, uellicationes contemnamus, et magno animo, breuia feramus incõmoda, dum respicimus, quod aiunt, uersamus q; nos, immortalitas aderit. Dixi. Senecæ.

DE MISERIIS PAEDAGOGOrum Oratio.

IN Aesopi apologis quæritur apud Iouẽ asinus de suis ærumnis, quotidianis se operis cõfici et enecari: sed est querela Pædagogorum de suis miserijs iustior profectò, si res ad calculos reuocetur, quàm asini. Quis enim ullo in pristino asinus tantum mali pertulit, quãtum mediocris pædagogus in uno atq; altero docendo, tum laboris exhaurit, tũ molestiæ perpetitur? Quo in genere uitæ, quia mihi aliquandiu uersari cõtigit, et experiri quàm sit calamitosum, libuit in præsentia de pædagogo Pædagogi asinis magis miseri.

rum miserijs dicere, & cõmunia mala nostri oblivionis deplorare: Est enim quædã in malis uoluptas, liberè conqueri, sicut Ouidius ait cum scripsit:

Expletur lachrymis egeriturq; dolor.

Proinde cum alios æquis animis de alienis negocijs dicentes audiatis, et mihi quæso meã agnoscatis fabulam, uerumq; dolorem repræsentanti operã date. Etsi ille apud Terentium, cum dicit hominem se esse, nihil humani alienum abs se esse, recte ibi cauit, humanum esse alterius miseria affici: debetis profecto et uos uice mea commoueri, et querelam meam patienter audire, mihiq; ueniam dare, si cubi diutius iusto in commorandis malis nostris
» commorari uidebor: Nam ubi dolet, aiunt, ibi mo
» » num quisque habet. Ego cum per inopiam ingenij
» » sentirem me nil huc adferre posse, quod magopere delectaret, & me quotidianæ uitæ consuetudo huius argumenti admoneret, gesti scilicet meo dolori morem, & hanc materiam sumpsi pro uirili tractandam. Ex qua equidem non ingenij laudem, sed in hac carnificina quædam curarum solatia captabam, planè mihi requires, non fama petita est. Nec me sinebant hæc mala diligentius elaboratam orationem huc adferre. Sed dum doloris sequor, sine ordine incondita pleraq; effudi, ijs condonabitis, opinor, mihi facilè, si qua miseriã

tio mei tanget. Neq; enim uacabat animo sic occupato, uerborum habere acurratiorem delectum.

Commemoratio & præludia miseriarum.

Sed exordiar aliquando causam, quam animus meminisse horret, luctuq; refugit, et quærar apud uos de conditione pædagogorum, quo genere hominum nulli mihi, ne quidem in ergastulis, uidentur infœliciores. Primùm enim cùm traditur pædagogo puer docendus, et ad humanitatem ac uirtutem informandus, uidete quæso quàm durã prouinciam plenamq; miserrimi laboris ac periculorum capiat. Non ante matura ætas pueri uidetur ut mittatur in ludũ literarium, quàm cum domestica indulgentia corruptus est, & uitia tum intelligit tum degustauit, is non modo nullum amorem literarum aut admirationem, sed acerrimum ergà illas odium, contemptum præceptorum, turpissima exempla domo adfert. Cum eiusmodi monstro præceptori decertandum est. Si doceas, peregrinatur animus pueri, & ut optimè succedat, sexcentiesidem inculcandum est, dum illi inuito hæreat in animo: cùm paululum modò despexeris, rursus ex animo illa omnia toties decantata puero effluunt. Si reddere cogas quæ didicit, tum uerò uideas planè ludibrio haberi præceptorem. Nã puero, ut est, cõtumacia, uoluptas est admissi» se aliquid, quod urat & exerceat præceptorem.

Domestica indulgentia corruptus puer.

Si quis cogatur docere camelum saltare, aut asinum fidibus ludere, nónne illum egregiè miserum dicas, qui frustra maximum laborem sumat? At id tolerabilius est, quàm nostros pueros docere. Nam ut nihil promoueas in camelo aut asino exercendo, certè illi nulla iniuria cumulant molestiam. At isti belli pueri cùm strenuè defatigarunt nos, quàm sunt insuper in nos contumeliosi? insanias qui palàm ausit conuitium facere præceptori, & manus auriculas imitatur mobilis alba. Et eiusmodi mores domo ad præceptores afferunt, nihilo reuerentius antea parentes tractarunt, quàm nunc magistros tractent. Et paulatim uertit in naturam mala consuetudo, ut corrigi et emendari hæc uitia nunquàm possint. Quid est si non hæc miseria, perpetuis curis ac labore indocendo frustra consumi et enecari? Deinde pro tuis meritis etiã ludos deliciasq; et quidẽ puero fieri?

Persius.

Pingunt apud inferos Sisyphum immane saxum in aduersum montem uoluere, quod tamen è summo iam uertice rursum labitur, & planiraptim petit æquora campi: Significariq; scribunt eo commento, irrito labore multos mortales confici. Mihi multò clarius repræsentari uideretur inanis opera, si pingeretur ibi pædagogus cum eiusmodi puero, qualem paulò ante descripsimus.

Sisyphi saxum in Scholis.

Quanto

Quãto enim maius negocium est pœdagogo quàm Sisypho, nec tamẽ maius operæ præcium fit. Illius in uersando saxo simplex labor est, et cura uacat, pedagogi uide mihi quàm multiplex negocium sit. Nunquã nisi coactus à præceptore puer librũ in manus sumit, ubi acceperit, oculi atq; animus expatiantur. Ibi tanquã calcaria addenda, quæ admoneãt officij. Enarrat aliquid præceptor, iam illi delicato somnus obrepit, & securus in utranq; aurem dormit, dum se pædagogus dicẽdo rumpit. Nouum ibi negociũ fit pædagogo expergefaciendi discipuli. Dictata repetuntur, experrectus adolescens iubetur adijcere animum ad ea quæ traduntur, uerùm non est cura Hippoclidi, foris est animus tanquã in alio mundo, in ganeis, in alea, in pernicioſi sodalitij ludis. Tantum abest, ut meminisse aliquid studeat, ut eam legem quæ de conuiuijs extabat apud Græcos, μισῶ μνάμονα συμπότην, ipse de scholis latam putet, et incisas nõ in æs, sed insculptã animo circumferat μισῶ μνάμονα μαθήτην. Itaq; si postridie dictata reposcas, quia perfluxerunt aures omnia, nil tenet, ibi magistro redit labor actus in orbẽ. Orditur pristinã cantilenã, nec semel repetit, donec isti trunco unũ atq; alterum uerbum infligatur. Quis est tam cornea fibra, qui non stomachetur, tantum operæ se

Erasmus in Chil.

perdere, præsertim cùm interea & valetudinis iactura facienda sit? Nã atteruntur & labefiunt corporis uires, nõ modo dicendi labore, sed etiam cura, doloreq; animi, quem, quia nõ respõdent nostræ diligentiæ studia puerorum, indignitas reipsa rit. Seculum in his miseriis consumitur, dum ipse primas literas didicerit. Nec putet se iã defunctũ esse pædagogus, hæc tãtum nostræ Tragœdiæ pa ludia sunt, restat Epitasis multò cruentior.

Epitasis huius Tragœdiæ.

Infinitus labor est, os puerile formare, & Latinam linguam assuefacere: Nam cùm lingua expoliatur consuetudine bene loquendi, eamq; de rẽ disertorum cõmercia multum momẽti adferũt, primùm, ut est negligentia, conuerrunt ex proximo, hoc est, à patria lingua omnẽ sermonem. Latinè loqui, quia id difficilius erat, ne quidẽ conantur. Deinde quia sui similibus delectantur, eruditorum commercia procul fugiunt. Apud unum præceptorẽ Latino sermone utendũ est, ad quem cùm uentum est, Dij immortales, quale spectaculum committitur? Puer aliquandiu in statu modum prorsus mutus est. Postea ubi se colligere coperit, ac meditari uerba, quia animus perturbatus est, oculi superciliaq; peruertuntur, si uiles, dicas comitiali morbo arripi: peruertitur & uelut Cynico spasmo fœdissimo rictu. Post aũ

I. Sermo.

dia

diu secum luctatus est, tandem uocem ædit. Sed ne deprehendatur, si quod fortè existet solœcum, stridit obscurè. Quidã ingenioſi sunt in postrema syllaba & casu dictionis obruendo, ne percipiatur. Iubet præceptor clara uoce pronunciare, ille iterat & uerba cadentia tollit. Exaudit iam præceptor, sed nihil nisi uerborum portenta. Nec autores qui præleguntur redolet sermo, nec cum Grãmaticis præceptis conuenit. Hic demum sentit se uerè miserum esse pædagogus: Nã cùm ex studijs puerilibus nõ alius fructus petatur, quàm ut expedite loqui possint, hic uidet sibi operam et oleum indicendo perire, in tam prodigioſa discipuli insantia. Sed quãtæ difficultates exorbẽdæ sunt, dũ huic uitio mederi studet? Dißimulandus ei dolor animi, iracũdia reprimẽda est, comitate puero perturbatio animi sedanda, blandè inuitãdus est ad loquendũ. Sæpe trahendi lõgius de industria sermones, ut cõsuetudinem latinè loquẽdi puero faciat. II. Stylus.

Hæc una res cùm plus satis adferat moleſtiæ, tamen multò magis exercet præceptorem stylus, quem ut latina lingua fiat puero familiaris, adhibendum esse uidet, ut usu scribendi confirmatus tutò loqui possit. Nõ enim unum remedium ad excutiendũ istum ueternũ puerilibus ingenijs satis est. Sed cùm nihil perinde ad parandam quàm uberri-

mam sermonis copiam conducat atq; assiduus stylus, non alium laborem tamen perinde recusat suscipere, atq; scribendi. Nihil est opus hic recensere causas: Etenim nota uobis natura hominum nostrorum. Immane quantus labor est perpelli, ut uel toto semestri unum epistolium scribat. Ego uerò comperi non aliam crucem nobis esse acerbiorē, quàm cum istis cessatoribus quotidie rixari, cum officij monentur. Neq; uerò unquam magis potest, ut unum uersum scribat, nisi præceptor assideat, dictet argumentum, suppeditet uerba. Ille cùm inueniēdi cura uacat, tum ægrè dictata excipit. Serò hac consuetudine eò promoueris, ut Marte conetur scribere, si tamen unquam conetur. Nam illum crede uirgula diuina ad uirtutem incitari, qui uel sero per sese conatur aliquid componere. Quis non malit in pistrino molere, quàm hanc tam molestā plenamq; stomachi peruicaciam gerere? Sed fac istum tandem cœpisse scribere, primum operæ in emendatione scriptorum ponendum est. Est enim sceleratus præceptor, qui hac re cessat, si Horatio credimus, qui negat bonum uirum esse, qui cùm censor fiat alieni scripti, uitia non reprehendat. Est enim notus uersiculus

Emendatio scriptorum.

Vir bonus et prudēs uersus reprehēdet inertes
Primùm autem in corrigendis sermonis uitiis

oculos

oculatus præceptor non ſimplicem laborẽ ſumit, dum Grammatica errata mutat, dum obſcurè & ambiguè dicta perſpicuè explicat, dum impropria corrigit, dum horridis addit nitorem, et figuris illuminat, et gratiora blandioraq; facit. Porro relegere inepta ſcripta puerorum moleſtũ eſt quãuis patienti præceptori, quãto magis emendatio fatiget? præſertim cum plerunq; ratio etiam cur quippiã mutarit, indicanda ſit. Tum caſtigandi acrius qui negligentius ſcripſere, hortãdi alij ut inceptum curſum urgeant. Neq; uero tantum ſermonis uitia monſtranda ſunt, ſed in his quæ iam nonnihil promouerunt, rerum etiã habẽda ratio, et uoluntates regendæ. Quoſdã enim cõuitia delectant, in alijs eſt ridicula uanitas, et inanis iactantia, et ſtrè mores ſtylus arguit. Hæc uitia cum uires accipiunt, nec è teneris animis euelluntur, hærent in ſenibus ſumma cũ turpitudine. Expendite quæſo, conſtent hæc mediocribus præceptoribus, uel ſi dociles habeãt diſcipulos, & tamen noſtris ſtrè aut ingenia deſunt, aut deeſt uoluntas diſcendi. Duplicatur autẽ labor, cum ſumma ui ad officium cogendi ſunt. Nam ut in acie parum fœlix Imperator, ſi milites habeat primum ignauos, deinde quos non pudeat fugere, poſtremo qui non obtemperent, ſed pugnent iniuſſi, locum capiant ex

Simile militare

ſuo arbitrio, nõ ſeruẽt ordines: Etenim apud Thucididem egregius quidã Imperator dicit adhortans pugnandũ requiri, ut uelint milites, ut fugere nequeant, ut obtemperent Imperatoribus: Ita in hac ſcholaſtica militia miſerrimis curis præceptorũ ficitur, cũ docendos ſuſceperit, qui primum non flagrãt ulla cupiditate diſcendi. Nihil enim in omni uita egregium effici poteſt, niſi animus ſuũ eius rei, quã affectat, ardeat, et ad eũ magno quodam motu, atq; impetu rapiatur. At noſtri tepenter frigent in diſcendo, nec accendi ulla ratione poſſunt, magis cogi uolunt tanquã pecudes. Denique nec laudis amore, nec pudore extimulantur.

Porro cum hominum naturæ proprie pudoris ſitus ſit, quid eſſe noſtros pueros dicã, quos etiam non pudet inſcitiæ? ego uerius monſtra hominum dixerim, quã qui mutilis membris aut cæci naſcuntur. Eſt enim leuius malũ, mutilo pede eſſe, quam humana mente carere. Iſti enim ſimpliciter humana ſpecie beluinas mentes tegunt, quos in rebus piſſima flagitioſiſſimaq; ſui nihil pudet. Poſtremo nunquam quiſquam tam fœlix præceptor fuit, qui ita obtemperarit diſcipulus, ut præſcriptã diſcendi rationem ſecutus ſit, ut ad hos autores cuiuſcunq; dos alligari ſe paſſus ſit, in quibus eum ſolis uersari atq; commorari, tanquam domi ſuæ præceptor

uolebat, ut ad tẽpus scripta absoluerit, ut ea quæ edidicit statis horis memoria repetiuerit, ut sermone castigatiore apud sodales usus sit. Nostri quidẽ nihil horũ præstant, in carcerem se includi citius patienter, quã in uno autore detineri. Varietas grata est illi ætati. Itaq; uaria, sed plerũq; deteriora legũt, si tamen aliquid legunt. Iã fodere malunt quàm memoriã aut linguam exercere. Sic sunt pueri in genere, alij magis, aut minus ignaui. Nã etiamsi quis indole generosa est, tamen ea ætate parum in animis roboris est. Et quemadmodum lõgus labor est infantium corpora firmare, gestãdo, alijsq; mollibus exercitijs, sic infantia ingeniorum nõ nisi sero curatur, postquã diu summa comitate docueris et adsuefeceris, nec aliter tractaris atq; suos alumnos nutriculæ tractãt. In tanta inertia istorum, cogitate quid animi præceptori sit, nimirũ idem quod Imperatori, qui abiecta uictoriæ spe, intelligit hosti salutem, tum suam, tum patriæ scelere exercitus sui proditam esse. Consumitur acerbißimis curis, uidens tam malè locari grauißimos labores in iuuentute formanda. Varietas istius ætatis.

Dixi hactenus de ærumnis, quas in docendo tantum perferimus, restat altera officij nostri pars longè difficilior superiori, cura regendorum morum. Quid ibi mali non uidet præceptor? Primum 3. Mores.

mum ætas illa natura ad uitium propẽſior eſt. Et
« Plato ſcripſit, nullam beluã intractabiliorem eſſe
« puero. Itaq; tãtopere ſudabit præceptor in regendis his, qui domi ſumma diligentia parentũ ad religionẽ et ad bonos mores inſtituti ſunt, ut ſæpe aut ursum experiatur facilius poſſe gubernari quàm hos. Et tamen in ſcholas quotquot ſtruuntur, peßimos mores, turpißima exempla ſtruunt, ut refingendi ſint de integro. Eſt autem facilius, praua quæ ſemel inſederũt, dedocere, quàm recta docere. Scitis enim Muſicum illum grandi mercede docuiſſe, quĩ ante ſub alijs magiſtris male aſſuefacti erãt. Pugnamus ergo cũ ingenijs puerilibus, quæ per ſeſe ferociſſima ſunt, præſertim in Germanis & domeſtico uſu corrupto. Vitant enim iſtos bonos parentes, quorũ multi ſe Euangelicos uocãt, cum in ea ætate prima eſſe tradenda religionis cura debeat, hi ne quidẽ ſacras preces, Decalogũ et hoc genus alia domi docent, plerique parentes cõtemptum religionis docent. Tam corruptum hoc noſtrum ſeculum eſt, ut iure poſſit dicere, deceptum eſſe Satyricum, cum dixit:

Corruptus huius ſeculi ſtatus.

Nil erit ulterius quod noſtris moribus adiiciat
Poſteritas.
Omne in præcipiti uitium ſtetit.

Neq; enim dici poteſt quanta acceßio ſceleris omnis

omnis generis, nuper adeò ad uetera uitia facta sit. Domestica disciplina perijt, quæ tamen nobis pueris erat mediocris. Magna diligẽtia domi tradebãtur elementa pietatis. Nunc alia res est, ridẽtur sacra, eamq; summã sapientiã ducunt. Et quia Dei metus exemptus est animis puerorũ, ruitur in omnia uitia, quorum ego iã memoratione non delector: Proinde cũ in scholã uentum est, necesse est sumi in docendis primis pietatis gymnasmatis operã. Sed quid discerent infecti ante impijs opiniõbus? Sed ut mediocriter succedet, tamen in officio retinere quantus labor est? domi retinere, arcere à corruptis sodalibus, à ganeis, ab alea, et reliquis similibus? Hoc qui potest, illũ ego nõ hominẽ, sed planè Deũ quendã cœlitus in terras publicæ salutis causa delapsum esse pronunciauero.

Mille artes excogitant pueri fallendi præceptoris. Et in pluribus tãtus furor est, ut palàm cõtemnant imperium. Quia enim à literis perpetuæ feriæ sunt, ocium et docet et alit uitia. Est enim uerissima sententia, quã reliquit scriptã Columella in præceptis, quæ patrifamiliãs præscribit: Nil egendo fieri ut homines malè agere discãt. Iã ubi domo tanquã è carcere refractis repagulis fugerit adolescens, miserrimæ curæ subeunt animum præceptoris. Quæ ille in fabula Mitio sibi uenire in men-

Mille artes puerorũ decipiendi

« «
« «

in mentẽ dicit de filio, eadem præceptorem solli-
tum habent, ne ille uspiã ceciderit, aut perfrege-
aliquid aut uulnus acceperit, & hoc genus alia
Quare iã cogitat sibi summa ui coercendã esse
scipulũ. Et cum hactenus à plagis abstinuerit, hic
demũ ad ferocitatẽ castigandã promuntur uirga.
Nã nostri homines nõ nisi plagis coacti, sicut
Phrygibus in prouerbio est, imperata faciũt. Hic
ille miser supra tot mala carnificinã cogitur ma-
cere, rẽ miserrimã, quæq; uel in primis nocua
letudini nostræ. Nemo enim tã est ἀπαθὴς præ-
ptor, quin ex cõtumacia adolescentium cõmo-
tur, quemq; nõ perturbet in uerberando impu-

Quid iam de cura ualetudinis puerorum
cam? quid de sumptibus moderandis? quid de
nibus sumptuum perscribendis? quæ, ne nimis lo-
gum faciam, cogor omittere. Etenim

Non mihi si centum linguæ sint oraq; centum

Omnia curarum percurrere nomina posi-

Postquã præceptoris labores recensui, nunc
te, quæ uicißim pro his tum merces, tum gra-
redeat. Hæc uerò est tragica catastrophe: Sup-
ora omnia ludum et iocum dices fuisse, prout he
mala sunt, quæ restant commemoranda.

Catastrophe.

4. Præmia.

Primum merces adeo est exigua, ut Satyrus
ea de re quæstus scripserit:

Præ-

Pœnituit multos uanæ ſterilisq; cathedræ.

Iure ſterilem cathedrã dixit: Nã foſſorem pluris quàm præceptorem conducunt. In his miſerijs algemus, uiuimus ſiliquis & pane ſecundo, & uix nos à fame defendimus. Videtis enim meã maciem, uidetis ut lacer incedam, quem ſi fortuna feciſſet uel bibliopolam, ſcitis quale ſit id genus, ego iam auro onuſtus incederem, tanquã aliquis Satrapa.

Ingratitudo.

Deinde ſumma ingratitudo puerorum eſt, qui nõ modo nullum ſe à nobis beneficium accipere dicunt, ſed neminem peius de ſe mereri arbitrãtur, quã nos. Qui nihil diſcunt, nos perinde ut literas acerrimè oderunt, uelut ſuos carnifices. Quidam alij leuiter deguſtatis literis, cum iam aliquam indiant eruditionis perſuaſionem, ſic placent ſibi (nã id ſolet ea ætas) ut præceptores nihil morentur, ſeq; iã ad ſummum faſtigium eruditionis peruenisſe putent, ubi ex alto nos deſpiciant. Et non modo non uident quàm curtã habeant ſuppellectilem, ſed ne id quidem expendũt, quibus acceptum ferre debeant id, quantumcunq; eſt quod didicerunt. Nec ego interea recito quàm uarijs contumelijs nos adficiant, ut ſuſpendant naſo, poſticis ſannis petant, ſi quid moneamus. Videte quæſo quàm miſera cõditio noſtra ſit. In eã ætatem beneficia noſtra collocantur, quæ nondum benefacta intelli-

intelligit, tãtum abeſt, ut mutuo amore nos inſe
cti, aut gratiã habere pro noſtris officijs quæ
Sic pereunt nobis beneficia noſtra magis quàm
lis mortalibus. Nã etiam cum ſenuere diſcipuli,
« quia beneficij memoria, nõ ſolet eſſe diuturna, ge
« mo iam præceptorum meminit, quidã etiam mali
gratiã reddunt, ut Nero fecit. Neq; puerorum p
rentes pluris nos faciunt quàm ipſi pueri. Nõ
pendunt depoſitã à ſe liberorum curam nobis
poſuiſſe. Tota enim regendi docendiq; pueri pro
uincia nobis tradita eſt, plena ſollicitudinibus
periculorũ. Ipſi domi ſuæ ſecurè ſuum negotium
agunt. Et iã cum mercedulam dederint, ut exper
brãt nobis ſuum beneficium? Si quid recte fecit
lius, nihil laudis adſcribitur præceptori. Si q
peccauit, accuſatur præceptor. Diogenes cũ ado
Diogenes. leſcentis geſtũ in edendo reprehenſurus eſſet, pe
dagogo impegit colaphum. Si iſti, quicquid pecc
liberi, transferunt culpam in præceptores. Tã
gratia nobis pro ſummis laboribus et curis re
tur. Si quis huc cõferat omnia uitæ genera, inue
niet in nullo tãtum calamitatum quantum in
ſtro, planeq; affirmare auſim, nos omnium mor
lium longè ærumnoſiſſimos eſſe, qui cum ſumm
labores obeamus, in ſumma tamen inopia uix
ægrè traducimus, et interim nullo non contem

lie genere adficimur à discipulis, ab illorum parē tibus, deniq; ab his, de quibus præclarè meremur. Neq; quisquam opinor uestrum est tam ferreo pectore, qui si hæc consideret, uehementer misericordia nostri cōmoueatur. Supersunt autem multò plura mala, sed ego defessus sum hac cōmemoratione, & tempus uetat prolixiorem esse orationem.

V. παραίνεσις.

Itaq; ut finiā, sunt mihi in hoc extremo actu discipuli nostri cōmonefaciendi, ut quoniam audierunt sua uitia accusari, ignauiā, contemptum literārum, amorem uoluptatum, atq; ocij, ingratitudinem, admoniti à nobis dent operā ut hæc emendent, ita et nobis minuetur labor noster, et ipsi domum summa cum laude redibūt, et adferent egregium instrumentum rei familiaris conseruādæ, dignitatis comparandæ, et Reipub. gerendæ. Nam cum uacui domum redeunt, quid accidit? quia nihil didicerunt, nullius usus sunt in Repub. domiq; cum summa ignominia uiuunt. Deinde quia in ocio multa uitia contraxêrè, ea hærent in illis, potant, amant, latrocinantur, ut publicum odium urbis fiant. Exitus autem his moribus respōdet, alij inter pocula occiduntur, alij suas fortunas in alea perdunt, alios perdidêre amores. Possem infinita exemplarecitare, si sineret tēpus. Sic enim Deus pœnam sumit de his, qui primùm Deo autore ad-

Quid accidat improbis discipulis.

hibiti ad discendum, non faciunt suum officium. Nam quod parentes iussêre, id Deus tanquam sua iussa fieri uoluit: Deinde malam gratiam pro meritis præceptoribus reddunt. Noli enim putare ullum esse scelus, quod perinde offendat Deum, atq; ingratitudo: sic enim scriptum est, Ecc non ut recedat malum à domo ingrati. Quæ autem Doctoribus debeatur, tum inde existim potest, quod in uicem parentum succedunt, & lorum affectus erga pueros induunt, tum etia Paulus cõmonet cum ait: Duplici honore digni esse Doctores. Proinde si cupitis ut fortunet bis Deus uniuersum uitæ uestræ cursum, date ram, ut uicissim ea præstetis, quæ ille à uobis gt, ut gnauiter obeatis prouinciam uobis à rentibus commissam, & ut præceptores uest amanter complectamini, & religiosè colatis, nostra studia et nostrum amorem erga uos et augeatis, & mala nostra, uestra commoditate mitigetis.

DIXI.

Ora

ORATIO PHILIPPI MELANthonis, de amore ueritatis, dicta ab ipso, cùm decerneretur gradus Magisterij D. Andreæ Vuinclero Vratisla. et alijs quibusdam bonis et doctis uiris, Anno M.D.XXXV. die April. XIIII.

NOn soleo odiose repugnare amicis: Itaq; modò etiã facilè passus sum mihi prouinciã hoc in loco dicendi mandari, & si pleriq; alij collegæ nostri ad dicendum aptiores sunt. Sed cũ collegis nostris libenter morem gessi, quibus cùm uidetis me coniunctissimè uiuere. Amo enim eos ex animo, & quia me cum eis Respub. coniunxit, & propter ipsorum egregiam doctrinam, & in omni officij genere diligentiam & uirtutem: Tum uerò gratificandum duxi his doctissimis uiris, & huic hospitii, qui cum singulari fide & fœlicitate literas doceat, non deesse ei studia atq; officia nostri ordinis debent. Nã si rectè æstimes, amplissimè de tota Rep. merentur isti, qui primam ætatem rectè erudiunt, et ad maximas artes præparant. His igitur ostendere uolui, me & honori ipsorum fauere, & hac scholarum testimonia, seu gradus magnifa-

cere. Etenim cùm plurimum dignitatis sit in his optimis atq; utilissimis artibus, quarum propagatio & defensio collegio nostro commissa est, multum etiam dignitatis in hoc gradu esse, iudicandum est, cùm in hoc ipso gradu fœdus cum Repub. fiat, in quo hi quibus decernitur, obligant se Reipub. ad docendas optimas artes, et utilissimas humano generi. Hoc fœdere quid potest cogitari honestius aut sanctius, modo ut hi qui aucti sunt hoc honore, magnitudinem muneris sui animo metiantur, & pro uirili tueri studeant? Certè consilium faciendi huius sanctissimi fœderis in hoc gradu, est honestissimum atq; humanissimum. Quare digni odio sunt Cynici, qui ut cæteros honestos mores, ita & gradus grauissimo consilio institutos, quiq; obligant homines ad defensionem bonarum disciplinarum, aspernantur.

Gradus scholastici fœdera cũ Repub. faciũt.

Exposui cõsilium meum, quare in hanc scenam produci me passus sim. Solet autem hîc uel de artium dignitate, uel de studijs uirtutis dici. Hic mos cùm ualde mihi probetur, sumpsi & ipse argumentum ex eodem genere. Et quoniam constat honestas disciplinas, leges & religiones, uincula esse humanæ societatis, facilè iudicari potest, maximè necessariam esse ad uitam omnium bonarum artium, doctrinam. Itaq; de hac parte non disputo prolixiùs:

prolixius: Nam id quidem perſuaſiſſimum eſſe omnibus debet, & monent idem quotidie doctorum uoces et literæ. Dicã igitur de una quadam uirtute perneceſſaria his qui in ſtudijs uerſantur, uideliceet, de amore ueritatis, ſeu de odio ſophiſtices. Etenim nulla uox humana ſatis eloqui poteſt, quantũ referat, hærere in animis infixum ab incunte ætate acerrimum ſophiſtices odium. De hoc quæſo, ut me diligenter audiatis adoleſcẽtes, quem iã ætas et magna rerum uarietas erudierunt. Nihil opus eſt iam dicere, quantum Reipub. cura angat atq; exerceat animum meum. Illud tantum dicam, ut me maiori ſtudio audiatis: uerè hoc affirmare poſſum, me paterno affectu atq; amore cõplecti omnes ſtudioſos, ac uehementer ueſtris periculis affici. Itaq; quod aliâs ſæpe monui, idẽ nunc quoq;, quoniã in hoc cõfeſſu doctiſſimorum hominũ oratio, plus habere debet autoritatis, obteſtandos uos eſſe duxi. Ac longè aliud præcipiã uobis, quã apud Sophoclẽ Vlyſſes præcipit Achyllis filio adoleſcẽti Neoptolemo, cũ docet eũ mẽdacijs circumuenire et fallere amicum, et quidẽ multis argumentis declarat, hoc artificiũ uſitatiſſimũ eſſe in uitæ negocijs. Cumq; adoleſcẽs miratur, qua frõte, quo ore mẽtiri quiſpiã auſit ſciẽs, reſpõdet Vlyſſes, nefariè is quidẽ, ſed ſignificãs quales ſint hominũ mores:

Amor ueritatis.

Vlyſſes docet mentiri Neoptolemum.

Vbicunq; spes lucri est, pudere non decet.

Atq; utinam hæc Vlyssea Philosophia tantum in priuatis et leuibus negocijs exerceretur. Sed experimur eam peruasisse in grauissimas Regum deliberationes, in scholas, corrũpere artes, & quod est præcipuè deplorandum, regnare in Ecclesijs, & obruere religionem. Quare si solidã doctrinam & utilem generi humano expetiti[s] hoc uestrum curriculum Deo placere, & prod[es]se alijs uultis, uehemẽtissimũ odiũ Sophisticæ animo concipiendum est. Atq; hac in re primum quid uocem Sophisticen, deinde quàm pernicios[a] sit, considerandum erit. Non enim appello Sophisticen, tantum ridiculas illas cauillationes, quæ pueris traduntur in Dialecticis, ceratinas, et cor-

Sophistice.

codilinas, et similes. Illa uobis cauenda est Sophistica, quæ mirificam sapientiæ speciem præ se fert, & in curia, in subsellijs, in Ecclesia dominatur. Vbi alios piget inquirere ueritatem, alij expl[i]care cõmodè non norunt, alij per ambitionẽ de industria nebulas offundunt. Et interim magna auctoritate inferũt animis falsas et nocituras opiniones.

Melancholicorum exempla.

Medici narrant melancholicorum exempla, quorum alius errore mentis putauit se factum esse gallum gallinaceum: alius sedit in uacuo dolio, somnians se uidere spectacula. His persua-

les uidentur plurimi hebetiores, qui leui aliqua cauillatione decepti, amant absurdas opiniones, & quod est miserandum, his ita blanditur error, ut sibi applaudant, se beatos ducant illa insania. Exempla sunt in scholis & in Ecclesijs plurima. Stoici propter leues cauillationes discesserunt à natura, & suam illam ἀπάθειαν ridicule sibi finxerunt. Longius etiam à natura discedit Epicurus, qui prorsus euertit Physica, tollit efficientes & finales causas, & quidem de his inuentis utrisq; sibi mirum in modum placent. Quid nunc Anabaptistæ, quàm sunt planè τετυφωμένοι, ac dementati Sophistica: Sed hos hebetiores omitto.

Stoici.

Epicurus.

Anabaptistæ.

Alij quidam abundant ingenijs, qui in studijs suis non proponunt sibi hunc finem, ut ueritatem eruant ac patefaciant, sed ut de omnibus rebus prodigiosa uarietate disputent. Et has præstigias summã ingenij laudem esse ducunt. Tales fuerunt olim Academici seu Pyrrhonij potius, qui omnia pariter incerta esse contendebant, & ne probabilius quidem alio aliud, ac Geometrica principia etiam euertere conabãtur, scilicet, ut acuti, ut copiosi uiderentur. Tales sunt apud Platonem Sophistæ, Gorgias, Thrasymachus, nec ipse rarò ad eundẽ modum ludit. Hæc ingeniorum licentia plurimum habet periculi. Ea quæ amãt, amplificant

Academici.

in immensum: quæ non amant, extremè abijciant, dicunt uicina pro ueris, miscent non coherentia, distrahunt ea, quæ cõiungi oportuit, perinde ac si cẽtauros, ac chimeras pingerent: nihil proprijs, nihil disertè dicunt, ludunt Ironijs & alijs dictis eijs. Videte quibus coloribus nunc ingenioſi homines pingant abusus Ecclesiasticos, quibus tandem ueras sententias obruant. Quàm multa inuenient σοφὰ φάρμακα, ut medeantur absurdis opinionibus, quotics in eum locum uentum est, ubi oportet seu uersare dolos, seu certæ occumbere morti.

Platonis grauissimum dictum.

Cum hac Sophistica bellum ἄσπονδον debet ſe omnibus, qui et boni uiri perhiberi uolunt, & studia sua referunt ad cõmunem utilitatem. Plato grauißimè dicit, dandã esse operã in dicendo, non ut hominum plausus captemus, sed Deo grata dicamus. Quare tota mẽte, totoq; animo in hũc scopum unum intueamur, huc directa sit manus, ocu-li, cura, ut & eruamus, & quàm simplicißimè & planißimè patefaciamus ueritatem. Hæc enim & deo nos cõciliat, et maximè cõuenit naturæ, et ſalutem affert Rebuſp. et eccleſijs. Nec ulla existimemus officia Deo gratiora esse, nihil Reipub. utilius, quàm hoc studium explicandæ ueritatis. Rectißimè enim dictum est illud in legibus Platonis: ἀλήθεια πάντων μοὶ ἀγαθῶν θεοῖς ἡγεῖται

ται, πάντων δὲ ἀνθρώποις. Veritas omnium bonorũ causa est dijs et hominibus. Quàm crebro præcipit Christus de colenda & tuenda ueritate? quã sanctè commendat nobis eius studium? quàm horribiles pœnas etiã proponit his, qui ueritatẽ uiolant? Porro qui amant Sophisticen, & in cæteris artibus ludere cõsueuerunt, ad eundem modum ludunt in doctrina cœlesti. Iã hic remedia quærenda erant, quibus præmunirentur animi cõtra Sophisticen. Sed me uetus uersiculus perterrefacit, qui negat remedium esse cõtra Sycophantæ morsum. Et ita latè grassatur hæc pestis, quã uel Sycophanticam, uel Sophisticam potes appellare, ut cõtagium uix usquam positis effugere: Repugnandum est tamen arte aliqua. Primum ingens odium Sophistices concipiendum est. Deinde uidendum in scholis, in ecclesijs, in cõcilijs, quinam inquirant ueritatem, qui ludant quadã ingenij procacitate, qui defendant priuatas aliquas cupiditates. Atq; hic assumendum est illud Epicharmi, in quo nerui atq; artus esse sapientiæ dicuntur, μέμνησο ἀστισθῆ. Nõ statim assentiendum est, præsertim monstrosis et irreligiosis opinionibus, nõ est præcipitanda sententia. Tempus adhibendum est in consilium, quod uerè est, ut ille inquit, sapientissimus monitor. Deinde sit directa mens ad inquisitionẽ

Quomodo Sophistice repugnandum.

Tempus.

Methodus. ueritatis, adhibeat methodum, quæ, ut Plato inquit, ignis est cœlo allatus, qui præbeat lumen ad ueritatem cernendam. Coherceat se quisq; intra septa methodi, nec temerè excurrat in alienos locos. Amet proprietatē in artibus, & sibi subinde illud præceptum utile Stoicorum inculcet: ὁ σοφὸς ἐυδυὸ῾ῥήμων ἔσῃ, sapiens propriè loquatur.

Demonstrationes. Magnā uim et hoc habet, multum operæ collocare in ijs artibus, quæ plurimū habent demōstrationum. Nā et Galenus fatetur se penè in amentiam Pyrrhoniorum delapsum esse, nisi in Geometria uidisset tantā esse uim demōstrationum. Neq; hoc eo dico, quod putem in diuinis oraculis, aut ubiq; requirendas esse demōstrationes: Sed consuetudo methodi prodest studiosis, & formatiudicia. Po-

Respub. stremo & Remp. animo intueatur, cōsideret hæ esse pestes ecclesiæ, et Reipu. præcipuas, Tyran dem & Sophisticen, sed hāc multò nocentiorē Ty rānide. Omnibus seculis Sophistica cōtamina & dissipauit religiones. Et falsas opiniones sē tæ sunt factiones, dissidia, cædes, bella, imperi mutationes, in quibus nihil mali non inest. Sp git enim Diabolus mendacia tanquā semina rarum cladium. Quid quod animæ etiam dem tatæ ruunt in perniciem? Ac dici nō potest, qu facile saucientur mentes, quanta prudentia

sit, ne à recto cursu depellantur. Christus minatur atrociſsimas pœnas his, qui paruulorum mentes lædunt, et inquit: Væ homini per quẽ accidit scandalũ. Hæc periculi magnitudo maximè debet nos excũscitare, et curam acuere discendi, ut uera & utilia ecclesiæ proponamus: Neq; enim sine maximo studio, sine multarum rerum atq; artium cognitione, sine lõgo usu formari iudicia de magnis rebus possunt. Ac semper nobis ipsi subijciamus, cum hæc pericula de quibus cõcionatur Christus, tum etiã quàm iucunda bonis mẽtibus sit ueritas, quantum uitæ præsidium sit in omnibus negotijs, quàm digna uirtus bonis uiris, ueritatis amor. Cogitemus philosophum esse nõ præstigiatorem, aut Eurybatum aliquem, sed φιλαλήθη. Sciamus nostro ordini cõmendatam esse ueritatis defensionẽ, expendamus quantum sit scelus, hanc stationem, in quam à Repub. collocati sumus, deserere. Habent autem interdum illecebras falsæ opiniones, adulantur cupiditatibus nostris, ambitioni, superstitioni, aut alijs. Aduersus has insidias obfirmandus est animus, & illud Euripidis præceptum tuendum, quod Aristoteles proponit his, qui populo concionantur in ciuitatibus: μὴ μοι τὰ κόμψα λέγε, ἀλλὰ ὦμ πόλει δέῃ. Ne plausibilia dicas, sed quibus opus habet ciuitas.

Præceptum Euripidis.

Hæc

Hæc inculcate animis optimi adolescentes. Nam studia uestra non tantum ad priuatas utilitates uestras, sed ad totam Rempub. ad gloriam Dei, ad Ecclesiæ salutem pertinent. Quod cum cogitabitis, maiore cura ad tantarum rerum defensionem animi erunt instruendi ac præparandi. Atq; hæ causas in bonis ingenijs plurimum ualere spero, quæ decet profectò maximè & uoluntate Dei, & comminationibus diuinis, & periculis publicis, & ipsa rerum dignitate moueri. Dixi.

ORATIO DE ODIO SOPHISTICES, in promotione Magistrorum, recitata à M. Erasmo Reinhold. Saluendensi, Decano. Anno M. D. XLI.

Arbitror probabili cõsilio institutos esse hos congressus, in quibus tẽpore monitiũ doctrinæ ijs, quorũ exploratum est eruditio, tribuitur. Decet enim hæc quasi censoria iudicia publicè fieri. Sunt quæcunq; sunt causæ, me cõgressus ipsi delectant. Iuuat enim cœtus uidere bonorum & doctorum uirorum, qui sunt præcipua ornamenta Ecclesiæ & Reipub. Et cũ alios in alijs artibus excellere animad-

Ornamenta Ecclesiæ & Reipub.

animaduerto, subit animum cogitatio, quanta uarietate artiũ Deus et instruxerit, et inter se copulauerit genus humanum. Sæpe etiam mihi lachrymæ erumpunt intuenti in his pompis iuuentutẽ, cui quasi per manus Ecclesiæ gubernationem & curã conseruandæ doctrinæ omnis generis trademus. Hic ego cum impudentia ecclesiæ pericula animo præmetior, nõ possum non deplorare causas, quæ multæ sunt, et uota facere pro uobis adolescentes, qui in hanc difficillimã militiam cõscripti estis, et aliquantò post subituri acerrimas dimicationes. Hæc obuersantur animo meo, quoties ad hos cõgressus accedo, in quibus et hoc mihi uidetur pulcherrimè institutũ, ne sint inerudita, muta et βαναυσα spectacula, ut sunt aularum, sed ut in ecclesia iuuentus audiat aliquid, quod ad eruditionem, aut mores profit. Hæ cõciones sunt præcipuum decus horum congressuum. Militia Christiana.

Postquam igitur me publici muneris ratio cogtiam hoc loco dicere, ualde optarim me orationem adferre posse utilem iuuentuti, et nõ iniucundam præceptoribus nostris. Decreueram autem aliquid de illa dulcissima Philosophiæ parte dicere, quæ cœlestes motus et effectus inquirit, quam in hac schola doceo. Sed hoc tempore inter cæteras occupationes, ea, quæ inchoauerã, absoluere non

non potui. Quare delegi aliud cõmunius argumentum, de quo me recentium conuentuum actiones admonuerunt. Lego in edictis Principum haberi deliberationes de dirimendis cõtrouersijs Ecclesiasticis. Magna et Heroica uirtus est Principum, si ueritatem patefieri et confirmari uoluntad ea facturi sunt, decet εὐφημεῖν, et bene precari, ac salutare institutum Deus prouehat. Sed ô rem miseram acerbam & execrandam, hoc moliri horum actionum duces μετὰ βραβευτὰς audio, ut sucis conciliationibus tenebras Euangelio inducant, & illucescentem ueritatem nouis præstigijs obruant, ac tanto scelere otium redimant. Hanc ad rem adhibent homines callidos, sed praue institutos, & ad Sophisticam adsuefactos. Christus ait mendacium à Diabolo oriri: Nulla igitur ætas caret Sophistica. Semper enim Diabolus serit mendacia, & ut sint plausibilia, commendat aliquo prætextu. Hæ insidiæ nunc quoq; cauendæ sunt, præsertim cum hæc ætas fato quodam uideatur obnoxia crebrioribus mutationibus, & mira sit ingeniorum inconstantia, curiositas, petulantia. Et urget occasiones Diabolus. Alij fastidiunt recta tradita, alij arrogantia nouas opiniones quærunt, alius metuit certamina, ut in ueteri uersu dicitur. ἔπτηξ ἀλέκτωρ δίκλου ὡς κλίνας πτέρυγ-

Deliberationes de Ecclesiæ controuersijs.

Sophistica omnium temporũ.

Iudæ

Imbuendæ sunt igitur bonæ mentes amore ueritatis, & instillandum acerrimum odium Sophistices. Hanc ob causam exempla quædam superiorum temporum, non solùm in Ecclesia, sed etiam in Imperijs collegi, ut admoneant fugiendas esse similes præstigias, & Sycophanticam indignissimam uiris grauibus, & perniciosam uitæ. Exordiar autem ab Ecclesiastico exemplo.

Exemplũ Arij.

Cum esset ingens ecclesiæ calamitas, discordia ex impio Arij dogmate nata, multi, ut sunt hominum cõsilia, nõ tam ueritati, quàm tranquillitati consultum cupiebant. Itaq; in Syrmiensi Synodo quæsita est ambigua formula, quæ si ab utraque parte reciperetur, dissidium tolleret. Conuenit, ut omnes ecclesiæ pariter legerẽt in Symbolo ὅμοιον, cum antea pij legissent ὁμοούσιον. Hic cothurnus utriq; pedi congruens uidebatur sustulisse discordiam. Sed quid accidit? Fucosa nunquã durabilia sunt. Cum alij aliter interpretarentur symbolum, rursus incendium maius ex illa ipsa symboli corruptela ortũ est. Confirmabãtur enim Ariani, nõ sanabantur, pij premebantur, imbecilles et indocti perturbabantur. Talis est exitus horũ consiliorum, quorum imago in Comœdijs proponitur, non ut ea imitemur in religionibus,

Comœdiæ.

in im-

in imperijs, in moribus, sed ut cauere discamus. Ludunt serui fallacijs, ut Syrus. Huic equidem consilio palmam do, hic me magnificè effero, qui tam tantã in me et potestatem habeam tantæ astutiæ, uera dicendo ut eos ambos fallã. Sed ille idem uo terator aliquantò post deprehensus, quid attulerij, sceleste, quantas turbas cõsciui inscius. Non diu fefellerat senes, sed sibi plagas accersiuerat.

Osius Episcopus.

Narrãt historiæ in illa Syrmiensi synodo adfuisse Hispanum episcopum Osium rectè sentientem, propter eruditionem et pietatẽ clarum: Hic sua mollicie animi, siue circumuentus aliqua tecti, ut fit, cõprobauit ambiguã et sycophanticam formulam. Tanto uiro nõ leue uulnus inflixit hic error, præsertim intuẽti postea nouas dissipationes. Dolebat à se proditam esse ueritatem, cõfirmatos impiorum furores, perturbatum spiritum sanctum in bonis, adductos in dubitationem imbecilles. Quid est turpius, quàm de cœlesti doctrina sic ludere, ut in comœdijs ludũt Pseudolus, Palestrio, Phormio, aut similes Sycophantæ? Et tamen admiramus potentes nunc præcipuè admirari et in cœlum uehere tales Pseudolos, qui flexiloquas consiliationes præscribunt, qui circumuenire et obstringere tardiores quoquo modo possunt.

Delectãtur homines captionibus, ut celebrum

Rom

Romanus Magistratus, qui Regi ueteratori belle impositum, cum in cõditionibus pacis cũ Antiocho factæ scripsit, ut dimidiũ nauiũ Antiochi Romani retineret. Hic Romanus dissecari omnes naues curauit, et trabes sectas ita diuidi, ut dimidium relinqueretur Antiocho. Alius quispiam pactus aliquot dierum inducias, noctu populabatur agros. Denique multa huius generis astutè, aut etiam calumniosè acta leguntur, quæ si in Ecclesia imitari doctores uolent, funditus delebitur religio. Venit Athenas Demetrius regũ suæ ætatis florẽtissimus Antigoni filius, ut Eleusinijs initiaretur. Venit autem mense Martio, quo fieri Eleusinia non licebat, quibus attributi erant menses duo, Nouẽber et Augustus. Vt igitur regi mos gereretur, nec tamen sacra pollui uiderẽtur, inuẽta est bella ratio. Lex lata est, ut mensium nomina mutarentur. Similima res nunc agitur. Volunt illi conciliatores retineri cum alia multa deliria, tum etiã errores, quibus polluitur cœna Domini. Adsingamus, inquiunt, molliores interpretationes, ubi legitur offerri hostia ad animarũ redemptionẽ, intelligamus non nunc offerri à nobis, sed Deum interpellari, ut propter hostiam, quæ ob ipso Pontifice Christo oblata, tunc redemit animas, nos exaudiat. Aegrè amittunt satisfactiones, sed molliunt nomen.

Delectantur homines captiosonibus.

Conciliatores malitiosi.

Volunt uocari castigationes Ecclesiasticas. Tollebus fucis pingere absurda dogmata conantur, nec illud agunt, ut errores emendent, ut medeantur Ecclesiæ, sed ut nouis prætextibus neruos retineant uitiosorum cultuum. Hoc consilio quæruntilla σοφὰ φάσμακα, ut plausibili specie res pernicioſas commendent populo. Has corruptelas quantumlibet doctrinæ quantum oderit Deus, uox illa indicet. Non assumes nomen Domini Dei tui uane. Minatur Deus se puniturum esse has contumelias sui nominis & ueræ doctrinæ. Ac admonet singulos de hac uoce Dei, calamitates uel publicæ, uel priuatorũ debebant, quæ profectò sunt pœnæ humanorum flagitiorum, ac præcipuè contemptus Dei, & deprauatæ religionis.

Nimium sibi blandiuntur Sycophantæ, si putant se impunè ludere in Ecclesia, inuoluere res ueras, fucis ornare errores. Exitum Iudæ proditoris exspectent, quem imitantur. Vt enim ille prodidit osculo filium Dei: Ita Euangelium quadam blandæ specie delere isti conantur. Semper calumnioſa legum deprauatio et fraudes in iudicijs, etiã in iudicijs diuinitus punitæ sunt, non solùm in Ecclesia. Meminisſis sophisma Critiæ, qui unus erat ex triginta uiris, qui regebant Athenas, postquam ceptæ a Lacedæmonijs, rursus pacẽ impetrauerãt.

Osculum Iudę.

Critiæ sophisma.

Etsi autem eo tempore crebræ seditiones præbebant causam triginta illis, ut asperius sæuirent in ciues, tamen legem condiderant ipsi, ne quis ex suo Catalogo indicta causa interficeretur. Cũ igitur Theramenem collegam Critias interfici iussisset, implorat Theramenes legis auxilium, petit ne indicta causa interficiatur: Respondet Critias, legem loqui de ijs, quorum nomina sunt in Catalogo, se autem iam Theramenis nomen in Catalogo delere. Ita eludit legem Critias. Sed huius cruenti Sophismatis pœnas statim postea dedit: cum amici Theramenis pulsi ciuitate Rempub. recuperarunt, & Critiam, & quosdam alios, quos ille crudelitatis socios habuerat, interfecerunt. Nec illa religionum Sophismata sunt incruenta, de quibus iam dicimus. Nam si pij deprehensis fucis confirmare errores non uolent, rursus grassabuntur Tyranni asperius, quàm antea, confirmati iam iudicijs horum conciliatorum, quorum autoritas propter sapientiæ et moderationis opinionem apud Principes multum ualet. Nulla durabilis trãquillitas in Ecclesia sine ueritate constitui potest. Fucosæ moderationes & ueritati nocebunt, et inflammabunt discordias ac sæuiciam, et parient insanitas dissipationes & sectas. Ideo optemus toto pectore, ut Deus regat principum consilia, & Ec-

cleſiam ab hac Sophiſtica liberet, ut precatur ſũ
us Dei iam aditurus mortẽ, cum ait: Pater ſanctifica eos in ueritate, ſermo tuus eſt ueritas. Ora
prohiberi corruptelas ueritatis. Ad has preces
noſtri Põtificis adiungamus et noſtra uota, ut ſp
gamus illam nouã Sophiſticam eccleſiæ exitiali

Cauſæ. Alij alias cauſas habent, cur ad hæc Sophiſtica confugiant. Aduerſarij prodeſſe ſibi hæc co
lia uident ad tuẽdas opes, Docti quales ſunt Vi
tonienſis, Vuicelius & ſimiles, laudem ingenij
biunt. Sic uolunt à Regibus prædicari, ut Sy
phanta apud Plautum. Vt ego te propter per
am tuam amo, te metuo, te magnifacio. Nonn
metu has tanquam latebras quærunt, ut Ther
nes cùm quidem ſubinde Reipub. formam mu
bat, tamen quoties labeſcere partem ſuam vi
inclinauit ad alteram, & ſe arte ex periculis e
uit, ut dicit Ariſtophanes: Subitò pro Chio co
id eſt, ut in ludo talorum dicitur, pro mona
nionẽ extitiſſe, πέπωκεν inquit ἔξω τῶν κα
ὀυ χίων ἀλλὰ κῶων.

Andromachis querela, qua depingit Sophiſtas. Deniq; ſuo ocio conſulunt non Eccleſiæ, q
plaudunt his Sophiſmatibus. In hos uere com
tit illa acerbiſsima querela Andromaches a
Euripidem, quàm ſceleratè Menelaus decep
Cùm enim confugiſſet ad aram, neà Menelao

terficeretur, iubet ille adferri infantẽ filiũ Pyrrhi et Andromaches, eãq; iubet ab ara discedentẽ redi read percussorẽ, quod nisi faciat, minatur se filiũ ipsius interfecturũ esse. Hic generosa mater filij salutẽ anteponit suæ, ac discedit ab ara. Postquã igitur ad percussorem redit, insultat Menelaus deceptæ mulieri. Te inquit, ego quidem interficiã, sed infantẽ filia mea perdet. Hîc illa iusto et ingẽti dolore adfecta exclamat: O dignissimi odio Spartani, et execrãdi ab omnibus hominibus, dolosi, mendaciorũ architecti, insidiosi, flexiloquas ambages captãtes, aliud loquẽtes, aliud sentientes, malè pereatis. Quo possunt ueriore elogio describi huius tẽporis Sophistæ, quàm his Andromachæ uerbis? Quid præcari iustius est, quàm ut cõseruetur doctrinæ puritas, deleta & extincta hac Sophistica. Et ut Andromache dira imprecatur impostoribus: Ita minantur eis pœnas diuina oracula apud Esaiam, Væ ijs, qui malum dicũt bonum, tenebras lucem. Hæc fulmina excuscitẽt nos ad amorẽ ueritatis, et ut cauere Sophisticẽ possimus, maiore cura incũbamus in studia ueræ doctrinæ, et instruamus ac præmuniamus animos rectis sententijs.

Quantum periculi est, si inermis cum Lupo congredi uelis, tantum periculi esse credite, si sine solida eruditione astutos illos & insidiosos Antago- Cautio.

nistas adoriamini. Et Christus, etsi iubet imitari simplicitate colũbas, hoc est, iubet esse sine uirulentia, tamen hortatur, ut simus prudẽtes sicut serpentes, hoc est, simus intenti in hostẽ & cauti, ut Sapiẽs dicitur singulari arte, caput tegere in diminutione. Porrò ad cauẽdas insidias, eruditione opus est, ut Pseudographias in numeris nemo iudicare potest, nisi artifex, et ita dogmatũ depravationes refutari nõ possit, nisi à peritis. Nec uerò dubito, quin plerisq; nostrũ ingẽtia certamina ueniẽtis ætas paritura sit, quæ iã animo intuẽtes omnibus ingenij uiribus ac neruis cõtendite, ut instructi parati ad maximarũ rerum explicationem et propugnationem accedatis. Et hanc curam meminerit Deo placere, & gratum sacrificium esse, quidem & studia iuuabit, ad hunc directis finem & scopum. Nec ego, cùm fucosas conciliationes detestor, propterea moderata consilia, moderatas sententias improbo, sed corruptelas caueri uolo. Semper est moderatißimum, quod est uerum, recte, propriè, perspicuè & disertè traditum.

Artes mediocritatem quere re.

Notum est illud Aristotelis scite dictum: Non omnes mediocritatem quandã quærere, quod intelligẽdum est. In his est sua et ueris præceptis conueniens mediocritas, & ut dicam, ipsa harmonia

harmonia. Et cùm in sententijs constantiã laudo, nõ confirmo malorũ pertinaciã, aut ingeniorum petulantiã. Retineatur illa à Platone laudata cœlestis mediocritas, uidelicet, Geometrica, quæ arcet Tyrannidẽ et frenũ iniscit uulgo, iubet esse idoneos iudices et gubernatores. Tales cognoscãt dogmata, ac dijudicẽt ex ueris, certis, et nõ calumniose detortis testimonijs, reprimant Tyrannos, frenent petulantia ingenia: deniq; curent in Ecclesia extare ueram & certam doctrinam, propriè & dilucidè explicatam, non dilutam Sophistica. Hoc toto pectore optamus, ut tollantur ex Ecclesia διαφωνίαι, & Deus Pater liberatoris nostri Iesu Christi uerè inuocetur & colatur, ut fulgeat Christi gloria, ut multi ad pietatem & salutem inuitentur. Hæc opto, cùm fucosas conciliationes fugendas censeo: Ac prius debiscere mihi terram uelim, quàm ab hac sententia deducar. Nec moror aut Theramenis, aut similium iudicia, qui clamitant Scholasticos alieno periculo fortes esse, qui si non amant hoc decus, ut pro religione pericula & labores perferant, indigni iudicandi sunt, qui nos tueantur. Erit Ecclesia Deo cure, etiamsi ab ipsis deserta & proiecta fuerit, quam quidem Deus sine humanis præsidijs seruare solet. Dixi.

ORATIO DE REGVM OFFICIO,

Habita à D. Laurentio Zoch, Doctore Iuris, in promotione D. Caſparis Ezelij.

M. D. XLI.

SAepe in his ſpectaculis de dignitate regum, grauiſſimæ orationes habitæ ſunt, ut reuerentia Iuris, & diſciplinæ inſeratur animis iuuentutis & iniuſtæ ac rabioſæ cupiditates frenentur. His adhortationibus, ſi ullo unquam tempore opus fuit, nunc profectò in hac poſtrema, & pluſquam ferrea ætate, non modò uoce & ſententijs bonorum & doctorum, ſed multò magis authoritate, imperio, armis Regum & Principum leges tuendæ & reſtituendæ ſunt. Videmus enim hãc ætatem inimicam eſſe modeſtiæ, diſciplinæ, pudori, iuſticiæ, religioni, quarum rerum cuſtodiam, cùm Deus ſummis gubernatoribus commendaucrit, rogandus eſt, ut aliquando excitet eos ad cohercendos furores, & frenandas libidines improborum, ad reſtituendam & ſanciendam diſciplinam, ad renouanda uirtutis ſtudia, ſicut orat Dauid in Pſalmo: Exurge Deus ad tuendam legem, quam dediſti. Nunc lacerent leges oppreſſæ audacia & petulantia mul-

Hæc ætas inimica legibus.

ra

rum, ut sine diuina ope, et summorum Regum authoritate, nostra uox parum proficere possit.

Ideo iam quædam de Regum officio disputabimus, uidelicet: An in tanta religionũ, legum, morum, et disciplinæ dissipatione, cessantibus Põtificibus, Romanus Imperator Synodũ indicere, & iudices cõtrouersiarum idoneos legere, et ea, quæ rectè et piè cõstituentur, armis tueri debeat. Hãc quæstionem nec indignã cogitatione eruditorũ, imò summorum Principum, nec alienam ab his temporibus esse iudico. Nec profecto aliud ullum est maius in terris munus, quàm doctrinæ gubernatio ac dijudicatio, et disciplinæ restitutio. Nec quisquam de genere humano melius et glorioſius mereri potest, quàm si liberet ecclesiã erroribus, sanct ambigentes animos, honestis et sanctis legibus, ac moribus cõsuetudinem uitæ ornet. Nullæ uictoriæ clarissimorũ Ducũ, nulli triumphi plus ueræ laudis habent, quàm salutaris emendatio dogmatum ac morum. Proinde quisquis est, qui hoc tantum munus in ecclesia, uel inter homines sustinet, uidelicet, qui est in excubijs, ut doctrinæ puritas et boni mores cõseruentur, is iure summũ gradum inter homines tenet. Et tãtæ rei curã Romanis Põtificibus olim Synodi cõmendarunt. Nunc autem in hoc tanto dissidio orbis terrarum, & in

Quæstio.

gentibus religionũ ac legũ periculis, nulla æqu
cognitio hactenus instituta est. Audio etiã contr
derem ultos, nihil opus esse noua cognitione, qua
he res antea in Synodis iudicatæ & constitu
sint. Quare nõsit permittendum, ut rursus in qu
stionem uocentur. Nullũ inquiunt finẽ fore mi
di dogmata, si Synodorũ decretis assuescant hom
nes refragari. Sed hæc facile refutari possunt.

Refutatio obiectionum.

Primum multæ nunc agitantur cõtrouersiæ
recentium temporum abusibus, quæ nunquã
teribus Synodis agitatæ sunt. Nõdum enim in
clesiam hi morbi inuaserant. Deinde quædã
teribus Synodis decreta, quæ ad causas præs
quadrant, magis patrocinantur ecclesijs nost
quàm aduersarijs. Postremo quædam antea ag
ta sunt propter alias circumstantias, quæ sæp
riant negocia. Tempore Synodi Nicenæ era
usu satisfactiones: Sed tunc erant castigatio
uel exempli causa institutæ, uel ad explor
mores eorum, qui lapsuum suorum ueniam p
bant. Nemo tunc affingebat spectacula illa
ri remissionem peccatorum. Hæc recentior
uestigium retinet antiqui ritus, sed pleræq;
uit, & multas adfinxit absurdas opiniones.
igitur controuersiæ pleræq; huius temporis,
sint agitatæ à ueteribus, & in quibusdã

rij magis discesserint à ueterum Synodorum decretis, quàm nos, iniustum & crudele est defugere cognitionem, nec legitimo Ecclesiæ iudicio tollere errores, ac discordias. Quid respondebunt Pontifices, qui præsunt, cum filius Dei in postremo iudicio palàm apparebit, eosq; accusabit prætermissi officij, ostendet ipsorum uel pertinacia, uel negligentia infinitas animas à Deo auulsas esse ac perijsse. Pontificum negligentia.

Sed si non faciant officium Pontifices, oportebit ne Romanum Imperatorem Synodum conuocare, & iudices idoneos deligere suo & Synodi, ac partium iudicio? Respondeo.

Ad munus pij Imperatoris maximè pertinet, in tãto periculo cessantibus Põtificibus, cõuocare Synodũ, et constituere legitimũ iudicium. Nec est Synodus sine capite, etiamsi nõ accedat autoritas Pontificum, qui officiũ suum negligunt. Etsi enim Episcopis sua reuerẽtia debetur, tamen tota ecclesia mandatum habet, ut caueat prauas opiniones, et dogmata dijudicet, ut inquit Christus: Cauete à Pseudoprophetis. Hoc præceptũ ad uniuersam ecclesiã pertinet. Ergo, etiãsi Põtifices id negligãt, tamẽ reliqua ecclesia obtemperare debet, instituere cognitionem et dijudicationem. Id ut fiat, præcipua membra Ecclesiæ cæteris anteire debent. Munus pii Imperatoris.

Adhæc

Adhæc, etsi interest inter officium ciuilis Magistratus, et potestatẽ Ecclesiasticam, tamen Magistratus ciuilis custos est totius legis in externa disciplina. Vt prohibet ac punit armis iniustas cædes, furta, et similia delicta pugnãtia cum secunda tabula Decalogi, ita multò magis prohibere et punire debet externa scelera pugnãtia cũ prima tabula, uidelicet idolorũ cultus, blasphema dogmata, periuria, prophanationes manifestas cæremoniarũ diuinitus traditarum. Errat qui nullum discrimẽ iudicat inter Armentarium et Magistratũ, qui custos est ciuilis societatis. Armentarii est pecudum uẽtri prospicere. Sed custos ciuilis societatis non tantum corpora, pacẽ, et (ut ita cã) uẽtris bona tueri debet, sed meminerit se Dei ministrum. Huius gloriæ primũ seruiat, ponderetur finẽ humanæ societatis, & hunc præscisciat sibi tuẽdum esse. Tota enim hæc societatis disciplina diuinitus præcipuè instituta est ad hunc finẽ, ut innotescat ac celebretur Deus. Id fieri nõ potest, nisi unà uiuẽtes alij alios de uoluntate Dei, de beneficijs Deo gratis, de uita æterna, de præmijs piorum, de impiorum pœnis doceãt. Ideo tam multa sunt uincula societatis, generatio, educatio, institutio, imperia, cõtractus, iudicia, ut in hac tanta uarietate negociorum ostendamus nostrã de [illegible] sententiã

Præcipui gubernationis fines.

sententiam, nostrã professionem, et præstemus obedientiã. Sit igitur prima cura Mrgistratuum omnium ut religiones sint puræ, luceat in imperijs mandatum de cõfessione, quod certè non solùm ad priuatos pertinet, sed etiam ad summos gubernatores, ut uox cœlestis in Psalmo testatur: Et nũc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Hæc semper præcipua cura fuit piorum Principum, qui arma pro Ecclesia Dei gerebant, ut Moisi, Iosuæ, Dauidis, Iosaphat, Ezechiæ. Horum uictoriæ nõ eò spectabant, ut populus in ocio uoluptatibus frueretur, sed pacis finis erat, ut certa sedes maneret ecclesiæ, ubi propagaretur doctrina cœlestis. Opus est pace non solùm ad educandam sobolem, sed etiam ad docendam iuuentutem, & reliquã multitudinem, & ad disciplinæ ac religionis conseruationem. Hos esse fines præcipuos gubernationis in imperijs, nihil dubium est.

Sint sanè magni et laudati Duces Alexander, Iulius, et alij. Sint gubernatores domestici excellentes prudentia, Solon, Augustus: Sed multò essent illi ipsi maiores, si partis uictorijs, cõstitutis imperijs curassent Deũ rectè inuocari, celebrari, coli. Id præcipuè efficere bonus gubernator debet, sicut bonus paterfamiliâs non tantum quærere patrimonium liberis debet, sed etiam tradere Dei

re Dei noticiã, et mores eorum regere. Vt autem pauci patres familiâs omnia sua officia cõplectuntur, ita pauci Principes in hoc summo opere elaborant. Rara est hæc perfectio, ut raræ sunt gemmæ inter cæteros lapides. Subinde tamen aliquos excitat Deus duces, aut politicos uiros, qui suas actiones ad uerum finem referunt. Tales fuerunt Ioseph, Dauid, Iosias, et inter monarchas Cyrus, Constantinus, Theodosius, et alij quidam. Horum exempla nota sunt. Quanta fuit animi celsitudo in Constantino, qui cum haberet collegas inimicos Christiano nomini, uiros acerrimos, et inuictos potentia. Nam maior imperij pars adhuc abhorrebat à Christi doctrina, unus se opposuit illis grassantibus in pios, cõpescuit sæuitiã, postea deletis tyrannis, uetuit sacrificari idolis, nihil metuens odia tãtæ multitudinis, quæ Euangelium aduersabatur. Idem postea sedatis ciuilibus bellis, pestiam sustulit dissensiones Ecclesiasticas, cõuocata Synodo, nec adfuit tantum, ut uim prohiberet inter partes, sed disputauit ipse, et ueritatẽ inquirere uoluit. Nã cum synodi totius ecclesiæ iudicia sint non tantum Episcoporum cõcedenda sunt suffragia, etiã alijs pijs et doctis, qui nõ funguntur muneribus Ecclesiasticis. Constantini exemplum postea Theodosius imitatus est: ut prorsus deleret

Constantinus.

Idola

Idola, eorum templa solo æquauit, indixit Synodum, ostendit formam dirimendi certaminis, uidelicet, ut proferrentur certa testimonia probatorũ autorum, nec permitteretur ulli ex sese fingere nouas interpretationes. Aliquantò post secutæ sunt Synodi, Ephesina conuocata à iuniore Theodosio, et Chalcedonensis conuocata à Martiano. Sed utranq; arbitror indictã esse consilio fœminæ sapientissimæ Pulcheriæ, quæ cum esset soror Theodosij, et postea Martiani cõiunx, et propter eximiam prudentiam & grauitatem plurimùm polleret autoritate, res eo tempore maximas domi singulari uirtute gubernauit. Pulcheria.

Iustinianus deinde synodum alterã Byzantium conuocauit. Idem mos fuit pijs Regibus Hispanicis et Gallicis, cõuocare Synodos in suis regnis, etiãnon consulto Romano Pontifice. Norant enim imperia imitari debere Decalogũ; qui ut primùm cõcionatur de conseruanda puritate religionis, ita Principum hanc esse primam curam oportet. Decalogus enim est forma piæ et honestæ gubernationis. Extat apud Aristotelẽ definitio Magistratus eruditissimè cogitata, et mira proprietate ac breuitate compectens officia omnia. Inquit enim Magistratum esse custodem legis. Ergo cum totius legis custos sit, tueri etiam primam Iustinianus. Aristotelis definitio.

Deca-

Decalogi tabulam debebit. Iam cum extent exem
pla piorum Regum, cum argumenta grauissima
præcipiant Regibus conuocare Synodos, et cons
stituere iudicia Ecclesiastica, non dubitari potes
quod sit Romani Imperatoris hoc tempore offi
um. Sentiat igitur hoc gratum Deo sacrificium
fore, si nunc rectè dijudicari controuersiæ Eccl
siasticas, & sanciri disciplinam curet. Idq; si
fecerit, grauiter offendi uoluntatem Dei: præ
tim cum uideatur secutura infinita dissipatio
uastitas ecclesiæ, et morum confusio, nisi uera
salutaria remedia in tempore quærantur.

Discordiæ in Ecclesia.

Hærēt ueteres morbi in ecclesia multi, ad
ut fit in discordijs, etiã noui quidam accedunt.
go in utriusq; partis negotijs delectus adhibe
est. Nec sunt armis stabiliendi ueteres abusus,
præcedat uera dijudicatio, quæ, si modo ueli
perator, nõ difficilis est. Adficiatur miserrima
clesiæ specie: Discordia parit in utraq; parti
rimũ uitiorum, cõfirmat audaciã in malis. A
trucidãtur pij et eruditi, retinentur idolorum
tus, stabiliuntur flagitiosæ libidines, templa
sunt, nec habent idoneos concionatores: Et
doctrina cõsilescit, multi incipiũt amare prop
nas et epicureas opiniones. Hæc pestis diu in
lia grassata est, nunc etiã cæteras nationes

dit. Alibi emẽdatis abusibus succedũt noua mala, propterea, quia boni doctores nõ adiuuantur ab ijs, qui disciplinã tueri debebãt. Crescit igitur licẽtia & legum contemptus. Non frenat animos pudor, non modestia, nõ iuris reuerentia, sed uincit hanc impudentia, quæ in quadam tragœdia uocatur omnium morborum humanorum sæuissimus. ‹‹ ‹‹ ‹‹

Quid quod in multis locis, etiam ubi emendatæ sunt Ecclesiæ, nunc negligũtur studia literarum, nemo opitulatur pauperibus scholasticis, fame necantur pij & docti Sacerdotes, & eorum coniuges & parui liberi. Quare aliquantò post et his defuturi sunt idonei Pastores, et secutura est barbaries, et horrenda uastitas Ecclesiarũ. Hæc mala quis potest sine lachrymis uel cogitare, uel cõmemorare, quorum magnitudo ut tandem Reges excitet, ad ueraremedia quærenda, omnes pij ardentissimis uotis optent. Profectò iam circumit Christus, esuriens, sitiens, laceratus, flagris uulneratus, ac implorat opem doctorum et gubernatorum omnium, orat, ut corporis uulnera obligent, ut alimenta suppeditent, quem si non respicient, haud dubiè in postremo iudicio hæc fulmina audient: Esurijui et non dedistis mihi cibum, &c. Ite maledicti in ignem æternum. Si consulere Principes Ecclesiæ uellent, nõ deesset cõsilium. Sed pri-

Neglectus studii literarum.

Christus miser.

uatis et iniustis affectibus impeditur publica utili
tas. Tanti fecit Ecclesiam suam filius Dei, ut eam
uitæ suæ prætulerit. Multi nunc stultissimos effe
ctus anteferunt saluti totius Ecclesiæ, ac fundita
eam perire malunt, quàm paululum frenare ambi
tionem, aut auaritiam, aut libidinem. Et tamen
se defensores Ecclesiarum dici uolunt.

Quomodo Ecclesiæ consulendum.

Cum igitur tanta sit hoc tempore dissipatio
impendeat maior omniũ rerum cõfusio, nisi Dei
gubernatorum animos ad salutaria consilia fle
rit: primùm orãdus est Deus, ut ipse labentem
clesiam fulciat: Deinde hortandi sunt Princip
ut curent ritè dijudicari cõtroversias, & dispu
nam restitui. Postremò, quia publicæ opiniones
mores aliqua ex parte imitantur scholasticor
iudicia et exempla, uos quoq; quantum possu
hementissimè adhortor, ut Cyclopes illos, qui
omnium scelerum licentiam permitti uolunt,
leges et uincula honestæ et ciuilis uitæ quod
solùm barbarico, sed etiam diabolico furore
rumpũt, fugiatis ac detestemini, uos uerò ad
rem legum & disciplinæ, ad modestiã, ad
iuuandæ Ecclesiæ et cõmunis societatis, assi
ciatis. Falluntur tyranni, si nulla ecclesiæ in
metuunt, quia nunc sperant impunitatem. En
clesiæ iudicium subeundum, eũ filius Dei

bie, in quo petulantiæ & contumaciæ tristissimas pœnas luent improbi: Modesti uerò et legum amãtes, præmia uirtutum ferent, & perpetuis laudibus in Ecclesia ornabuntur, & fruentur dulcissima consuetudine Dei filij eius, optimorum Principum Adæ, Nohæ, Prophetarum & Apostolorum. Horum de nobis iudicia boni iam intueantur animis, & ita uiuant, ut illis sua consilia, studia, & mores probent. Dixi.

QVAESTIO, QVARE PLATO dixerit optimum esse statum Reipub. eum, qui medius est inter Tyrannidem et Democratiam, proportione Geometrica.

QVm publica consuetudo mihi necessitatem hoc in loco dicendi imponat, peto à uobis initio orationis meæ, uiri doctissimi, ne me impudẽtia aut ingenij fiducia has mihi partes sumpsisse existimetis: Nam cùm ea sit ætas mea, ut magis aliquantò quàm adolescentuli iudicare possim, quæ sit huius amplissimi cœtus authoritas, turpissimum mihi esset, si parum uereri uestra iudicia existimarer. Itaq; non meo consilio, sed officio me ad dicendum adductum esse statuetis. Semper

enim in omni uita mihi nõ minor laus est uisa pu
blicis institutis ac legibus parere, quàm doctrina
excellere. Quod cùm arbitror uos quoq; uiros o
ptimos et grauissimos sentire, spero uos cõsiliu
mcũ probaturos esse, quod laudatissimæ schola
suetudini obtemperandum duxi. Cũ autem mi
sim eloquentia uobis satis facere, dabo operam
cui prolixitas orationis molesta sit. Et ut nõ
te tediũ aliqua ex parte leuemus, malui quæ
aliquã agitare, quàm artium encomium recita
quod eo in genere in hac ingenij imbecillitate
hil reperire potui, quod non esset uulgatissim

Disputabo igitur, quare Plato dixerit
Platonis sentẽtiæ explicatio. Reip. statum optimum esse, qui sit inter Ty
dem et Democratiam medius proportione ge
trica. Perliberalis mihi uisa est Platonis senti
& ad uitam utilissima, quam si sequantur hi
præsunt, haud dubiè beatissimæ erunt ciuita
Multum etiam Reip. conducit priuatos eam
re, ut suum locum, suum munus ita tueantur
quantum in ipsis est, pulcherrima illa harm
geometricæ proportionis perturbetur. Qua
autem uim habeat Platonis dictum, in exemp
cilius conspici poterit. In Ecclesia maxime
potest, quàm pernicios us sit uterq; status, D
cratia et tyrãnis. Quid enim futurũ esset, si
libe

licentia concederetur, dogmata & ritus condendi aut mutandi? Tanta est uulgi stulticia, tã cæci ac uarij impetus, ut infinita barbaries et omnium rerũ in Ecclesia cõfusio futura esset. Vidimus exempla quædam, nec alia res initio Anabaptistarum insaniam confirmauit, nisi hæc in ijs locis, ubi conuenerunt Democratia, in qua uulgo homines nefarij, seditiosi, cupidi, sparserunt uaria dogmata, alij per ambitionem, alij incitati alijs cupiditatibus, ut prætextu religionis consequerentur potentiam, diriperent locupletum facultates. Nam in uulgo non solum nulla ratio est, nisi consilij, nulla moderatio, sed etiam plurimi sunt improbi, & ut quisq; pessimus, audacissimus, ac furiosissimus est, ita plurimum gratia atq; autoritate in uulgo pollet. Hæc notiora sunt, quàm ut longa oratione opus sit. Rursus et Tyrãnis pestifera est ecclesiæ, cum hi, qui dominantur, nõ dant operam, ut Christi gloriam ac ueritatem reddant illustriorem, non consulunt saluti Ecclesiæ, sed suam autoritatem, suas opes defendere, aut augere conantur, ut nunc Põtifices horribili seruitute Ecclesiã opprimunt, nolunt explicari dogmata, Christi doctrinam patefieri, sanari errantes, aut ambigentes cõscientias. Relinquitur igitur, ut medius quidam Ecclesiæ status optandus sit. Sed hæc mediocritas,

δημοκρατία

Tyrannis.

nisi Geometrica proportione constet, statim degenerat uel in Oligarchiam, uel in uulgi licentiam.

Proportio Geometrica.

Est autem Platoni proportio illa Geometrica cùm nõ unus aliquis dominatur, sed gradus sunt et delecti optimi, ac doctißimi quiq; plurimum toritate ualent. Vt si in Ecclesia præcipuas sed ones doctißimi et optimi quiq; teneant, nec imp pari seruitute omnes boni oppreßi, sed gradu uentur, indocti gubernatores admittãt bonor & doctorum consilia. Non cõfundantur gra sed unusquisq; uelut stationem, suum locum tur atq; ornet: Eruditi iudicent de doctrina ti auscultent atq; obtemperent, nec in aliena ctiones irrumpant conturbato ordine. Sic Paulus grauißimè monet Cap. 12. ad Rom. præcipit, ne immodestè de nobis sentiamus, sed nusquisq; pro suo dono modestè seruiat, sua nus ornet. Hæc est illa diuina proportio, q esset in Ecclesia & in Repu. uerè beati esse Hoc medium inter Tyrannidem et Democra cõstituendum esse sapientibus gubernatoribu to dicit. Sed quantum ab hac forma distet E sia, non est obscurum: Nam aut iacet oppr rannide, aut horribiliter dißipatur ac lacer à uulgo. Nec falso dixit Plato, proportionem difficulter inueniri, ac iudicium de ea non

minum, sed tamen interdum aliquam eius partem rebus humanis contingere, & si quid boni sit in Repub. beneficio huius proportionis existere.

Optandum igitur est omnibus, ut Deus aliquando hanc harmoniam in Ecclesia restituat, & nos, qui in studijs uersamur, demus operam, ut munus commissum ornemus, ut ad docendum & iudicandum ueniamus bene meditati ac parati, ut dextre, propriè, et sine cõfusione dogmata explicare possimus. Assuefaciamus nos ad modestiam, fugiamus πολυπραγμοσύνην, et petulantiam. Hoc modo nostri ordinis, seu gradus harmonia correcta, plurimum Ecclesiæ boni afferet. Hæc dixi ut Platonis sententiam interpretarer, quæ ad illustre translatæ exemplum, sit magis perspicua. Et præstandum nobis est, ut non solum intelligamus eruditè dicta summorum hominum, sed etiam ut ad nostrum usum, ac uitam accõmodemus, et extra scholam, expluere in solẽ, et uelut in aciem proferamus. Monet autem nos hæc sentẽtia de maximis rebus, uidelicet, qui debeãt esse gradus in Rebuspub. et ne harmonia illa turbetur, suum cuiq; munus diligenter obeundum esse: et quoniam unum quoddam systema est, attemperare unusquisq; suam harmoniã ad aliarum uocum proportionem, hoc est, ad aliorum utilitatem & mutuam concordiam debet.

Ecclesiam distare ab hac harmonia multum

Quantã hæc uim habeant, in ecclesiæ exemplo fa
cilè cõspici potest. Reliquæ sunt multæ et grauis
disputationes hoc in loco Platonis, quas omitto,
& totam hanc causam diligentius explicandã
doctißimo uiro D. Decano commendo. Dixi.

ORATIO DE GRATITVDINE M. Alexandri Alesij Scoti, Decani, in promotione Magistrorum, Anno M. D. XXXIIII.

ETsi aliorũ consilium, qui hoc
loco de uniuersa philosophia
deq; omni ratione studiorum
grauißimè dicere solent, ma
gnopere probo: tamen quã
am in hac ingenij mei infir
mitate intelligebam me non
posse tantarum rerum uarietatem oratione illu
strare, constitui de una quadam uirtute dicere, q
gna cum bonis uiris omnibus, tum uerò præcipu
harum nostrarum artium, ac literarum studiosis
uidelicet, de gratitudine: quam ut deligerem, n
solum publica causa adductus sum, etsi magnop
re opto eam, cùm uerè sit maximarum uirtutu
nutrix, ab omnibus summo studio coli, uerum et
am quædam me priuati ratio commouit. Etenim
cùm per iniuriam me patria pulsum, uenientem

Gratitudo maximarum uirtutum nutrix.

huc ex alio orbe, summa humanitate hospitio exceperitis, & annos iam aliquot amanter tegatis, ualde laborandum mihi putaui, ut extaret aliqua gratitudinis meæ significatio.

Germanorum hospitalitas.

Caius Cæsar insignē hospitalitatis laudē tribuit Germanis, hāc ego in his meis erroribus, et exilio meo cōperi, uos et ueteri instituto retinere, et in hac urbe præcipuè exerceri pio quodā Christiane religionis studio, quæ inter cæteras uirtutes hospitalitatē coli præcipit, et amplissimè laudibus ornat: Quare gratiam hoc nomine habeo huic publicæ dicendi cōsuetudini, quod aditū mihi ad uniuersos uos patefacit, et occasionem præbet diu optatā, uicissim meæ uoluntatis declarādæ. Aptissimum igitur hoc argumentum meæ personæ esse iudicaui. Deinde nō solum orationem meā, sed etiam exemplum arbitrabar profuturū esse, excitandi aliquos ad gratitudinem maiori diligentia præstandā. Agnosco autē me neq; de uirtute ipsa, neq; de uestris meritis pro dignitate dicere posse, sed spero uos pro cādore uestro officiū hac in re meum probaturos esse, etiāsi eloquentia desideretur. Quare uos etiā atq; etiam oro, ut hominis peregrini orationem bona cum uenia audiatis, id beneficium etiam inter cætera, quæ mihi à uobis liberalissimè tribuuntur, grato animo recensebo.

Vox naturæ de gratitudine

Scitis autem adolescentes, nullum officium iustius, ac magis necessarium esse, quàm habere gratiam benemeritis. Hæc enim una uox est non solum eruditorum omnium, sed ipsius etiã naturæ, quæ mutuis officijs homines inter se deuinctos esse uoluit. Quare ingrati cum hæc naturalia uincula societatis humanæ dissoluant, ipsi naturæ bellum inferre iudicandi sunt. Etsi autem hæc ipsa naturæ lex diuina quædã uox est mentibus hominum inscripta, tamen & in sacris literis extant clara præcepta, quæ nos ad colendã gratitudinem hortantur, & quidem gratis præmia, ingratis uero pœnas diuinitus proponi docent. Sic enim scriptum est: Non recedet malum à domo ingrati. Quare non solum natura ingratos tanquam immania monstra odit, & execratur, sed etiam urget eos Deus iustissimis pœnis.

Sacræ literæ.

Proinde si naturam aspiciemus, et quasi euolue-
mus animos ipsi nostros, si sacras literas consule-
mus, nõ solùm uidebimus quãtum habeat ingra-
tudo sceleris, sed etiam cõstituemus, non esse dubi-
tãdum, quin Deo pœnas ingrati daturi sint. Hæc
si cõsiderabitis, ut uos præsertim decet, qui ad ista
dia uirtutũ adhibiti estis, statuetis uos, et ut Deo
et naturæ pareatis, cum erga alios, tum maxime
erga præceptores uestros, et hanc Academiã ge-
ne

tos esse debere. Etenim cum nullum sit maius beneficiũ in terris, quàm ueritatis, & rectæ doctrinæ communicatio, profecto nullis plus debemus quàm his, quorum labore, fide, ac liberalitate res tantæ, tanquã in uita necessariæ nobis cõtingunt. Neq; enim ignoratis, uitã sine literis, sine religionis scientia, sine antiquitatis noticia, sine aliqua naturæ atq; honestorũ officiorum cognitione, nõ solum incultã, sed planè miserrimã fuisse. Deniq; etiam pecudum uita optabilior fuerit, quàm hominum, quamlibet affluentium omnium rerũ copia, si cum illis tenebris coniuncta & impijssimis illis erroribus, & uitijs ageret. Itaq; facile iudicari potest, plurimum nos debere illis uitæ ducibus, qui nos in lucem ex obscurissima caligine educũt, & bene beateq; uiuendi rationem monstrantes, maximis erroribus animos nostros liberant.

Præceptoribus maxima debetur gratitudo.

Vetustas diuinos honores decreuit illis, qui fruges & meliorem uictum hominibus ostenderunt. Sed si recte æstimamus uera bona, multo melius de nobis merentur, qui optimarum rerum doctrinã nobis patefaciunt ac tradunt. Etsi ego quidem ueterum historias ita interpretor, non uictum, sed uiuendi leges et disciplinam à summis quibusdam uiris traditam esse, qui postea frugum inuentores uocati sunt, ut significaretur, non minus ad

Frugum inuentoribus quam diuini honores attributi.

tuendam

tuendam uitam necessarias esse literas atq; artes, quàm fruges ipsas. Nec fieri potest, si uim ac dignitatem literarum intelligimus, quin pariter et artes, et Doctores artium amemus, per quos hæc cœlestia munera diuinitus ad homines propagantur. Nam illud etiam nobis considerandum est, nō solùm debere nos præstantibus Doctoribus propter assiduitatem, diligentiam, fidem, & cæteras uirtutes, quæ in Doctore fideli requiruntur, sed quoniam nulli fiunt artifices, nisi diuino quodam afflatu, bonos doctores, uelut numina cœlo demissa, & ut Plato uocat, tanquam Dei interpretes uenerari debemus. Erratis enim, si artes repertas esse, nisi Deo monstrante, aut cōseruari posse credatis, nisi Deus artificū ingenia exuscitet. Quod si in paruis artibus, in Musicis, ac Poëtis opus est diuino motu, ut Poëta inquit:

Doctores uelut numina.

Est Deus in nobis, agitante calescimus illo.

Quāto magis opus est diuino afflatu in illis summis artibus, in explicatione religionū, in eruēdis causis naturalibus, in inquisitione motuū cœlestium, in legibus et uitæ officijs tradendis, in formanda oratione. Itaq; ut cæteræ sacræ res, ita et boni Doctores singulari honore afficiendi sunt. Etsi in his ad industriam accedunt cæteræ uirtutes, dexteritas in docendo, fides, assiduitas, qualis debet esse nutritio-

nutritionis, his uerò par gratia reddi nulla poteſt. Nam ſi qui tales ſunt, uitam diſcipulis impendunt, propterea quod non ſine maximis curis, ac laboribus aſſiduitas illa præſtari poteſt. Quid? quod interim negligenda eſt rei familiaris procuratio, perpetiēda odia improborum, qui literas, qui religionis doctrinam, qui cæteras artes hoſtiliter oderunt. Vidēmus enim quæ ſit uulgi natura, quod faſtigium ſapientiæ in eo collocat uno, quod ait Horatius: Vulgi natura.

Virtus, fama, decus, diuina humanaq; pulchris
Diuitijs parent.

Præterea Tyranni natura Philoſophos oderunt, Tyranni.
Neq; uerò tot difficultates, tot labores, tantaq; pericula boni uiri, qui poſſeßionem literarum in ſcholis tuentur, ſuſciperent, niſi eos ut id facerent, quædam uis amoris et erga uos, et erga Rem pub. hortaretur. Neceſſe eſt autem plus quàm ferreis animis præditos eſſe eos, qui et beneficijs affecti ſummis, et amore uerè patrio inuitati, non redamant præceptores.

Cum igitur uobis hoc quidem tempore, adoleſcentes, magna fide ac dexteritate tradātur in hac ſchola diuinæ atq; humanæ literæ, primum dabitis operā, ut beneficij magnitudinem intelligatis, deinde ut præceptoribus grati ſitis. Dei beneficio

hæc

Theologia in hac schola purissima.

hæc schola multis doctrinæ Christianæ locis m
gnã lucem attulit, ac uix alibi usquam purius ac
simplicius explicatur doctrina Christiana. Adhæc
omnes Philosophiæ partes proponuntur, et cum
Physicen, quam sic uocant, habetis, tum etiã ope
duntur causæ cœlestium motuum, quæ est omnium

Philosophia.

partium Philosophiæ longè præstantissima, et u
,, Aristoteles inquit, maximè cognata diuinitati, a
,, que hæ Philosophiæ partes eò magis amãdæ sunt,
quod plurima monstrant, et clarissima uestigia d
uinitatis in natura, quorum animaduersio maxi
mam profecto uim habet ad excitandos animos,
ad religionem, et ad omnia uirtutis officia.

Artes dicendi.

Nec desunt artes, quæ formant iudicium de ratio
one dicendi: et ad has adhibentur optimi autores
Græci et Latini, non solùm, ut genus sermonis il
lorum imitemur, sed etiã ut inde rerum cognitio
nem, philosophiã, antiquitatẽ, historias petamus.
Nec uerò uideo quid adolescentiæ proponi melius
atq; utilius ad solidam eruditionem comparan
dam et ad formãda iudicia possit. Satius est enim
profectò uersari in Mathematis, in Aristotele,
Plinio, Alberto, Pontano, Demosthene, Homero,
Sophocle, Vergilio, Liuio & similibus autori
bus, quàm in Tartareto et huius farinæ cæteris,
qui et præstantissimæ Philosophiæ partem nõ at
tigê

tigerunt, et illam quam profitentur, ut nihil aliud dicam, inutilibus disputationibus obruunt.

Disputationes.

Habetis et disputationes, in quibus iã annis aliquot uidimus explicatas res ad uitã utilissimas. Non enim proponuntur inanes λογομαχίαι, in quibus tantũ de uocibus rixandũ sit, sicut inter se eorum cõtendunt, libet enim uti Galeni uerbis, sed agitãtur cõtrouersiæ, quæ forment iudicium de religione, de Philosophorũ sectis, de fato, de finibus bonorum, de causis cœlestibus, et similibus locis. Vtinã uerò diligentiæ præceptorum in disputationibus uestra sedulitas responderet. Nã in hac parte præcipuè deesse uobis adolescentes ipsi uidemini, eaq; causa est, ut et præceptorum studia fiãt ad disputandum languidiora. Magna uirtus, egrega doctrina atq; humanitas est, et in aliarum professionum Doctoribus, Iureconsultis & Medicis. Deindenõ solùm doctrina præceptorum fruimur, sed multis etiã alijs officijs singuli utimur. Quare, ut aliquando finiã, adhortor uos, ut quod est iustissimum et humanissimum, detis operã, ut præceptorum erga uos beneuolentiæ, meritis, laboribus, assiduitati, gratitudo uestra respondeat.

Templa Gratiarum apud Græcos.

Aristoteles scribit Græcos tẽpla Gratiarum in medijs urbibus condere solitos, ut ciues mutuæ beneficẽtiæ atq; gratitudinis admonerentur. Ita et

uos

uos in medijs ſcholis collocata gratiarum templa exiſtimate, cum de gratitudine auditis concionãtes et ſacros libros, et auctores qui uobis enarrãtur. Scholas enim decet eſſe officinas, ut cæterarũ uirtutum, ita maximè gratitudinis. Nullum enim uitiũ magis pugnat cum natura et ſocietate humani generis, quàm ingratitudo. Nec de mihi eſt, quod dixerunt ueteres: Dixeris maledicta, ſpecta, cum ingratum dixeris. Quid quod etiã immaniſſimis beluis indita ſunt gratitudinis ſimulachra? Meminiſtis leonẽ in circo reddidiſſe gratiã fugitiuo, à quo uulnus ipſius curatum fuerat: Turpiſſimum autem eſt nobis uinci iuſtitia et pietate à beluis. Laudantur et ciconiæ, in quibus pullis adultis, quæ per ætatem nequeunt pabulatum exire, cibos afferunt. Ita uos quoq; memineritis ἀντιπελαργητέον, hoc eſt, mutua pietate colendos atque fouendos eſſe præceptores bene meritos.

Gratitudinis exempla in beſtiis.

Poſtremo gratitudine impetrabitis, ut Deus magis faueat ſtudijs ueſtris, eaq; ad ſalutem ueſtram et totius Reipu. gubernaturus ſit. Vt enim ingratos haud dubiè puniet, ita gratos amat ac tuetur. Videtis quàm ingens præmium addiderit quarto præcepto: Honora patrem et matrem, ut ſis longæuus ſuper terram, hoc eſt, ut totius uitæ curſus fauſtus ac fœlix ſit. Idem locus concionã-

Quarti præcepti præmium.

de officio erga præceptores, qui cum succedant in parentum munus & curas, loco parentum habendi sunt. Et si rectè æstimamus, maiora beneficia à bonis doctoribus, quàm ab ipsis parentibus accipimus. Nam doctrina religionis & aliarum honestarum rerum longè præferenda est ipsi uitæ. Rectè igitur Iuuen. De officio.

Dij maiorum umbris tenuem & sine puluere terram,
Spirantesq; crocos, et in urna perpetuũ Ver,
Qui præceptorem sancti uoluêre parentis
Esse loco, &c.

Quare non minus crudeles sunt ingrati aduersus præceptores, quàm qui parentibus ingrati sunt. Hæc autem impietas præcipuè à Christianis abesse debet, in quibus uel maximè eminere gratitudinem oportet, ut intelligantur etiam Christo grati esse pro ijs beneficijs, quæ ab eo infinita quotidie accipimus.

Hæc sæpe multumq; uobis cogitanda sunt adolescentes, ut animum ad gratitudinem excitetis: quod si feceritis, simul illud assequemini, ut literarũ atq; artium uim magis intelligatis. Cum uidelicet expẽditis beneficiorũ magnitudinem. Deinde gratitudo flectet animos etiã ad cæteras uirtutes: Est enim fons iustitiæ. Libẽtius etiã ac facilius pa- Gratitudo fons iusticiæ.

rebitis præceptoribus, si & uos ab ipsis amariis
telligetis, & uicissim eos redamabitis. Talem au
tem Academiam, qualem uos habetis, ubi tantus fl
scendi facultas est studiosis, ubi uerè sunt foren
dicitur, ἄφθονοι musarum, non amare, animi ebe
à literis & ab humanitate abhorrentis: Vos au
tem parentum autoritate, hoc est, diuina autori
tate huc missi estis, ut & literas percipiatis, &
animos ad uirtutẽ et humanitatis officia assue
ciatis. Eaq; in re nõ solùm uestræ saluti consu
tis, sed etiam à Rep. uos in hac statione collocat
putate, ut olim ex studijs uestris aliqua redeat u
litas, et ad ecclesiã et cæteras Reip. partes. Ob
putatis esse scholã, sed mihi credite, ingẽs negot
sustinetis, et quod ad uniuersam Rempub. attine

Quare uos hortor, ut propter gloriam Dei
salutem uestram, officium uestrum studioſe dilig
terq; faciatis. Inuitabit uestra gratitudo præc
ptorum studia, ut et instructiores ad docendum
cedant, & magis sint assidui. Reliquum est ut
ego gratias agam amplissimis & doctissimis
pro beneficijs in me priuatim collatis. Quæq
autem hæc commemoratio leue officium uide
tamen quoniam significationem aliquam hu
gratæ mentis, præsertim cum fiat in loco p
blico, non duxi eam esse prætermittendam. C

Gratiarum actio autoris.

gor autem uerecundius de uestris meritis dicere, propter modestiam uestram. Tantum illud dicam, me libenter profiteri, non minus me uobis debere, quàm meis parentibus. Itaq; uobis & habeo gratiam, & polliceor me, sicubi potero, re ipsa declarare animi gratitudinem, summa fide daturum operam, ut intelligatis me officio meo non defuisse. Scitis Deo grata esse hæc officia, quæ in hospites conferuntur. Nam cùm in mundo uniuersa ipsius Ecclesia exulet, postulat, ut communes exilij æruminas mutuis officijs, mutua beneuolẽtia leuemus ac mitigemus. Orabo itaq; Christum, ut uos quoque defendat ac gubernet in his communibus periculis. Dixi.

ORATIO DE INGRATITVDINE Cuculi, habita in promotione Magistrorum, à Decano, Magistro Ambrosio Iuterbocensi, Anno M. D. XXXVII.

SCitis Adolescentes, hos cœtus disciplinæ causa institutos esse, ut conueniant huc illi, qui præsunt Academiæ, ad inspicienda iuuentutis studia, et reliqua multitudo suo officio declaret, se delectari his cõgressibus, in quibus &

doctißimi homines cõueniunt, et habentur oratio-
nes, ſumptis materijs, ex magna quadam optima-
rum artium uarietate, quæ ſunt utiles uitæ ac mo-
ribus. Ac uerò iuuenes eò decet libentius interfe-
ſe his pompis, quia bonæ menti nullum eſt iucun-
dius ſpectaculum, quàm uidere tales cœtus uiro-
rum excellentium ingenijs, doctrina & uirtu-
Nam et ipſa uirtutis pulchritudo in præſtantibus
uiris, oculos atq; animos hominum mirifice o-
pit. Et iuuat eos uiros intueri, qui ſunt præcip-
ornamenta Reip. An exiſtimatis exercitum Gr-
cum ad Troiam quidquã ſpectaſſe libentius, qu-
unà incedentes heroas, Achillem & Aiacem
telligebant enim horum uirtutem præſidio eſſe
niuerſo exercitui. Quare & his, qui præſunt
cademiæ, gratias ago, quod ut ueterem honeſ-
mumq; morem conſeruarent, non grauatim
acceſſerunt: Et reliquorum laudo officium,
ſua frequentia, uoluntatem & ſtudium ſuum
præceptores oſtendunt. Et quoniam nihil
decet in congreſſu eruditorum, quàm comme-
ri, aut differere de rebus bonis, et hæ dicendi
tes mihi datæ ſunt, magnopere optarim, me
adferre orationẽ dignam hoc honeſtißimo c-
Sed eſt humanitatis ueſtræ, fauere etiam me-
cribus ingenijs, præſertim cũ exercitationis

Præſtantiſſi-
morum uirorũ
cœtus iucundi

sa hæc consuetudo dicendi instituta sit. Vt autem alij hoc loco interdũ de artium dignitate, interdũ de uirtute aliqua dicunt, ita sumã et ipse aliquid ex Philosophia. Ac uerò pars Physices nõ infima, cognitio naturæ animantiũ. Nam inquisitio naturæ eorũ multa monstrauit remedia, deinde morũ uarietas indita animantibus, monet nos, hũc mundũ nõ temerè, aut casu extitisse, sed à mẽte aliqua æterna ortũ esse, quæ impressit imagines morum etiã brutis animantibus, ut exẽplis illis admoniti homines, discerent amare rectè facta, & odisse uitia. Quàm uenusta imago est ecclesiæ, halcyonum partus, quæ cùm in scopulis in mari nidificent, solent incubare ouis, & excludere pullos in media bruma, cùm quidẽ mare tanquã inseruiẽs illis incubantibus per illud tẽpus mitescit, et placidũ est. Me quidẽ hæc imago sæpe admonet ecclesiæ, quæ perinde ut halcyones in mari, hoc est, in summis periculis uersatur. Deinde parit eo tẽpore, cùm tempestates solẽt esse sæuissimæ. Fortasse autẽ hoc sunt fœliciores halcyones, illis mitescit mare: Ecclesiæ nõ tantum rationẽ habent Tyranni, ut placati aliquantisper cõcedant ocium parieti. Sed tamẽ id quoq; fit, diuinitus aliquãtisper tegit Deus Doctores, dum propagata doctrina soboles adolescit. Conueniunt Ecclesiæ & mores halcyonum,

Naturæ animantium cognitio.

Halcyones imagines Ecclesiæ.

nesciunt adulteria, & extincto coniuge, alter manet cœlebs, & paulò pòst, luctu moritur. Mulier etiam senem maritum Cerilum, ut apud Gram-

Cerylus. *legitur, gestat humeris suis aquatum. Itaq; uetres scripserunt honesti coniugij exempla quod quidem non displicet, sed tamen ad Eccles-am non malè quadrat exemplum, quæ gestant fouere omnibus officijs benemeritos doctores debet. Possem aliqua multa exempla commemore, in quibus apparet, diuinitus has imagines positas esse, ut de multis magnis rebus in uita admoneant.*

Diuina testimonia naturæ impressa. *Ac præcipuè eo me delectat istarum rerum gitatio, quod uideor mihi uidere testimonia nitus impressa naturæ, quæ ostendunt mun non extitisse casu, quæ quidem ita sunt illus ut ueteres etiã Philosophos mouerint. Ideò præclarè inquit Aristoteles, in primo de parti animalium. Cùm in omnibus partibus natur sit admirandum quiddam, satis apparere, mu non extitisse casu. Stoici etiam hoc consilio ram definiunt, uim arte progredientem ad g randum: & profitentur se in definitione ad artem, ut significent naturam mente quadam gi in omnibus actionibus, quæ uelut artifex omnium generationum & motuum in natura*

benter igitur ex huiusmodi materijs sumpsi hoc loco argumentum, ut iuuenes admoniti, & ipsi hæc uestigia Dei in natura considerent. Sed uideo me in exordio longius euagatum esse quàm uolebam, & si arbitror uobis quidem, qui & Philosophiæ & religionis amantißimi estis, non fuisse ingratam hanc commemorationem.

Historia cuculi

Nunc uenio ad argumentum, quod huc afferre præcipuè constitui. De ingratitudine, impietate, & scelere Cuculi dicturus sum: qui quale hominum genus repræsentet, postea explicabo, prius enim narranda est historia. Aristoteles in nono libro de natura animalium, scribit cuculum propter timiditatem, quam in ipso insignem esse compertum est, non facere proprium nidum, nec suos pullos excludere, sed deponere ouum in alieno nido, ac plerunque curruccæ. Hæc cum reperit ouum inter sua, simul huic etiam incubat. Deinde pullis excluſis, quia Cuculus magnitudine & uiribus superat reliquos, quidquid sedula mater tibi adfert, suppositicius iste præripit. Ita fit, ut cæteri pulli fame moriantur: Putant etiam matrem eo maiore cura hunc uouere, quia magis eum miratur & amat propter magnitudinem corporis. Interdum ipse Cuculus factus robustior, cæteros pullos deuorat,

interdum senior cuculus exorbet ouã curruce: ho deò multiplex est in hoc genere crudelitas: Postremò ubi adoleuit sceleratus & impius pullus, edit nefariam & plusquã tragicam catastrophen: Nã currucam, qua incubante natus est, à qua magna assiduitate nutritus est, crudeliter laceratã deuorat. Hanc pro maternis beneficijs, & pro nutricatione uicem iste ἄσοργος rependit, dignus qui perpetua scabie notatus sit, et quẽ oderint, ac fugiãt reliquæ aues ceu dirum portentum. Ita enim natura fertur illum damnasse impietatis, ut uereretur, sicut polluti, sine nido, & sine ulla societate, sicut apud Homerum de pœna impiorum dicitur, ἀνέστιος ἠδὲ ἄφρητος. Solus enim sine ulla societate sui generis, aut aliarũ artium uagatur. ἀνέστιος ἠδὲ ἄφρητος.

Nõ igitur obscura est significatio: imago proposita est in terra uolucre, ut uideamus, turpissimæ naturæ similitudinẽ habere ingratos. Sicut in aliis fœdis animalibus aliorum uitiorũ similitudo proposita est, ut cognita turpitudine bestiæ, homines magis abhorreãt à similibus uitijs: ut in lupo inest rapacitas et crudelitas: in polipo tãta libido, ut extinguatur in concubitu: Noctua piscis tã rax est, ut nõ desinat se onerare cibo, donec rũpatur. Sed longum esset exempla persequi. Ad institutum argumentum redeo. Adfectat cuculus ei

an

am Musicæ laudem, quare ubi luſciniam audiuit, eò aduolat, & excitatus cantu illius, cum ea certare ſtudet. Hinc intelligi magis poteſt, in quo genere hominum, ingratos ſignificet, nempe inter eos, qui obſtrepunt melioribus in dicenda ſententia, in ſtudijs Eccleſiaſticis, aut alijs, quæ uitæ cõducunt. Hic quãta cuculorum agmina numerari poſſunt, non modo ſi ueteres hiſtorias repetamus, ſed etiam ſi præſentia negocia conſideremus? Homero obtrectabat Zoilus, ceu luſciniæ cuculus, Ciceroni Clodius, & alij multi. Habuerunt ſuos cuculos & heroici uiri: Scipioni obtrectabat Carbo, Alcibiadi Hyperbolus. Quanquam quid opus eſt exempla colligere? Plena eſt horum quotidiana uita, ſed maximè in Eccleſia: Et ad hanc, totũ hoc ſymbolum maximè conuenit. Cuculi cantus in Eccleſia & Rep.

Curruca Græcis eſt Hypolais, quæ nomen inde habet, quod humi ad ſaxa nidificet, talis eſt uera Eccleſia, ſpreta & abiecta in mundo. Hæc dum omnes fouere, & iuuare conatur, etiam ſuppoſiticios fœtus nutrit, qui cum propter hypocriſin ueniant in admirationẽ, facile beneficio Eccleſiæ, authoritatem & potentiam conſequuntur. Hanc adepti, deinde graſſantur in ipſam matrem, eamq; dilacerant, & crudeli Tyrannide opprimunt. Deinde illum feralem & infauſtum ſonum ædunt in Curruca.

Arius. Ecclesia, sonant impia et perniciosa dogmata. Ario uenit euexit ad honores Ecclesia Alexandrina, qui cum esset suppositicius fœtus, postea Ecclesiam omnibus terrarum horribiliter dissipauit. Quid in scholis accidit? quæ cum sunt bene constitutæ, partes sunt ecclesiæ uel præcipuæ. Primum enim ingentia certamina, pericula, difficultates, publicè sustinent boni doctores, propagandæ rectæ doctrinæ causa, inde priuatim, ut nutrices fouent infantulos, ita summa cura, diligentia, sedulitate, proueniunt ingenia discentium. Et tamen sæpe fit, ut educatus atq; institutus magna fide, postea oblitus omnium beneficiorum, & incitatus ambitione, aut natura maleuolentia, aut inuidia, impetum faciat in præceptores, nec nocere tantum ipsis, sed odio ipsorum bonas artes opprimere & delere conetur. An hoc cuculorum genus non uidetur ostendisse? Non enim iam uitupero homines hebetes, aut tardos, sed ingratos, & nocendi cupidos.

Scholæ.

Tales cuculos odisse, omnes à natura bene instituti debent, Et tales hic pingere uolui, ut admoniti adolescentes, procul eos fugiãt et execrentur. Student enim hi cuculi alijs affricare suam scabiem, et inueniũt uel stolidos, uel malos, qui illo horrido cantu teneantur. Magnum per se scelus est ingratitudo in qualibet re, sed tum est uere ex-

culiscelus, & parricidium, quando ad eam accedit odium piæ doctrinæ, aut aliarum honestarum artium, quando ingrati, hominum odio, & animi morbo, postea rebus bonis bellum inferunt, labefaciunt dogmata, detrahunt de artium dignitate: nec rara sunt exempla. Et sæpe accidit, ut cum semel in præceptores incurrerint, postea rabies augeatur, & crescat discordia, uelut incendium: Deinde Respub. propter horum scelus et ingratitudinem plectitur. Verum cuculus scelus.

Quidã Athenienſis Orator, cum significare uellet, quibus modis factiosa et Tyrannica ingenia potentiã consequantur, inquit: Serpens nisi deuoret serpentes, nõ fit draco. Ita ingrati illi incensi odio aut ambitione, persuadent sibi, hanc esse uiã ad gloriã, formidabilem fieri alijs, opprimere dissentientes ui aut arte. Quanquã minus flagitiũ est in pares, quàm in benemeritos sæuire, ut facit cuculus. Cũ igitur ingratitudo nõ solùm priuatim sit turpis et indigna homine, sed etiã sæpe Reipu. noceat, adhortor uos Adolescentes, ut animos uestros ad gratitudinem assuefaciatis, ad quam nos nõ modò inuitant natura, & homines doctissimi, qui quasi explicantes naturæ iudicium, de gratitudine copiosissimè præcipiunt, sed etiam cœlestia oracula uocant, quæ quidem horrendas etiam

pœnas

pœnas minantur ingratis. Sic enim scriptura inquit. Nõ recedet malum à domo ingrati. Hoc dictum quæso affigite animis, & expendite, quam graues, quàm durabiles pœnas minetur Deus, cũ ait, semper hæsura mala in domo, in liberis ingratorum. Quid dici tristius poterat?

Beneficium quod à scholis contingit.

Iã cogitate, quale sit genus beneficiorum, quod in schola bene constituta accipitis. Nihil hominẽ cõtingere melius potest, quàm recta doctrina, primum de religione, deinde de honestis uitæ officijs, de rerum natura, deniq; de omnibus artibus, quæ sunt uitæ utiles. Traditur autem uobis, Dei beneficio, doctrina Christiana, purè et simpliciter. Proponuntur & cæteræ honestæ disciplinæ, nec ulla pars Philosophiæ negligitur. Enarrantur optimi autores Græci & Latini, qui aut fontes Philosophiæ cõtinent, aut prosunt ad formandam orationem. De præceptoribus ipsis non dicam, sed tamen dexteritas & prudentia in doctore duplicat beneficium. Nam qui in docendo non adhibet rerum delectum, aut non uidet quid cuilibet ætati conueniat, is sæpe ita distribuit ea quæ tradit, ut si cani paleas, asino daret ossa, ut in prouerbio dicitur. Spero autem uobis cognitam esse fidem & prudentiam in ijs qui docent.

Prouerbium.

Cum igitur tanta sit magnitudo beneficiorum,

non est obscurum, quod sit uestrum officium. Certè Deo gratiam debetis, qui his pulcherrimis muneribus uitam humanam ornauit. Is uult dona sua intelligi, uult ea magni pendi à nobis, uult gratiam reddi his, per quos impertit ea humano generi. Quare cogitate quid Deo debeatis, et mementote ingratos pœnas Deo daturos esse.

Philippus Macedo habebat militem, qui ei propter fortitudinē in primis charus erat, hic naufragus ad uillā cuiusdā agricolæ ægrè enatauit. Agricola cum audisset militis clamorem, accurrit, eumq; rigentem frigore et penè exanimē ducit in uillā, et quibus potest officijs recreat, Post triduum cupientem abire etiā uiatico instruit. Discedens miles prolixe pollicetur se gratiā relaturū esse. Vide quid acciderit. Nam et hic miles cuculi scelus imitatus est. Narrat Philippo naufragum, beneficium hospitis tacet, et petit sibi donari illud prædium, facile impetrat à Rege liberali, præsertim cum Rex bene meritum esse iudicaret: iubet igitur induci eum in bona quæ petiuerat miles. Non tulit iniuriam agricola expulsus bonis, ab eo quem seruauerat, sed uenit ad Philippum et cōmemorat suum beneficium erga militem. Hic adeo exarsit ira Philippi, ut Pausaniæ mandaret, ut priori domino prædium restitueret, militi uerò

Philippus Macedo inusitatis gymnasijs ingratos.

Hospes ingratus.

uerò exautorato stigmata inureret, inscriberetq; fronti, hæc uerba: Hospes ingratus.

Tanta naturæ uis est, ut nemo tã ferreo animo sit, qui audiens hãc historiã, non ualde probet iustissimam Philippi sententiam. Quantum autem prodesset Reipu. hoc modo notatos esse scholasticos ingratos, eos uidelicet, qui ad ingratitudinem etiã addunt impietatem, qui nocere præceptoribus, et ipsis studijs cupiunt. Hos oportuit stigmatis notatos esse, quia si agnoscerentur, minus nocere possent. Ego uerò optarim illis etiã insculptum

Ingratis discipulis cuculus insculpendus.

culum in fronte, deuorantem suam nutricem. Sanquanquã hic cessant leges, tamen Deus tandem ea stigmata inurit, quæ testãtur quales fuerint. Cogitate igitur quãtum Deo displiceat ingratitudo, quàm sit indigna homine, quàm inimica totius naturæ, quàm turpis, quod diuinitus etiã puniatur: denique quod Reipu. noceat, cum ingrati, odio hominum, artes etiã odisse et premere incipiunt. Hæc si uobis sæpe subijcietis, excitabitis animos ad gratitudinẽ, et ad colendã communem tranquillitatẽ. Ad hæc officia assuefaciendi sunt animi. Ideo in scholis, & in his optimis studijs uersamini, ut mores uestri fiant meliores, ut artes profuturæ ad illustrandã gloriam Dei, et ad tuendam cõmunem societatem uobis paretis, non ut discatis sycophan-

cophanticam nocituram bonis uiris et Reipub.

Aristogiton apud Demosthenem.

Quàm tetra imago est ciuis apud Demosthenē, cum pingit Aristogitonem, circumeuntem in foro, et uibrantem spiculum seu exertam caudam, ceu scorpiū insidiari ciuibus, et circumspectare quem feriat, quē aliqua calumnia opprimat, deinde, qui cum nullo ciue ullius officij societatem habeat, sed cum illis uiuat, quos apud inferos aiunt assidere impijs, uidelicet, cum inuidia, furijs, et alijs pestibus. Ita describit Demosthenes Aristogitonem. Quid autē alienius esse debet præsertim ab homine docto, instituto ad humanitatē, et cuius mores et eruditio debent prodesse Reipub. cuius tota uita debet esse κοινωνικὴ, et plena officij, quàm isto Aristogitonis more uiuere? qui quidem proprius est sycophantarum, qui irruunt in bene meritos.

Cum autem mihi quidem impossibile sit, magnitudinem huius causæ æquare dicendo, non uolui esse prolixior. Et tamen hæc præcepta interdum inculcanda sunt adolescentibus, & ostendendum quāta sit uitiorum turpitudo. Ideò hæc pauca de ingratitudine, hoc tempore collegi, quæ ut boni consulatis oro. Est enim etiā grati animi, qualem cunq; operā honestam, publicæ utilitatis causa susceptam, probare.

Dixi.

De

DE VTILITATE FABVLARVM Oratio.

NOn dubito, quin ut quisq; modestißimus est, ita maximè miretur, idq; merito, quid mihi puero, nondum primos oblito uagtus, in mentem uenerit, cur hic in corona doctißimorum uirorum uenum dicere constituerim. Neq; uerò ipsi frontem adeo perfrictæ sumus, ut in hoc auditorio uel mutire ausimus, ni cogant honestißimæ rationes. Nec cum huc prodire turpe sit, nisi cum eloquentia, tum autoritate, locum cum decoro tueri possis, uideremq; fore ridiculus, si tale quidd hac ætate susciperem, quæ quid possit, quantum sapiat, nemo ignorat. Iã ut eruditionem non desideres, primum in puerilibus ingenijs laudẽ uerecundia meretur, in qua ni sentiam quàm longo absit hæc theatrica ostentatio, næ ego plane stupidus sim. Sed ut has rationes præceptoris mei autoritas, qui de ingenio meo periculum facturus, hanc dicendi prouinciam iniunxit, quam si recusassem, parum pius uideri potuissem. Sic enim existimo, præceptorum uel in re iniqua probum adolescentem parere oportere. Itaq; malui quiduis uideri, quàm præceptorum autoritatẽ detrectare. Quæ pietas mihi

Præceptorum obseruatio.

facile

facile, ut spero, me ab omni calumnia liberabit, impetrabitq; à uobis, ut boni cõsulatis, quod nõnullo meo periculo præceptori morem gerere studeo. Interim quo me consilio periclitari uoluerit, ipse uiderit. Iussit autem, ut de fabularum laude dicam, quod argumentum in speciem quidem pueri leest, et huic ætati aptum. Cæterum si quis propius contemplatur, intelliget ei prudentissimorum hominum eloquentiam uix parem esse. Quæ enim literarum, quæ uitæ pars non aliquid à fabula mutuatur? Sed nos pro ingenij nostri modulo rem agemus, modò puerilem orationem audire non sit molestum. Efficiam autem, ni spes me fallat, ut intelligatis, non aliud genus literarum utilius esse repertum, quàm fabulas. Quod ut ueri simile fiat, primùm causas aperiemus, cur à maioribus confictas esse iudicemus. Videbant illi communi mortales conditione, non corporibus modò, sed animis etiam imbecillibus nasci, camq; legem, opinor, ita sanxit natura, ut educandæ tuendæq; sobolis curam in parentibus augeret. Os primùm inerme et edentulum est, serò admodum lingua, manus, pedes officium suum facere incipiunt. Estq; tanta in tenero corpusculo imbecillitas omnium membrorum, ut ni uagiret infans, uiuere pene nesciretur. Et huic corporis modo singulari beneficio natura con-

Laus fabularũ.

Causæ.

Infantia nostra

tura conuenientem alimoniam in maternis uberibus condidit, quod solidioribus cibis non statim os firmum sit. Itaq; materno lacte infans tãtisper alitur, dum uiriculæ firmiores factæ, solidiorem cibum admittãt, suntq; autores medici, qui integro biennio solo lacte alẽdos cẽsent, paulatim postea solidior cibus datur, nec ille tamen aliquandiu nisi præmansus. Iam et alumnæ manu infantis ore interitur, priusquã huius manus officio suo fungatur est. Omitto quãta industria, quantaq; cura collocari in cunas, in crepundijs gestari soleat, ut membris habitus suus, lineamentis q; decor aliquis, seruetur. Atq; hac corporis conditione, fallor ergo, nisi natura uelut spectaculo quodã animorum imbecillitatẽ adumbrauit, monuitq; quãta cura excitari, instituj, ac erudiri rudes puerorum mentes uelit. Est enim et sua his infantia: Videmus quàm serò agnoscãt domesticos etiã, speq; metuq; nacti, nullo rerum absentium sensu tanguntur. Proinde sapientes uiri naturæ uim propius contemplati, haud equidẽ sine mente reor, sine numine diuûm, uiderunt animis suo quodã lacte opus esse. Quæso te, nonne ridiculus fuerit, si quis infantem amicum per urbes aliquot circumferat, præcipiatq; ut illarum situs, item hospitũ nomina accuratè observet, meminerit q;, ut domum rediens, æqualibus

recenseri posit? Ad eum modum ineptire iudico, qui talia pueris proponunt, quæ captus illorum nondum assequitur. Est omninò ueritate nihil uenustius, nihil amabilius, sed longius à conspectu, & ab oculis hominum recessit, quàm ut cerni, teneri, agnosciq; posit. Suntq; pueriles animi ad eã tanquam per gradus quosdam ducendi, inuitandiq; uarijs illecebris, ut subinde propius considerare liceat rem quidem omnium pulcherrimam, sed heu nimium obscuram ignotamq; mortalibus. Et perinde atq; qui se ab infantibus amari uolunt, sacharo aut similibus rebus inuitant, ita leno cinijs quibusdam commendanda ueritas est, & rudibus animis insinuanda. Excogitarunt itaq; prudentissimi homines fabellas, quæ primum admiratione excitarent, ceu ueternum quendam dormientes puerorum animos. Quid enim magis nouum nobis uidetur, quàm lupum cum æquo, leonem cum uulpecula, quercum cum cucurbita hominũ more colloqui? Taciti apud nos miramur, qui sensus, qui sermo bestiarum fuerit: paritq; hæc admiratio uoluptatem quandam propius cognoscẽdæ rei, iuuatq; discere, quam ob causam hæc conficta sint. Ibi paulatim animus excitatus, erigit se in contemplationem rerum humanarum, & agnoscere uirtutum uitiorumq; discrimina incipit:

Remota ueritas à conspectu nostro longius.

Admiratio parit uoluptatem.

Deinde altius insidunt, cùm uerba tum sententiæ eorum argumentorum, quæ cum admiratione excepimus, & uelut aculeos relinquunt in animis, quibus accendimur cura quadam perueſtigandarum earum rerum, quæ nouo commento traditæ sunt. Hoc opinor consilio, primùm confictas ſa-

Mitigantur puerorum ingenia fabulis amœnis.

fabulas, quod nulla dicendi ratione excitare ſatis posse uiderentur animæ puerorum mentes citius posse uiderentur. Eo tasse hoc etiam agebant fabularum autores, ut amœnis argumentis ingenia puerorum mitiora reddererent: Ineſt enim in ea ætate, ſicut in recentibus pomis, acerbum quiddam, & ferum, quod niſi ea maniore inſtitutione corrigatur, in barbariem quandam & beluinam ſæuitiam abit. Videmus enim hoc docendi genere uſos eſſe quondam grauiſſimos et ſapientiſſimos homines, quod nunc quanto malo publico è ſcholis exulet, non facile dixerim. Homeri Poëtæ prudentiam tantopere mirantur eruditi, ut ſupra cõmunem mortalium ſortem uehant, planeq; ſentiant, diuina quadã ui mentem illius percitã fuiſſe. At is pueris, quos in Gra-

Bellum ranarum & muriũ.

paſſim docebat, bellum ranarum & murium ſcripſit, ut ſimul teneros animos lepidiſſima fabula delectaret, ſimul doceret quantum præſtaret dissimulare quã ulciſci iniuriã, quam ſint incerti belli barum ac bellorum omnium exitus, nec rarò ac-

dere-

dere, ut ab inferioribus potentiores uincantur, sæpe malum omne in autoris caput uerti: Nam cùm mures nonnulla sanè iniuria prouocati, armis illum uindicare, quàm dissimulare mallent, nimiumq; suis uiribus aduersus imbelles ranas fiderent, donarunt superi uictoriam imbellioribus, et belli autores pertinaciæ suæ iustissimas pœnas dederunt. Quæso quid æquè retulit puerilibus animis inseri, atq; odium bellorum ac turbarum, tolerantiæ studium, & hoc genus alias humanitatis artes? Hesiodum tanta fuisse prudentia apparet, ut carmẽ eius diuinum uideri uoluerint, qui senserunt eum calamis à Musis acceptis uatem esse factum. Is uerò cum persuasissimum suis ciuibus esse uellet, nihil fœdius, nihil immanius esse uiolentia seu iniuria, rem ipsam uelut in tabula depinxit, composito de accipitre & luscinia apologo. Docebat hic quoq; Græcam iuuentutem, & non sunt contemnendi scriptores, qui Aesopicas fabulas ab ipso confictas prodiderunt. Hesiodi fabula

Dixi quo consilio putem repertas esse fabulas, potestq; ex hoc uelut fonte precium earum & utilitas æstimari. Neq; enim tam prudentes uiri fabularũ autores his nugis unquam delectati fuissent, nisi ad erudiendas pueriles mentes, plurimum conducere sensissent. Quid, quod non modo pueris,

sed celeberrimis etiã ciuitatibus fabulæ salutares fuerunt. Cùm plebs Romana cum patribus dissideret, secessumq; esset in sacrum mõtem, nec sanctiore ulla oratione flecteretur, missus est Agrippa qui uniuersam multitudinem lepido apologo, de uentre, et reliquis hominis membris, ita cæpit, ut statim liberet in gratiam cum patribus rediret. Demosthenes grauis Orator, cùm Macedo ea conditione cum Atheniẽsibus fœdus facturus esset, nolli Oratores sibi dederent, qui perpetuis concionibus animos ciuium aduersus se exacerbarent, iniquissimam conditionem Reip. festiuo quodam apologo dissuasit, quanquã ab ea non ita multũ plebs diutino bello uexata abhorret. Nam cùm donec uellet in hoc postulari Oratores, ut urbs destituta Oratorum præsidio, Regiæ tyrãnidi pateret, nocturna luce et perspicuitate Macedonis consiliũ ante oculos multitudinis posuit hoc cõmento. Lupos quondam cum pastoribus pactos esse, nihil se pro hac hostile caulis illaturos esse, si sibi canes deliberentur. Placuit stultis pastoribus cõditio, canesq; dati sunt. Proinde ubi lupi uiderũt excubias canũ sublatas esse, liberè grassari in gregẽ cœperũt. Hæc fabula cùm docuisset quanti referret Oratores seruari, Remp. tantisper seruauit, dum hoc consilium ualuit. Miram quandã fabulæ uim in

Fabula Agrippæ Romæ salutaris.

Apologus Demosthenis.

Fabularum uis maior quam Mercurii & Orphei.

uel hæc exempla testantur: Necesse est enim efficacissimam orationem fuisse, quæ implacabiliter iratis ciuibus Romanis arma è manibus extorsit, quæ Atheniēses grauiter afflictos adduxit, ut quā quam una uoce pacē omnes flagitassent, bellum tamen quàm pacem mallent. Eat mihi nunc aliquis et prædicet uel Mercurij uirgam, qua finxit uetustas animas orco euocatas esse, uel Orphei cythara, qua syluas et saxa traxisse ferunt: mihi quidē nō minus admiranda esse Musica uidetur, qua cōcitatæ multitudinis uis sedatur, atq; ea quæ bestias & saxa demulsit, & haud scio, an qui illa de Mercurio, Orpheoq; finxerunt, significare uoluerint peculiari quodā dicendi genere rudes mortales et feros adhuc mānsuefactos esse. Quod si uerum est, consentaneū est id apologo effectū esse, quo orationis genere facillimè capiuntur imperitorū mētes. Certè qui populis suis legem condiderunt, multa apologis simillima posteris reliquerūt. Quid enim illa Lycurgi scena? nónne apologum repræsentabat, cū exemplo duorum catulorum, doceret naturam, & ingenitam uim institutione ac assuetudine uinci? Nō libet hîc peregrinas leges, peregrina instituta recēsere, cùm in sacris literis tā multum extet apologorum, ut satis appareat, ipsum cœlestem illum ita iudicasse efficacissimū hoc orationis ge-

Legislatorum Apologi.

Scripturæ sacræ.

nus, ad flectendos hominum animos esse. Quæso te, quæ potest laus amplior contingere apologis, quàm quod eos cœleste numen etiã approbatum dudum opinor, puerilium uos nugarũ pertæsos? Et ego partes meas esse sentio, ne diutius uos quo obtundant: Quanquam mihi quidem adeo ridet argumentum, ut nulla unquam oratione arbitrer satis laudari posse. Quod est enim dicendi genus, in quo perinde cum summa utilitate, summa gratia coniuncta est? Verè nimirum dixit Horatius: Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci. Quæ enim oratio, mores, studia, ingenia hominum propius expressit, quàm apologi? idq; tanta cum gratia, ut nullis epodis incantari citius hominum mẽtes possint, quam cupiant apologi. Proinde æquales meos adhortor, si qua orationis meæ est autoritas, ut ad discendos apologos se toto pectore conferant. Sunt qui nescio quibus obscuris autoribus tractandis ingenia atterunt, & magno labore desipere discunt. At apologi fœliciß:mè excitant, exhilarant, & erudiunt pueriles mentes. Ad hæc cum extent Latinè, orationem etiam uelut molliore quodam succo alunt. Adeo siue moribus formandis præcepta quæris, siue recte loquendi exemplum, nulli commentarij præstiterint utrumq;, quàm apologi, fœlicius. Dixi.

Oratio

ORATIO CONTRA AFFECTA= tionem nouitatis in ueſtitu.

TAmetſi non dubiũ eſt mihi, Auditores cãdidiſſimi, quin ualde uobis mirum uidea= tur, quòd hanc cathedram doctiſſimorum hominũ con ſcendere, tantamq; prouin= ciam, ac onus ſuſcipere au= ſus ſum: tamen, cum ſcholæ noſtræ morẽ ſciatis, non dubito, quin quæ ueſtra hactenus erga omnes, qui in hunc locum dicturi prodierunt, fuit huma nitas ac beneuolẽtia, me quoq; benignè, placideq; audituri ſitis. Ego uerò non de bello Troiano, aut huiuſmodi peruulgata fabula dicturus prodij: Sed cum nulla uirtus perinde adoleſcentes deceat, atq; modeſtia, cœpi conſilium de quadam eius uirtutis parte dicendi. Idq; argumentum eo ſuſcepi liben= tius, ut ſi nõ hic propter eloquentiam laudem me rerer, tamen mihi interea canerem, ſicut ille Cy= tharœdus dixit, meq; ad eius uirtutis ſtudium ex citarem. Inſtitui autem orationem contra adfecta tionem nouitatis, & aliarum ineptiarum in ueſti tu, quod uitium cum ſit opinione nocentius, ta= men adeo uulgare eſt, adeo cœpit iuuentutis ani= mos, ut nullis neq; legibus eorum, qui Reſpub.

Nocentiſsimũ malum ueſti= tus ineptiæ.

gubernant, nec doctorum sermonibus corrigi possit. Quoties enim his nostris temporibus debuere leges scriptæ sunt? Quàm multi graues uiri quotidie hac de re queruntur? Sed tanta malitia est, ut reprimi aut sanari non possit. Quotidie uæ formæ excogitantur: nunc placet Gallicus, leus, nunc Hispanicus cucullus. Alij Sarmaticis brachijs delectãtur, et hæc ipsa quàm uariè deformant? Integra uestis parum digna uiro esse cre tur, sed lacerata, & mille uariata coloribus, qu lẽ olim scurrarũ fuisse uestitũ picturæ uetere stẽdunt, ea demum plurimùm habet admiration atq; hæc singuli quotidie mutãt. Nullus Prote tã uarias induit figuras, quàm nostri iuuenes, bínde habitũ mutantes, nõ aliter atq; in scena qui plures personas sustinẽt. Quanquã igitur uitiũ usq; adeo receptũ sit: ut nõ adolescentis tione, in qua nihil esse autoritatis potest, non qua mediocri eloquentia tolli possit, tamen lib in argumẽto honesto ingenij uires experiri. Q so autem uos, ut pro uestro more benignè me tienterq; de honestissima causa dicentem audi Id si nulla alia res, tamen ætas mea à uobis im trare debebat, quæ propter imbecillitatem n terit susceptum onus perferre, nisi singulari u re uestro animum meum confirmaueritis.

Est autem cùm per sese turpissima nouitatis in uestitu adfectatio, tum hoc etiam nomine magis fugienda, quia multas ex se alias pestes gignit, & pleraq; animi uitia prodit atq; alit. Nec procul nobis argumēta sentētiæ nostræ petenda sunt. Etenim cũ nuper hic de conseruandis ueteribus moribus quidam ex nostro sodalitio grauissime dixerit, spero me facilius hanc causam de usitato uestitu retinendo uobis probaturum esse. Etenim ut in alijs publicis institutis odiosa est nouitatis adfectatio, ita etiã in uestitu merito improbari debet.

Venenum Reꝛump. legum morumq; mutatio.

Semper autem sapientissimi homines senserunt ueteres mores, ueteraq; instituta ciuitatum ac populorum summa cura cõseruari debere, quod nulla res perinde lædat publicam tranquillitatem, atque crebra legum morumq; mutatio, nõ aliter atque corporis humani ualetudinẽ ratio uictus sæpe mutata labefactare solet. Eius mali ut uetera omittamus, nostra ætas miserabile exemplũ uidit. Postquã enim pauci tãtum ritus Eccleſiastici, quia nescio quomodo degenerasse dicebantur, abrogati sunt, incredibilis omnis diuini atq; humani iuris contemptus secutus est. Et nõ modò disciplina in ciuitatibus regendis, et Magistratuũ authoritas periclitari cœpit, sed religiones uniuersas, fidẽ, iusiurandum, et omnia uincula societatis hu-

humanæ laxata esse uulgus existimat. Indecum quotidie maximi motus in ciuitatibus exist tum uidistis ante biennium luctuosum inter ues nostros bellum in uniuersa Germania exc se. Nullum igitur uenenum nocentius Reipú xistimemus, quàm receptorum morum mu onem, quæ in uulgo licentiam, audaciam, cont ptum Imperij, deniq; nihil non earum pesti quæ ciuitatibus exitio esse solent, parit. Me igitur celebratur uersiculus ille:

Veteres mores cur optimi.

Moribus antiquis res stat Romana uirisq Adhæc cũ ueteres Dijs proximos esse creda nõ dubium est uetustißimos mores optimos e quos illi scilicet maiores nostri ciuitatum cõdi res à Dijs ipsis didicisse uidentur. Proinde seri non sunt, qui honesta maiorũ instituta fastidiu qui ueterẽ disciplinã soluunt, qui nunc hos, nu illos mores in patriã accersunt, qui scribunt ob lentq; leges ut libitum est. Et constat olim in b buspub. clarißimos ciues acerrimè uetera instit ta defendisse. Nã ut alia maiora omittam: Ro

Sumptuariæ leges Romanorum.

quoties sumptuariæ leges perlatæ sunt, ut ma rum more uestiret ciuitas? Cato quanta cõten ne legem Oppiam tuetur apud Liuium, qua m dum sumptibus mulierũ præscribebat? Augu cũ uideret Romanos peregrino uestitu delect

sen

sentiens quantum in ea re mali inesset, longa oratione ciues obiurgauit, et ad togæ usum reuocauit, illum etiam Vergilij uersiculum citans:

Romanos rerum dominos gentemq; togatam.

Turpe exemplis nihil commoueri.

Si nulla ratio esset alia improbādi hæc uestitus uitia, tamē erat honestum nobis exempla magnorū hominū sequi, à quibus dissentire, quid aliud quā insania est? Et quod Cato, quod Augustus senserunt, probari omnibus bonis uiris existimemus, quorū iudicia nihil morari summa impudētia est.

Sed dicat aliquis, nō magnopere, uel ad priuatos mores, uel ad Rempub. pertinere has ineptias uestitus, meq; atroci oratione exagitare rem non perinde uitiosam. Ego uerò utinā dicendo magnitudinē rei æquare possem: tātum enim turpitudinis hac in re est, ut nulla mediocris eloquētia ad eam explicandā satis sit. Etenim cum non minus uestis, quàm oratio animi character atq; imago sit, quid dubitemus illos, qui tantopere monstrosa uestē delectantur, animos etiā monstrosos habere? Incedit aliquis pileo tectus Hispanico, eoq; uariè picto: Thorax deinde Gallicus est, cuius manicæ adeo non respōdent ad brachij modum, ut laxissimæ sint, qua parte brachium gracilius est. Et cū uestis naturam imitari debeat, istis planè diuersum placet. Quid amplius? plebeius uestitus est,

Vt uestis sit animus.

nisi

nisi distinctus sit uarijs coloribus uelut pauo: ad hæc cõsciſſum esse oportet, tanquã mendici pallium, id demum regum est. Venio ad pallium. Pallorum ac tunicarum tã multæ, tamq; uariæ formæ sunt, ut totus hic dies ad recensendum non sufficiat futurus, si singulas enumerare uelim.

Fabula de Germanis.

Atq; hîc uenit in mentem mihi fabulæ cuiusdam Germanicæ. Audisse enim uos de patribus uestris opinor, regem Turcarum iussisse sibi omnium gentium habitus pingi. Cum itaq; pictor plurimarum gentium uestitum depinxisset, tandem pingit nudum hominem, et iuxta uarios pãnos. Postremo ex fex à rege iussus interpretari picturam, cum exposuisset cætera, dixit nudum illum Germanum esse, cui certa forma uestitus pingi nõ posit, quia quotidie nouã excogitet. Doleo unã hanc nationem, quæ grauitatis atq; cõstantiæ laudem alioqui sibi uendicat, hac parte leuitatis insimulari posse. Cogit enim res ipsa fateri, apud nos incredibilem uarietatem uestitus esse. Quid de calceis dicam? Calceãt rostrati, nunc fiunt trianguli figura, ceu dentoton. Quid aliud quàm monstrum putandus est qui in tã dissimili habitu, tamq; uariè incedens se circumspectat, et tanquã Iunonis auis, admiratur? quem profecto, nisi admirationem cõsuetudo malum nobis exemisset, monstrum aliquod tra-

Calcei.

mari

marinũ citius quàm hominẽ esse multi crederẽt.

Sed si sapientißimis hominibus, imò si sacris literis creditis, talem habitum non obscurã quandam animi picturam esse iudicare debetis. Scriptum est enim in Ecclesiastico: Amictus, risus & incessus, prodeunt hominis ingenium. Similis in animo inconstantia, similis cupiditatum uarietas, qualem in uestitu cernis: deniq; legum & morum patriæ fastidium simile in animo hæret. Quod si res nihil præterea turpitudinis haberet, tamen hoc reprehendendum erat, tantam esse ingratitudinem erga patriam, quæ genuit, quæ educauit, quæ optimis legibus uitam defendit, ut nihil nunc nisi peregrinum placeat. Quid enim unicuiq; charius, iucundius patria esse debet? Nunc autem cum hæc nouitas mores etiam infamet, quis non existimet procul fugiendum esse? Nonne apud Virgilium cum molliciem obiecit Troianis Turnus, à ueste coniecturam facit? ait enim: Picturæ animi habitus.

Et tunicæ manicas et habent redimicula mitræ.

Animaduerterunt enim docti uiri sermonẽ, habitum, incessum, et alios corporis motus, tanquam actionem esse animi, in qua uelut in speculo cuiusque natura cerni potest. Quemadmodum enim in equis et leonibus animorũ motus, cauda atq; aures indicant, ita adfectus hominum, non tantum

sermo,

sermo, sed uestitus, qui quasi tacitus quidã animi sermo est, declarat. Itaq; nõ temerè à Grecis in prouerbio dictum est illud: Vestis uirũ facit. Ve enim honestus habitus dignitatẽ homini cõciliat, & quandam cõmendationem morum adfert: Il mõstrosa uestis abhorrensq; ab approbatione culorum, iudicioq; bonorum uirorũ officit exis mationi. Quid enim aliud quàm monstrosam mẽ tẽ ista dissimilitudo uestitus, partim Gallos, par tim Hispanos, partim Sarmatas imitantis signi cet? Quæ cõstantia potest existere in horũ mẽti bus, qui toties sui dissimiles facti prodeũt? Socra tes calceis Sicyonijs cõtra suã consuetudinem u noluit, tametsi ipsius confessione apti erant pe bus. Nec ille morosus in re parua uideri debe pars quædã grauitatis atq; constantiæ fuit, ne qu dem in paruis rebus sui dissimilem esse. Proind et Homerus inquit, honestũ habitum ad existim tionem augendã conducere, nostis enim uersu

Vestis uirum facit.

Socrates.

Namq; uiro uestis magnũ decus addit honest Neq; id ad uestis precium pertinet: nõ enim gem mæ, aut aurũ, aut purpura, quarum rerum usu in ciuitatibus bene cõstitutis, etiam interdictum e honestis hominibus, magnopere ornãt uiros, sed quia pro ingenijs ac moribus uestitum ferè qu que sumit, magnam cõmendationem habet bon

siue bo

stus habitus, quod eò boni uiri delectari iudicentur. Quisquis igitur honestam existimationem apud bonos uiros colligere studet, is ad illorum iudicia, ut reliquæ uitæ instituendæ consilia, ita etiam uestitum accommodet. Vt enim nostris temporibus Principum familiæ ex forma uestitus discernuntur, ita adolescentium mores, boni uiri ex habitu dijudicant. Nullum autem patrimonium, nullas opes hæc ætas pluris facere quàm existimationem debet. Hanc magna ex parte consequi poterit hac diligentia, si sequatur illorum iudicia in uestitu. Si qui uerò ita depuduerunt, ut existimationis nullam rationem habeant, ut bonorum de se iudicia nihil morentur, hos non tam homines esse, quàm humana specie beluinos animos gerere existimare debemus. Nostra oratio ad sanabilia ingnia pertinet, alios publicis pœnis ad sanitatem reuocare, & cohercere oportuit. Existimationis ratio habenda.

Hactenus dixi uestitus ineptias quasdam animi esse corrupti notas. Sed ut nemo uolens stygmata, quæ deprehensis in aliquo flagitio inuri solent, quantumuis innocens sibi accersit, ita has notas turpitudinis uitandas esse, ne famæ noceant, censeo. Sed hæ ineptiæ non tantum nocent existimationi, aliud maius malum secum trahunt: nam inter corruptelas Rerumpublicarum meritò ad-

Quæ uitia gignat nouitas uestitus,

sectatio, siue nouitatis, siue peregrinitatis in uestitu numerari debet. Hac de re dum dico, quæso diligenter attendite. Intelligetis enim multa ingentia uitia ab his principijs oriri: ut enim usure per gradus crescunt, ita à paruis principijs paulatim audacia robur colligit, donec penitus ex animis pudorem, omnis q; diuini atq; humani iuris metum eijciat. Nemo, inquit Poëta, repente fit turpissimus, per gradus labuntur mores in deterius.

Nec libet in re manifesta exempla colligere. Sed quoniã inter adolescẽtes studiosos doctrinæ Christianæ dicimus, recitabo uobis unũ quoddã exemplũ, quod in libris cõfessionum scripsit Augustinus de matre. Hãc in pueritia inquit, mira diligentia ad sobrietatẽ à nutrice adsuefactã esse, neq; enim licuit ei, ne aquã quidem, nisi in iusta cœna, aut ieiuno prãdio, bibere. Nutrix interrogata quo cõsilio puellis etiã aquæ potu interdiceret, respõdit: Sitim ea ætate perferre discant, postea matronas factas, cum uini copia fit, simili intemperantia in uino se ingurgitare, qua nunc aquã bibãt. Est igitur prudẽtia nõ exigua, femina uitiorum præuidere ac in tẽpore tollere. Vt enim in morbis corporum medicãdis ferum est, tum demũ quærere remedia, cum morbus ad summum peruenit: Ita frustra adhibetur medicina uitijs, postquam adoleuerunt.

Educatio matris Augustini.

Qui

Quæ igitur uitia gignit nouitas ueſtitus? Cùm alia multa, tum hoc omnium perniciosiſſimum, quod adoleſcentium animos adſuefacit ad contemptum legum. Nam cùm in paruis rebus, primum à conſuetudine bonorum, & publicis inſtitutis diſceſſerint, paulatim ita confirmatur audacia, ut etiam in maioribus rebus nõ modò bonorũ uirorũ iudicia, ſed omnes leges cõtemnant. Et is qui nunc uidetur ludere, dum has ineptias in ueſtitu amat, paulò pòſt omnibus legibus, omnibus Magiſtratibus audebit oppedere. Tantam ruinam ædit res, quæ quidem in ſpeciem parua uideri poteſt: uerum exemplum latiſsimè patet. Nam cùm ſemel legum repagula effregerint, nihilo deinceps firmiores omnes leges, quàm aranearum telas eſſe exiſtimabunt. Et ut ſcitis ἀρχὴ ἥμισυ παντὸς. Quod quanquam in priuatis moribus uidere poſſumus, tamen in ciuitatum inclinatione clarius perſpici poteſt. Quæ enim ciuitas nõ ita collapſa eſt? quia cùm primùm diſciplinã in paruis rebus neglexiſſet, aluit petulantiã uulgi, adeò ut poſtea in maximis etiam rebus imperium detrectarit. Conremptus legum.

Præterea cũ ueſtis imitetur animi adfectus, ut ſupra dixi, fit, ut illis ipſis cupiditatibus incluſis in animo, quas premi & coherceri oportebat, frenũ laxetur. Sunt qui propter feritatẽ animi, habitu Feritas & mollities.

delectantur, qui terrorem intuentibus incutiat:
In his quoniam sibi indulgent, crescit feritas. Sunt
qui propter molliciem animi ornent se propemo-
dum mulierum more, quos effœminatiores nostri
reddit: Vt enim febris alitur, si quis ei moremge-
rat, & bibat quidquid uitiata natura expetit, ita
morbi animi crescunt, si quis eis indulgeat, nec re-
media opponat. Sed omnium maximè nocentium
commune hi, qui gentis alicuius externæ uestitum
amant. Vt enim amatores amasiarum colorem
imitantur: ita isti se eius gentis mores, luxum, ac
alia uitia amare, & patrios ritus ac leges con-
temnere, hac uestitus imitatione significant. Qui
Principes primùm Romam aduexerunt Diadema-
ta, et pleraſq; peregrinas uestes? nónne illi qui an-
teribus legibus deletis, in urbem obscœna sacra
exterorum, ut bacchanalia, præterea exemplo pes-
dissima peregrinæ luxuriæ adferebant.

Peregrinæ luxuriæ approbatio.

Hostes Patriæ

Videmus hoc tempore quosdam Turcico habitu
delectari, non credo ob aliam causam, nisi quia no-
stræ religionis, & legum nostrarum sacietas eos
cœpit, quos quoniam externa imperia expetere,
mores religionesq; amare apparet, non dubito
eos hostes patriæ appellare. Non enim tantum il-
li, qui foris arma gerunt aduersus patriam, hostes
putandi sunt, sed multò magis isti, qui disciplinam
ciuilem

ciuilem, qui maiorum instituta nihil ad se pertinere arbitrantur, alios mores foris accersunt.

Lacedemonij hospitem Milesium cum alijs delicijs adfluentem, tum in uestitu sumptuosiorem quàm pro Spartana cõsuetudine, iusserũt ciuitate exeedere, ac domi milesia exercere. Hæc illi in hospitem constituerunt, quantò minus ciuibus permitti debebat, exempla bonis ac ueteribus moribus offectura, in patriam inuehere? Neq; enim abit hoc sine publicorum morum corruptione, quia ut est uulgus natura φιλόκαινον, statim has nugas imitatur, & legum metu paulatim deposito, amorem externorum uitiorum induit. Estq; in maximarum ciuitatum interitu uidere, ab his principijs cætera uitia orta esse. Iure igitur in autores talium exemplorum, tanquam in hostes patriæ, seuerissimæ pœnæ constitui debebant.

Lacedemonij eiiciunt Milesium hospitem.

Tunc bellum parari aduersus patriam, tunc obsideri eam non foris, sed intra mœnia putetis, cùm patrius uestitus exuitur. Hos cum peregrinis clandestina fœdera feciſſe, & cum legibus in perniciem patriæ conspirare arbitremini, quos externorum, atq; hostium mores magis quàm patrij delectant. Non enim hic cultus aliò spectat, nisi eò, ut domestica ac publica disciplina corrupta, trahat omnium ciuium animos ad externa imperia, pe-

regrinas religiones, & omnia turpitudinis genera recipienda. Sed cùm hæc nouitas omnibus hominibus turpissima sit, tũ in primis abesse à Christianorum moribus debebat, quos in omnibus potibus præcipuam grauitatem præ se ferre decet.

Leuiores gentibus sumus.

At hoc accipimus, Turcas, et plerosq; barbaros religiose patrium morẽ in uestitu retinere. Cum autem Christianæ literæ singularem nobis modestiam, ac uerecundiã, & morum constantiam præcipiãt, turpe est hac parte leuiores nos perhiberi ijs gentibus, quæ Christiana præcepta ignorant.

Dauid.

Videte quæso Dauidem, quàm diligenter putauerit in huiusmodi, quanquàm paruis rebus, decorum seruandum esse. Is enim cum legatis suæ gentis à uicino quodam Rege uestes per contumeliam decurtatæ essent, ac barba contra morem rasa esset, iussit ut extremo regni oppido se tenerent, nec prodirent in publicum, donec barba creuisset. Quid aliud sensisse sanctissimum Regem credimus, quàm ad officinm boni uiri pertinere hanc quoq; diligentiam cautionemq;, ne genere uestitus, aut similibus rebus, cuiusquam oculos offendat.

Scholastici militares.

At hanc diligentiam maximè nos scholastici præstare oportuit. Sed ò Deum immortalem, qui ordo, quod genus est hominum, qui hanc inepti magis amant quàm scholastici? Militaris p

roſq; habitus delectat, quem non uno modo deſormat, ſed quantum quiſq; poteſt, monſtroſum facit. Ac tum demum ſibi fortes uiri, tum ſatrapæ, deniq; planè beati uidentur, cùm maximè nouum habitum, maximeq; abhorrentem ab oculis bonorum uirorum excogitarunt: Quaſdam formas, quia non poſſum uerecundè nominare, prætermitto. Eſſet enim optandum, ut abderent ac tegerent diligentius eas partes, quas natura ipſa abdidit, ne in promptu poſitæ, ambitioſe ſe oſtenderent. Non neglexerunt hanc partem ſapientiſſimi legum latores in Græcis ciuitatibus. Scribit enim Xenophon in inſtitutis Lacedæmoniorũ, Licurgum præcepiſſe, ut pueri in publico, manus intra ueſtes cõtinerent, ut taciti incederẽt, ne circumſpectarent, nec deijcerent oculos ab his, quæ ante pedes eſſent. Et quidem hæc magnarum uirtutũ tyrocinia quædã eſſe exiſtimãt: Ait enim Xenophõ ideò hæc inſtituta eſſe, ut ad uerecundiam, pudorẽ ac modeſtiam à prima ſtatim pueritia adſuefierẽt. Quãto magis nos, qui in ſcholas miſſi ſumus, ut nõ modò literas perciperemus, ſed ut ad omnia honeſta officia inſtitueremur, hæc incunabula modeſtiæ, in ueſtitu atq; inceſſu ſeruare oportuit?

Verecundia gentium.

Verùm quid hoc mõſtri eſt, aliud oratio ſcholaſticorum diſputantium, de honeſtis officijs, aliud

uestis loquitur, quæ summã impudentiam præ se
fert. Planeq; miror quid illis in mentẽ ueniat, cum
cogitãt quantum à se ipsi dissentiant, quã non ue-
niat ad orationẽ suam, ad studia, hic habitus? si
in scena prodiret cũ habitu scurræ Agamemnonis,
nemo non uociferaretur illum Histrionem diuer-
ri oblitum esse, nescire scenæ, quod aiunt, seruire.
Tã morose iudicamus in ludis. Quid putatis gra-
ues uiros iudicare in seriis rebus, quantum hi in
scenæ nos seruire uelint, in quã, quia ludum hanc
esse, nõ modo literarum, sed omnium uirtutum per-
cipiendarum arbitrantur, ideo deducti sumus, ut
hinc optima disciplina adsuefacti, bonos mores
ad Rempub. afferamus. Sed quales mores adfe-
illi ad Respu, qui tanquã in impudẽtiæ ludo ver-
ti essent, iudicia bonorum uirorum contemnere
consueuerunt, qui pudorem & uerecundiam pe-
tus ex animis eiecerunt, qui legum metu depos-
licere sibi quidquid libet existimant? Multa enim
ut dixi, uitia alit illa ineptiarum adfectatio.

Agamemnon in habitu scurræ.

Quam spem de se præbere bonis uiris potest
qui in prima pueritia legibus se coherceri a
gubernari non est passus, sed qui tanquam Ty-
nidem teneret, suo arbitrio uestire, suo more
re uoluit? Nemo profecto illum in ulla uitæ pa-
moderatum, aut legum metuentem fore cre-

Et hac impudentia plerique sunt, qui ex scholis postea, non tantum ambiunt administrationem ciuitatum, sed multo honestiorem prouinciam docendæ religionis, ad quam adferre singularem modestiam oportebat.

Audiui in terra Sueuica Principem fuisse summa prudẽtia ac pietate prædituꝫ Eberardum Barbatum, sic enim uocant: Ad hunc aiunt ueniisse iuuenem quendam petentem sacerdotium, fortè huic uentus aperuit uestem, ut uideret Princeps scissas militari more caligas. Id nunc nemo tegere studet, tanta est impudentia, in illo casus retexerat: Ibi Princeps, ut erat acerrimus exactor, cuiusq; disciplinæ morum, ita cõmotus est, ut quanquã loquì latinè nõ soleret, tamẽ ira ei hæc uerba expresserit: Vade ira. Sic illum, quia ei succensebat, è conspectu suo abire iussit. Ac tantum abfuit, ut sacerdotium conferret, ut etiam uehemẽter obiurgatum dimiserit, quod in Principis cõspectum uenire cũ scurræ habitu, quod ambire sacerdotiũ ausus esset, cũ hac significatione impudentiæ, ac leuitatis, à qua lõgissimè abesse sacerdotes decet. Eberardus Barbatus.

O censuram dignam laude, dignamq; memoria uestra cõmilitiones. Merito enim tanti uiri, cui fama est in hoc toto Germaniæ Imperio, summã sapiẽtiæ laudem tributã esse, commoueri iudi

cio debemus. Huic enim omnes populi cum omnes ordines, in concilijs populorum Germaniæ in maximis rebus sæpe adsensi sint, adsentiamur et nos hac parte, & statuamus id quod res est, nullam ordini hominum has ineptias, sed maximè omnibus indecoras esse. Neq; uerò sic ille sensit, sed nunc sentiunt idem omnes boni uiri, & omnium honestorum hominum hac de re calculi consentiunt. Quis enim uestrum, qui modo liberaliter institutus est, qui nisi sit impudentissimus, audeat conspectum sui patris cum inusitata uestitu uenire? Quod cum ita sit, putate hæc uitia in communi odio bonorum uirorum omnium esse.

Voluntas patrum pro legibus habenda.

Quanquã autem meritò pro legibus haberi beat, quidquid omnes boni uiri sentiũt, tamen si nus apud uos alienorum authoritas ualet, quanto apud unumquemq; sui patris autoritas, quam pietas quædam maximam & grauissimá dominam Quare si parentum animi ab his ineptijs in tu abhorrent, abhorrent autẽ haud dubiè, debetatẽ illorum pro lege habeamus. Neq; enim mare debemus has tantum leges esse, quæ publicis libris scriptæ. Hæc lex non in æs nõ tabulis lapideis insculpta est, sed in animistris scripta diuinitus, ut parentum iussa noris faciamus, quàm illa prætorum edicta

tamen extãt etiã Magiſtratuum leges hac de re: extant & præter hominum doctorum præcepta, in ſacris literis grauiſſimæ admonitiones, ut ambulemus coràm hominibus εὐσχημόνως, hoc eſt, ne quid inceſſu, ſermone, geſtu indecorum admittamus. Et Paulus iubet fugere iuueniles cupiditates, ſignificans, ut docti homines interpretantur, delicias illas in ueſtitu, aut in reliqua corporis actione. Quid eſt autẽ, ſi non eſt inſania, neq; bonorum uirorum iudicijs, neq; parẽtum, neq; legum, neq; ſacrarum literarum authoritate permoueri? Neq; leue peccatum ſit oportet, quod tãto cõſenſu honeſti homines uniuerſi dãnant, ſed uident illi quantam ruinam trahant hæc initia, cum in paruis rebus diſceſſum eſt à maiorũ inſtitutis, perſpiciuntq; quæ diſciplinæ perturbatio ſequatur.

Hæc argumenta uos commoneant optimi Comilitiones, ut longũ ualere dicatis illis in ueſtitu ineptijs, ſemperq; ueniat in mentem, illas non minus eſſe turpes notas, quàm ſtigmata, quæ damnatis rerum capitalium inuruntur, ueſtis enim uirũ facit: Quare ſi ſint indecora, nocet exiſtimationi, non aliter atq; illæ, uc uocant, Thraciæ notæ. Porrò talibus ſtigmatis delectari, ea uero inaudita amẽtia eſt. Ad hæc dum his cupiditatibus, ut uidẽtur, leuioribus nimiũ indulgetis, interea multa

Stigmata ineptiæ ueſtitus.

alia

alia uitia uires accipiunt, legum contemptus, a
dacia, adiunguntur corrupta ſodalitia, bonæ
ſtudia omnia deſeruntur, ſuccedit ocium, ill
luptates inuitat. Atq; harum rerum qui fier
tus, quæ καταϛροφὴ, ſæpe uidemus. Nõ igitur
hil periculi eſt, ut quidã exiſtimant, ignoſcen
in his nugis, ut uocant: Nimis quàm uerũ eſt
nugas ſeria ducere. Vetus eſt uerſiculus, ma
teneri non poſſe, ſi parua negligentur
ἐι μὴ φυλάσσοις μικρὰ ἀπολεῖς τὰ μείζονα.
Idem hic fieri uidemus: Nã quiparum firmi
aduerſus has leuiores cupiditates, hos citius
nione alia maxima mala oppriment. In
autem nos qui Chriſto nomen dedimus, uera
am ac modeſtiã in omnibus uitæ partibus
decet, & quia ea uirtus Deo inprimis pla
cet, & ut bonis exemplis aliorum mo
res meliores reddamus. Dixi.

ORATIO CVIVSDAM STVDI
ſi de capta & direpta urbe Roma,
Anno 1527.

TSi intelligebam eos qui hos
pro more ſcholæ fictas fabu
gunt, multò minus oneris ſu
re

re, quàm qui ueras causas tractãdas suscipiunt, tamen me, nõ fiducia ingenij, quod sentio, quàm sit exiguũ, sed magnitudo doloris perpulit, ut hunc in locum nõ fictum argumentum ex ueteri aliqua tragœdia, sed historiam adferrem nimis quàm uera. Sum enim dicturus de crudelissima urbis Romæ direptione, et deploraturus indignissimum casum ciuitatis, omnium regnæ atq; dominæ. Etenim cum nemo tã ferus sit, tamq; prorsus ab hominis sensu alienus, qui non acerbissimè ferat indignam patriæ, quæ genuit, quæq; educauit, fortunã, quo tandem animo nos accipere urbis Romæ interitum atq; excidium decet, cum ea urbs una in terris fuerit omniũ gentium cõmunis patria? Ego profecto non minus illius calamitate cõmoueor, quàm eius ipsius oppidi, quo me primum nascentem excepit, aduersis rebus perturbarer. Cum igitur esset hoc in loco mihi pro more dicendum, non potui, cum esset animus dolore occupatus, alia de re orationem instituere. Vbi dolet, inquiunt, ibi manum habet: Quare cum assiduo uersaretur ob oculos eius urbis direptio atq; incendium, quæ nobis leges, quæ religiones, quæ omnes honestas disciplinas tradidit, deniq; à qua plura beneficia, quàm ab ipsa patria, in qua quisque genitus est, omnes accepimus, coëgit me magnitudo

Direptio urbis Romæ.

Romana beneficia.

gnitudo doloris, de fortuna urbis, deq; miserrimis temporibus queri, præsertim in hoc cœtu, apud homines doctissimos, qui intelligunt quãtum huic urbi, ex qua literæ, & humanitas huc importata est, omnes gentes debeant. Quod autem de capta Troia Vergilius præfatur:

Quis cladem illius noctis, quis funera fando
Explicet, aut possit lachrymis æquare labores?

Ego multò iustius usurpem: Nulla est enim tanta eloquentia, quæ atrocitatem huius rei pro merito exponere possit, quæue explicare queat, quantam ruinam omnium optimarum rerum, huius nostræ urbis euersio, secum trahat. Quid ullo seculo accidit indignius, quàm quod ille ipse exercitus, qui à Cæsare in Italia, ad salutem omnium bonorum, ad custodiendam urbem, Imperij arcem, collocatus erat, illi ipsi urbi nefariam uim, cõtra optimi Principis Caroli uoluntatem, cõtra disciplinæ militaris leges, contra auspicia, contra maiorum exemplа, intulit. Est enim liberandus culpa Cæsar, qui etiamsi iustis de causis Romano Pontifici irascitur, tamen hoc exitu uictoriæ minimè delectatur. Neque enim obscurum est, cum natura ad clementiam moderationemq; duci, & à crudelitate abhorrere. Et cũ maiores suos nomẽ ac titulum Imperij in hanc nationẽ à seruati-

Exercitus Cæsaris indignitas.

Carolus V.

urbe Roma intulisse uideat, dubitari non debet, quin in illorum intuens exempla, intelligat omnes imperij opes ac uires ad huius urbis salutem defensionemq; maximè conuertendas esse, & ab illa uim atq; uastitatem depellendã. Quàm multos numerare potest, cum imagines auitas aspexerit, qui turbulentissimis tempestatibus urbem Romam maximis terroribus liberauerint, qui quanquam periculosissimis bellis domi impliciti, tamen uelut ad patriam defendendam huc summa uirtute accurrerint, quia in huius unius urbis periculo periclitari omnium gentium salutem existimabant. Huc adde, quod nullius Regiæ familiæ, si quis omnes numeret, plura clementer aut piè facta recenseri possunt, quàm Austriacæ. Et maiorum suorum adeo non dissimilis est Carolus, ut quantum omnes Imperij magnitudine antecedit, tantum etiam uincat clementia. Quod enim in illa historia factum clementius legitur, quàm quod inimicissimum Regem, à quo bellum contra ius gentium motum erat, captum in acie, non modo dimisit incolumem, sed etiam deuinctum affinitate, in regnum restituit? Tantam clementiam ac bonitatem nulla humana uox pro dignitate prædicare atq; ornare potest. Clementia Caroli.

Longè igitur fallitur, si quis in tale ingenium tantam

tantã iracundiam cadere existimat, ut ullas quam uis magnas iniurias hoc modo ulciſci uoluiſſe uideatur. Ille uerò priuatim dolorẽ, uel urbi ipſi, quæ Imperij nomẽ habet, uel tot ſanctiſsimis aris, uel aliarum gentium, quæ ſuas Reſpub. ſine huius urbis cõſilio tenere nõ poſſunt, utilitati condonaſſet, quãuis iratus, ſi licuiſſet ei præſenti, rem ſibi tam minimeq; expectatam regere ac gubernare. Quare Cæſar nullo modo in hac oratione accuſandus eſt, qui exercitum in Italia ad cuſtodiã tranquillitatis publicæ habuit, nõ ad latrocinium exercendum, nõ ad euertendam urbem imperij arcem, nõ ad prophananda templa, nõ ad diripiendas bibliothecas, nõ ad trucidandos ſacerdotes, non ad uirgines et honeſtas matronas rapiendas. Hæc omnia tegi ſuis armis, ſuoq; exercitu Imperator uellet, exercitus, ut ſæpe aliâs accidit, cõtra diſciplinã militarem, cõtra fidem Imperatori datam, auaritia, ad diripiendam urbem opulentiſſimam, quam ſine præſidio eſſe animaduerterat, incitatus, omnia diuina atq; humana iura uiolauit. Hos latrones optimo iure accuſo, qui iniuſſu Imperatoris ſine legitimis ducibus, urbem Romam inuaſerunt. Finge iuſtam cauſam fuiſſe Romæ inuadendæ, tamen ſeditio eſt, ſine legitimo Imperatore impetum in quenquam facere. Quid autem

Exercitus ſæuiens.

contrarium militiæ est, quàm seditio: quia hanc unam ob causam, iure gentium bella geruntur, ut coherceantur hi, qui per seditionem, sine Magistratuum autoritate, arma capiunt. Non igitur milites uocandi sunt, qui iniussu Imperatoris urbem expugnauerunt, sed quoniam ius gentium cõmune uiolarunt, hostes non modò Imperij, sed uniuersæ societatis hominum. Romani aliquot imperatores alij in filios, alij in Principes ciues capitaliter animaduerterunt, quia iniussu Imperatorum, cũ legitimis hostibus prouocati pugnassent, fuitq; tanta disciplina sæueritas, ut hostium locò haberentur, qui præter Imperatoris edictum, gladium strinxissent. Quãtò iustius hostium loco ducendi sunt isti Cares, qui inauditã crudelitatẽ iniussu Imperatoris aduersus inermes exercuerũt? At quã tandem ob causam sæuitum est in urbem? Quia pecuniam non numerauit auaro atq; crudeli exercitui. Quid aliud causæ latro dicat, cur uiatorem occiderit? Olim Gallos propemodum iusta ira pertraxit ad urbem: Nam Legatus Romanus contra ius gentium in acie pugnauerat. Isti latrones nihil causantur aliud, quàm pecuniam nõ essẽ datam, quàm flagitarunt. Nõ igitur tentata urbs est, quia Pontifex esset alieno animo erga Cæsarem, quia Gallis & Venetis esset æquior. Nihil

Militaris disciplina apud Romanos.

Causa urbis tentatæ, auaritia.

in gratiam Caroli susceptum est. Auaritia et amplissimæ prædæ spes, perpulerunt, ut transgressi Apenninum, maximis itineribus summa celeritate confectis ad urbē properarint. Nec dierum duo quot inedia, nec hostis à tergo, & à lateribus remoratus est iter, sic accenderat omnium animos prædæ cupiditas. Hæc si iusta causa oppugnationis uideri potest, non intelligo, cur non omnes latrones excusset prædæ cupiditas. Si hæc iusta belli causa in terris est, nihil obstat iam, quo minus in urbibus unusquisq; inuadat in ædes locupletiorum, siquidem ex præda ius existimandum erit.

Sed nō disputabo subtiliter de causa, nec patrocinabor Pontifici, in quem culpa cōfertur. Nullane igitur in uictoria moderatione utendum fuit? Nullum ne discrimen sacrarū ac prophanarū rerum habendum? Quis tam crudelis unquā uictor fuit, etiam apud Ethnicos, qui non abstineret manus à templis? Augustinus scribit Gotthos, cum cepissent urbem, non modò à Christianorum templis uim abstinuisse, sed etiam his donasse uitam, qui eò profugerāt. Tanta nominis Christiani reuerentia apud barbaros illos fuit, qui doctrinæ cœlestis ignari, nomen tātum Christianorum audierāt. Quis isti sacrilegi quas aras, quod sacellum reliquerunt intactum? Et accepimus non tantum omnia sa-

Gotthi sacris pepercerunt.

sposis

spoliata esse, monumenta sanctorum uirorum pre cioſiora, & theſauros ad publicam utilitatem to tius Italiæ ibi conditos, direptos esse, sed etiam cæ de & alijs sceleribus prophanata esse, decantatæ sunt per ludibrium sacræ cantiones. Ita nulla nõ contumelia affecta est religio Christiana. Quid Turcæ aliud faciunt expugnatis Christianorum urbibus? O ueram uocem Poëtæ, qui dixit:

Nulla fides pietasq; uiris qui castra sequuntur:

Quæ uox si unquam aliâs, nunc maxime usurpa ri potest. Nunquã enim antea captis urbibus per inde polluta sunt ac prophanata omnia sacra. Nũ quam ante in Germanico milite notata est auari tia, nunquã sacrarum ac diuinarum rerum similis contẽptus fuit: Sed cum alijs in rebus cõtinentior ceterarum nationũ militibus hactenus fuit, tum singulari religione uim à sacris rebus abstinuit. Nunc autẽ ô Dij immortales, quàm dissimilis hic exercitus maiorum nostrorum fuit? quàm lõgè de generauit à ueterum modestia? Maiores nostri nĩ hil præter uictoriæ laudẽ cupiebãt domum repor tare. Itaq; nec priuatorum fortunas diripiebant, tantum abest, ut attigerint res sacras. Nec procul exempla continentiæ requirenda sunt. Quis toto Veneto bello à Maximiliani exercitu unum oppidum audiuit direptum esse? Nemo profectò.

Maximilianus in uindicanda auaritia acerrimus.

Et Maximilianus ipſe, cùm eſſet in puniendis delictis leniſſimus, tamen in uindicanda auaricia militum acerrimus fuit. Etenim cùm in eo bello capta Vincentia, quidam in iuſſu ſuo in aliquot ciuium ædes prædandi cauſa impetum feciſſent, ſtatim totam illam cohortem oppreſſit, & plures ducentis ſecuri percuti iuſſit, ut eo exemplo oſtenderet, non omnia uictoribus in uictos licere.

Habes Carole Cæſar auitum exemplum, quid de exercitu iudicare te oporteat, qui auaritia corruptus, omnia diuina atq; humana iura uiolauit.

Hiſpani nouæ diſciplinæ magiſtri.

Et haud ſcio, an noceat noſtris hominibus contagio Hiſpanorum: hos, ut uereor, nouæ diſciplinæ Magiſtros habent. Ab his tanquam laniſtis auaritiam crudelitatemq; diſcunt.

Non minus autem ſacrilegium eſt, bibliothecas quàm phana diripere. Non enim inter ſacras res, aut diuinas recenſenda ſunt aurea uaſa, quibus in cæremonijs noſtris utimur? et nõ recenſendi ſunt libri, qui cœleſtia oracula, qui doctrinã religionis, alias honeſtas artes diuinitus oſtẽſas generi humano, cõtinent? Neq; uerò uſquam bibliothecæ locupletiores ſunt ullæ, quàm fuerunt Romanæ. Huc omnis generis ſcriptores ex toto orbe etrrarum magna cura bonorum Pontificum, conuecti ſunt. Huc nuper adeò, quicquid reliquum fuit litte-

Bibliothecæ Romanæ.

ri

rie suppellectilis in tota Græcia, importatum est. Hæc monumenta cùm æterna esse debuerint, tamen furore militum aliqua ex parte corrupta diuntur. Et haud scio, an impia flamma per urbem uagata, bibliothecas etiam attigerit. O iacturam nullo unquam seculo reparabilem. Quot religionis nostræ interpretes, qui præterea nusquam extant, quot aliarum optimarum artium autores amissos arbitremur? Quis non uehementer doleat tot seculorum labores, tot noctium uigilias à doctis hominibus ad utilitatem posteritatis lucubratas, in hanc fortunam incidisse? Statuas, aut picturas elegantes magnorum uirorum magno cum dolore amittimus, quas uel propter artis bonitatem, uel propter memoriã eorum, quos repræsentabant, si fieri posset, æternas esse optamus.

Quantò magis dolere debemus tot ingeniorum interitum? quæ non modò propter scriptorum pulchritudinem miramur, sed etiam propter utilitatem amamus. Neq; enim retineri Respub. sine honestarum artium cognitione, & sine libris possunt. Cùm igitur arma geri debeant, ad tegendas omnes pacis artes, uidete quantum scelus isti latrones admiserint. Qui quæ armis defendi in primis oportuit, ea noua et inaudita amentia dissiparunt, atq; euerterunt. Hæc cùm in urbibus

bello captis, nõ aliter atq; templa, sacra symbola, aras, boni Imperatores semper conseruari iusserint: isti odio, credo, religionis Christianæ, nõ uerriti sunt impijs manibus lacerare ac perdere. Non est autẽ obscurum, quantum detrimenti acceperit Resp. bibliothecis illis dissipatis, quæ in Ecclesiasticis dissensionibus tanquã oraculum consulisse bãt: ex quibus publici legũ libri, præterea omnis bonarum artium emendabantur. Neq; uerò studia literarum sine literis ac libris emendatis florere possunt. Quæ si extincta fuerint, quæ barbaries, quæ religionum cõfusio, quæ ciuitatum perturbatio apud omnes gentes secutura est? Nõ igitur ad unã urbem hæc calamitas pertinet, sed ad omnes gentes, quæ retinere religiones, ac studia bonarũ artiũ sine Romanis bibliothecis nõ possunt. Neq; uerò impune erit istis latronibus, tot scelerum ac furtorum expugnatione urbis perpetrasse. Videt hæc Deus, inspector atq; arbiter omnium humanorum consiliorum atq; factorum. Hic ulciscetur contumeliam templis, libris & similibus monumentis religionis illatam, non aliter atq; de Rege Assyrio supplicium sumpsit, qui sacra uasa Hierosolymis allata prophanauit. Neq; illa uox Baptistæ cuiusdam, quem Romæ aiunt, & antea ciuilem hanc cladem, & postea uictoribus minatum es-

Danielis Capite V.

Baptista.

sine numine emissa uidetur. Legistis enim, ut opinor, dixisse Baptistam illum, futurum, ut rapta undiq; spolia breui reuomant. Neq; enim diu tolerare Deus sui contemptum, superbiam in rebus secundis, crudelitatem in imbecilliores potest. Nō enim possum hic dicere, qualem carnificinā in tota urbe exercuerint. Nec libet commemorare raptas à complexu parentum uirgines, non abstractas à maritis honestas matronas, non mactatos senes ac sacerdotes. Quāta enim fuerit in urbe licentia audacissimorum hominū, inde æstimari potest, quod duodecim diebus, nullos habuit exercitus militari more, Magistratus. In tot dierum ἀναρχίᾳ, tranquilla alioqui ciuitas, nihil nō mali ex urbana multitudine pertulisset. Quanto atrociora necesse fuit accidere, ab armatis & uictoribus? Est enim uerissimum illud, quod apud Euripidem Rex quispiam dicit: Nullo non incendio sæuiorem ἀναρχίαν exercitus esse. Nusquam audiuimus aut legimus in ulla ciuitate capta, tātam licentiā exercitus uictoris fuisse, ut tot diebus nullis Magistratibus regeretur, aut coherceretur.

ἀναρχία exercitus & licentia.

Accepimus & ante Romam captam esse, primū à Gallis, deinde post multa secula à Gothis. Verum, multò grauius hoc tempore afflicta uidetur. Galli enim tātum in desertas ædes sæuierunt.

Galli.

Ciues partim in Capitolium se receperant, partim Veos profugerant, intenti in occasionem rei bene gerendæ. Non arcem urbs, non Imperium, non Magistratus, non sacra, non cætera ornamenta amisit. Gotthi. Postea Gotthos quanquam ex longinqua obsidione irati uehementius essent, legimus ita moderatos esse in uictoria iram, ut edictum etiam propositum fuerit, ut parceretur his, qui in templa Christianorum confugissent, & ut urbs sine cæde diriperetur. Germani & Hispani. Atqui hoc tempore tantum abfuit, ut à sacris rebus abstinuerint uictores, ut non cupidius aliunde prædati sint. Cædes facta tota urbe miserorum ciuium: Bona ciuitatis per incendio deleta: Studia omnium honestarum rerum quæ ibi floruerunt, armis conterrita, obmutuerunt. Abolita sunt & hæc, quæ si mansissent, instaurare collapsam urbem potuissent, ueteris Magistratus, leges, forma iudiciorum.

Iustius igitur hic dies, qui fuit pridie nonas Maij, eo enim proximo anno urbs capta est, interatros, quàm Allienſis numeretur. Ac uereor ſi rum, ut ad posteros hic dies multo uerius Allienſis uideatur illi urbi fuisse, quàm ullus alius: Nec enim facile se ex tãta calamitate urbs recreauit. Ac uide quantum distet ab exẽplis ueterũ Germanorũ, huius erercitus facinus. Carolus primus d Exempla ueterum Germanorum. pulſi

pulsis ab urbe Longobardis, à uastitate urbem atque Italiam prohibuit. Ottho primus liberauit eam Berengarij Tyrannide. Et ut multa omittam, fortißimus ac sapientißimus Princeps, auus Carole tuus Maximilianus, quanto cõsilio Gallum ducentẽ maximum ac fortißimũ exercitum ad urbẽ, irritatum atq; accensum odio Iulij Pontificis, indeusq; à Rauenna, ubi maxima pugna exercitum Pontificiũ uicerat atq; fugauerat, ad ultimã Galliæ oram, in Belgicum retraxit, ne qua clade urbs ab irato uictore afficeretur. Nunc autem ô temporum labẽ, ille ipse exercitus, quẽ Cæsar uniuersæ Italiæ præsidio esse uoluit, inauditã crudelitatẽ in urbe principe totius Italiæ, imò totius orbis exercuit. Non exempla ueterum Germanorum, nõ dignitas urbis, nõ ingentia beneficia collata in omnes gẽtes, flexerũt eos ad misericordiã. Quis nõ doleat usq; adeo deformatã esse eã urbem, quæ olim rerũ, ut inquit Vergilius, pulcherrima, Princeps Imperij omnium gẽtium fuit, quæ una exempla plura uirtutum protulit, quàm omnes ubiq; aliæ ciuitates: quæ nobis leges, quæ literas, quæ religiones, quæ humanitatem, quæ omnes honestas disciplinas, quæ deniq; omnem bene uiuendi rationem nobis tradidit, ut hanc urbem semper tanquam communem patriam omnium gentium

Roma Princeps Imperii.

homines coluerint. Nónne tot urbis meritis, etiamsi quid peccasset Pontifex, condonari debuit? Nunc Pontificis peccatũ furiosus exercitus parricidio uindicat, dum sceleratas manus ei urbi iniecit, quæ nobis omnibus pro patria esse debet. Longè enim plura beneficia ab ea unusquisq; nostrum accepit, quàm ab eo loco, qui nascentẽ primum excepit. Ad hanc urbem omnes controuersiæ omnium gentium delatæ sunt. Hæc tanquam in excubijs semper fuit ad retinendã religionem. Hoc semper in terris doctißimorum hominum domicilium fuit. Hæc fugientes omnes honestas artes ex Græcia exulãtes excepit. Hic nuper omnes bonæ disciplinæ tanquam renatæ sunt. Hinc in omnes terras propagatæ sunt, nõ aliter atq; semina frugum in totum terrarum orbem, à Triptolemo sparsa sunt. O ingratos homines, qui si hæc beneficia intelligunt, nullam putant se sic merenti ciuitati gratiam debere? O amentes, si nõ intelligunt.

Vrbis uitia odiose colligi.

Nonnulli odiosè colligunt urbis uitia & incommoda, quæ inde ad alias gentes peruenerunt. Sed est astuti hominis, quod dolet meminisse, quod pudet obliuisci. Hoc erat humanius, commoda agnoscere, & tam multis benefactis incommoda condonare. Quæ, qualiacunq; sunt, talibus certe remedijs corrigi non poterunt. Nemo dubitet pri-

ricidij esse reum, qui patri leuiter deliranti oculos effodiat, aut præcidat manus? Quid igitur hoc aliud est, quàm parricidium, tam atroces pœnas de patria propter nescio quæ errata sumere. Itaque miseret me non modò fortunæ urbis, sed etiã aliarum gentium: Magnam enim ruinã bonarum rerum apud omnes nationes, hic urbis casus, ut uereor, trahet, nisi respexerit nos Deus pro sua summa bonitate, et horum malorum, quæ impendent, remedia ostenderet. Vos quoq; existimo cum interitum nobilissimæ urbis, dolere, tum impendentiũ malorum metu, perturbari. Etenim cum coli patriæ honoribus ab omnibus debuerit, tamen à nobis maximè, qui lingua ciuitatis utimur, quiq; plura quàm uulgus, beneficia ab illa accepimus, id fieri debet. Ius nobis cum uulgo cõmune est, studia optimarum artium, non sunt cõmunia, quæ longè antecellunt alijs omnibus humanis rebus. Vos igitur uerè Quirites, quoties tã funestã luctuosamq; patriæ direptionẽ recordamini, expẽdite quæ à uobis officia tali tẽpore requirantur. Bona uulgi pars ridet Sardonum risum in aliena calami ate, et triumphat, quasi re bene gesta, à quorum opinione lõgissimè uos abesse conuenit. Neq; enim intelligunt, quid illi urbi debuerint, aut quid detrimenti ex eius interitu Resp. acceperit. Deinde cum

Roma patriæ honoribus colenda.

eum in hoc misero urbis casu uidentur etiam studia literarum in quoddam discrimen uenisse, uos quod bonos ciues decet, magis in hæc studia incumbite, quæ si conseruauerimus, non desperandum est, quin urbs ipsa rursus in pristinum statum, & dignitatem restitui possit. Dixi.

VITVPERATIO EBRIETATIS scripta à Vito Vuinsemio.

MArcus Cato, *cum aliquando ad plebem Romanam importunius de diuisione frumenti atq; alijs suis commodis tumultuantē, orationem, qua placaret eos, habere instituisset, & parum æquis auribus se à plerisq; audiri animaduerteret, in hunc modum initio dicendi fertur exclamasse: Quàm difficile est, inquiens, ad uentrem uerba facere, qui aures non habet? Sentiebat enim surdo fabulam cantari, si quis, præsertim apud uesanam multitudinem, uentri leges dictaret.*

Venter caret auribus.

Idē ego mihi quoq; accidere uererer, si hæc oratio, quam iussu præceptorum de sobrietate ac temperantia instituí, mihi alicubi in cœtu uulgi, ac

beluonum,

heluonũ, pro nulla re magis quàm pro uentre sol licitorum habenda esset: hi enim ad primã statim mentionem sobrietatis, me risu et clamoribus explo derent, aut indignãtes è medio perturbarent: Nõ enim immitius sæuit ira leænæ, abreptis catulis, quàm furor istorum heluonum, quando uentri suo et gulæ finem modumq; statui audiunt. Quare si in tali theatro perorandum esset, causam mihi hanc relinquendam, & capite obuoluto, qua possem exeundum putarem. Heluonum furor.

Cum uerò in hoc doctißimorum uirorũ et adolescentum consessu, quibus cum honestißimis ingenuarum artium studijs, cum Musis, hoc est, cũ humanitate cõmertium est, quibus plus sanæ mentis inesse, et mores ac sententiæ cum studijs congruere debent, cõtra ebrietatem, qua in hac quidem uita nihil fœdius esse potest, dicendum sit, nihil dubito, quin satis æquos et benignos auditores sim habiturus. Et me cõtumelia uos afficere iudicarẽ, si uelut dubitãs de uestra in hac causa beneuolentia, longa præfatione eam mihi conciliandã putarem. Quapropter hac quidem parte omissa, unum uos precabor, ut si minus quàm pro atrocitate ac fœditate huius flagitij dicã, et propter imbecillitatem oneri succumbam, id pro uestra æquitate ætati meæ, quã grauibus argumentis tractandis,

adhuc

adhuc immaturam esse uidetis, et tenuitati ingenij condonetis. Quod me quidem à uobis nõ difficile impetraturum, spondet summa humanitas uestra mihi non ignota.

Omissa igitur longiore præfatione, ad rem potius ipsam accedamus. De temulẽtia mihi et ebrietate in præsentia oratio erit, adolescentes, de qua ego, sed alio quodã modo dicere possum, quod de uirtute Plato dixit, incredibiles eã amores in animis hominũ, si oculis perspici posset excitaturã. Ita ebrietatẽ, si eius turpitudo, quãta est, à nobis cerneretur, ac si non oculi nostri rem tam fœdam consuetudine quadã, qua nihil in rebus malis nocentius est, propè iã ferre didicissent, haud dubie grauissimum odium sui apud omnes pariturã. Nemo enim est, qui nõ toto corpore atq; animo contrahorresceret, ac uelut abominosum et infaustũ aliquod monstrum pauoret, quoties in ebrij alicuius hominis cõspectum incidisset, si non ueluti morbo quodam oculi nostri hebetati cæcutirent, et mentes ad sensum tantæ fœditatis cõsuetudine ipsa occaluissent. Si enim cum quid in natura rerum à communi lege ac ordine deerratum uidemus, ut horrer atq; ea monstra abominari solemus, utpote cum ex boue bicipites uitulos, ex sue canem editum, aut aliquid inusitatum è terra natum, ut in cor

Ebrietas monstrosa.

in cœlo conſpectum accepimus, non minus certè abominabile & obſcœnum portentum iudicandum eſt, cum homines excellentiſſimam illam naturam, quæ ad gloriam Dei, ad immortalitatem, ad uirtutem atq; temperantiam condita eſt, illa immani heluandi ac perpotandi conſuetudine, ita ex hominibus in feras beſtias transformari uidemus, ut præter oris lineamenta in illis humani nihil amplius agnoſcere poſſis.

At quid de beſtijs dico, quarũ uita utut eſt, multò certè, quàm horum hominum, minus eſt deteſtabilis, utpote quæ naturæ ipſi tamen conformis & cõſentanea eſt. At iſti homines fugere prorſus ſeipſi, et hominẽ ex homine exuentes, naturã humanã odiſſe uidentur, imò uerò cum ea belligrãtur, et expugnata ipſa, aliã, ac nimio plus quàm beluinã induunt, ut recte dictum ſit: Omnem naturam « « quæ à ſua ſpecie degeneret, in multò deteriorem « « abire, quàm ſi eam naturam ingenuiſſet. Et cum horrendum, tum uerò etiam miſerabile eſt, ex omnibus animantibus unum hominem tam longe ab ea excellentia, ad quam diuinitus conditus eſt, degenerare. Quid enim eſſe aut cogitari poteſt, non iam dicam humanitati, ſed ipſi omnino naturæ magis aduerſum, quàm ſuis membris, ualetudini, uitæq; propriæ, ultro & nulla de cauſa uim af-

Miſerabile hominis excellentiã deformari.

uim afferre? Solent hoc nonnunquam facere, quòd mente capti, atq; in furorem, ne seipsos lædãt, uinculis cohercentur. At isti heluones, qui adhuc mitis ac rationis cõpotes, si dijs placet, uideri possũt, si modò sunt, et nõ multò grauiori genere furoris agitãtur, hostilem in modum sibi ipsi manus afferunt, in seipsos sæuientes, infestißimosq; morbos, cruciatus atq; exitium, ultrò ac uolentes uidentesq; sibi accersunt. Idita esse quotidiana exempla nimis multa testantur, et res loquitur ipsa, ut nunquã uerius quàm hoc tempore dici potuerit, plures crapula, quàm gladio occumbere: imò uero plures crapula seipsos crudeliter occidere, quàm ullo alio genere mortis aut casuum humanorum perire. Nã quod hæc sit cõmunis labes ac ruina sanitatis animi pariter ac corporis, quod ad corrumpendum, ad frangendum uigorem omnium membrorum, ad exitium ac mortem nulla magis compendiaria, nec breuior sit uia, nõ longum, neq; difficile erit ostendere.

Ruina sanitatis & salutis.

Quem enim unquã uidistis ebriosum hominem, cui nõ in media iuuenta corpus omni genere morborum confectum, ac debilitatum, sensus omnes labefactati corruptiq; fuissent? Occupat illos senium & occasus uitæ, dum adhuc sunt iuuenes, dumq; quàm maximè uiribus pariter corporis

alij

atq; animi uigere ac ualere debebant. Neq; id mirum, nulla enim pars est corporis, neque animi, quæ non ista immani perpotandi ac heluandi consuetudine grauissime lædatur. Stomachum primùm, et epar, quæq; alia membra nutritioni cæterorum destinata sunt, necesse est, isto poculorum proluuio ita debilitari atq; corrumpi, ut neq; coquendo præparandoq;, nec distribuendo corpori hunc quo uiuimus uigemusq; sanguinem, amplius usui esse possint. Calor naturalis, qui coctionis effector est, quo, ut Cicero testatur, omnia aluntur ac crescunt, et sine quo neq; ali quicquam potest, nec crescere, ita in istis potu atq; ex eo natis uitiosis humoribus obruitur ac demergitur, ut uel nullum eius amplius sit, uel admodum segne in corpore ministerium. Hinc quàm multiplicibus grauibusq; morbis afflictentur isti nepotores, uidemus: neq; enim id rarum est aut obscurum, statim color ipse, quem sanguis prout est, gignere solet, quæ sit ualetudo indicat, is uerò talis est, ut te, eorum quempiam intuens, emortuum cadauer, nõ uiuum corpus putes intueri. Caput illis tremulũ est, incerto motu nutans, uertigine laborãt perpetua, ea prænuncia est apoplexiæ: oculi rubentes, et continuis lachrymis stillantes, oculorum anguli tumẽtes, indicium id est cachexiæ totius corporis,

Morborum ex ebrietate series

ris, qui gradus ad hydropisin proximus est, gene
labentes, & quales tabidis aut senio confectis a
niculis, nasus morphaicus, oris halitus multi
quàm cloacæ grauior, dentes putridi, scabrig
randi difficultas, tussis, ructus, & uomendi expe
endiq; , præsertim horis matutinis, fœda necessi
tas, lingua adhæc titubans etiam sobrijs, uox ra
ca, & obscurus pro sermone stridor, manus in
mulæ, nodosæ, morbo articulari fœdum in modi
distortæ ac fractæ, uenter, quem quis uerius pocu
lorum latrinam dixerit, propendens, morbosis
crura qualia elephantis, tumida, labentia, plena
fœdis ac grauiter olentibus hulceribus, pedes p
dagrosi: podagra enim istorum heluonum assidu
comes est, et pedissequa. Nam bellè cõuenit, quo
Epigrãmaticus Græcus ait, Bacchũ cum Vene
aliquãdo cõcubuisse, & ex eo cõcubitu progna
esse filiam Podagrã. Hæc duo enim quæ per se
sola plurimum nocent, quãdo in unum cõueniunt
tum uerò nihil est magis pestiferum. Fit autẽ plu
runq;, ut homines temulenti ac ebrij, tunc cum
bo potuq; ad summũ distẽti sunt, ad res Veneras
proruant sese. Hinc subitæ mortes atq; intestat
senectus, ut Satyricus ait. Hinc istũ potorũ, por
porcorũ dixerã, gregẽ circũsistit uelut agmine
cto morborũ omne genus, sequiturq; totius cor
rũ

Venter poculorum latrina.

Podagra Bacchi et Veneris filia.

ris & omnium membrorum extrema labes ac deformatio, cerebri tamen præcipuè, ea enim pars cùm temulentiæ uelut sedes sit, ex omnibus grauissimè læditur. Nam cùm stomachus, cuius uirtus et calor, ut diximus, assidua poculorum proluuie extinguitur, incoctos illos crassosq; uapores ad caput & cerebrum exhalat, uenæq; ac meatus ibidē replētur, atq; præcluduntur, necesse est magnā spirituum perturbationem, sensuumq; ac motus totius corporis labefactationem sequi: instrumenta enim sensuum sua potentia, ac uigore destituuntur, spiritus quo omnia in corpore uegetātur ac uiuūt, obstructo per uenas trāsitu nō potest officio suo fungi, hinc pleraq; organa sensuū præmoriuntur. Neruos uerò & ea mēbra, quæ ex his cōstant, ac motui delegata sunt, ea, inquā, omnia fonte ipso ac principio neruorū cerebro læso, et ipsa sua ui destitui, ac debilitari necesse est. Hinc illa capitis crebra nutatio atq; grauedo, qua hoc genus hominū perpetuò laborat. Hinc manuum tremor, hinc omnium articulorū dissolutio, quā paralisin dicunt. Vix manus amplius leuādis, et ad os atq; ad illam poculorum charybdim admouendis calicibus sufficit. Videtis ne quàm tremulo & uacillanti motu combibonibus calicem porrigant, & quantum inter porrigendum uini effundant?

O miseros homines, quibus iam etiam manus ad eam, quam ipsi solam, ac summam uoluptatem rentur esse, ministerium amplius denegant.

Medici facetia Memini ego, Medicum quendam ad uirum equestris ordinis graui morbo decumbentem aliquando uocatum, & ab ægroto atq; amicis de origine ac causis morbi, ut fieri solet, interrogatũ, respondere: Fluxionem quandam è manu dextra in caput defluentem, fontem illi, et causam morborum esse. Cùm ille mirabundus, quid id fieri posset, quereret, Medicus cantarum, qui propè in mensa stabat potu plenus, protinus correptum ad os admouebat, ostendens hanc esse fluxionem tot morborum causam. Facetè ille quidem nec minus uere: sentiebat enim ualetudini nullam nocentiorem esse pestem, quàm istas perpotationes. Sed non audiunt Medicum isti nepotores, ne tum quidem cùm alterum pedem in Charontis cymba habent. Multò enim peius animo ualet, quàm corpore, id quod infrà ostendemus. Nam cerebrum, quæ rationis ac mentis sedes est, ita illis concussum et labefactatũ est, ut nõ modò mente, sed ne sensibus quidem integris uti possint. Destituuntur q; non tantum illis uirtutibus, quibus homines à cæteris animantibus separantur, sed ijs etiam, quæ cum brutis nobis communia sunt sensu ac motu.

Galen

Galenus crapulam à uibrando & quatiendo capite dictam affirmat, & ab hac præcipua labe rei fœdißimæ nomen inditum. Id satis in istis heluonibus adparet, quibus uel cerebri nihil est, uel si quid est, id ita est quassatum atq; affractum, ut suo amplius officio fungi nequeat. Declarat hoc sensuum, quos exteriores uocãt, extrema debilitas in ebriosis, quorum iam nõ est diminuta actio, ut Medici loquuntur, sed corrupta prorsus, imò uerò persepe etiam ablata. Non enim hi tantum, siqua sunt aliquo interuallo sepositа uident, aut agnoscunt minus, sed etiam ea quæ quidem sunt proxima. Surgit his mensa geminis luminibus, ut ait Iuuenalis, pro cantaro uno duos uident, pro uno cõuiua geminos salutãt: deniq; iam omnia condupli cata cernuntur eis, pro calice candelabrum manibus prehendunt bibituri, fõras ituri à ianua deerrantes, in fornacẽ incursant. Atq; hæc adhuc sunt initia morbi: nã si, ut plerunq; solent, sic heluari pergunt, postremò luminibus prorsum et auribus capiũtur, cæteris q; sensibus destituũtur, trahũtq; semimortua et euecta crapula misera corpora, & sunt reuera quod dicuntur, uiua cadauera, atq; terræ inutilia & execranda onera, donec alium apoplexia, alium morbus comitialis horribiliter prius excarnificatum extinguat: Nã hic morbus

Galenus crapulam unde dictam uelit.

Primæ ad paroxysmum accessiones.

Viua cadauera

est familiaris hominibus ebriosis, atq; ipsa adeò ebrietas quid aliud est, si propius cõsideres, quàm species quædam morbi comitialis? præcludunur enim crudis illis, dẽsisq; uaporibus, quos, ut diri, stomachus et cætera mẽbra nutritioni destinata, à nimio potu exhalãt, uenæ, atq; meatus cerebri, a per eos spiritui transitus negatur, unde sentiendi et mouẽdi potentia cætera mẽbra destitui necesse est, id quod ebrijs perinde, ut morbo comitiali laborãtibus accidere uidemus, multiq; sæpe ita sunt subitò præfocati, tetroq; & horribili genere mortis extincti. Cui tu infensissimo hosti istos cruciatus, atq; hæc tam sæua supplicia possis optare?

Vim mentis lædit crapula.

Sunt hæc quidẽ, quæ corpus patitur à crapula grauissima, sed grauiora tamen quæ parti præstantiori, nempe animo accidunt. Nõ enim tãtum oculorum, aurium, manuum, pedũ, ac cæterorũ membrorũ sanitas uigorq; ebrietate corrumpitur, sed multò grauius illæ δυνάμεις ac uirtutes animi labuntur, atq; ea pars præcipuè in ebriosis suo naturali motu usuq; destituitur. Nã quæ uis intelligentis in ijs esse potest, uel ad percipiendas retinendasq; ueras, ac proprias rerũ imagines, uel ad faciendum de illis sanum rectumq; iudicium? a quibus, ut breuiter dicã, omnis corporis animiq; sanitas, nõ secus quàm in phreneticis labefactata ac dis-

ac dissoluta est, sensus omnes uelut sede sua moti atq; euersi sunt. Quem uos igitur ulla in re usum talium hominum esse, aut quid publicæ priuatæue rei ipsis mandandum putatis? Primum ualetudo debilitata, ad omnia publica & priuata officia obeunda, ad res gerendas, atq; ad omnes contentiones sustinendas eos inutiles reddit. Deinde cum omnis animorum atq; ingenij uigor ista nocentissima heluandi, ac perpotandi consuetudine ita sit eneruatus, ut ne sensus quidem communis amplius sint compotes, quid ab eis consilij in grauibus atq; impeditis negocijs petas? aut quid rei seriæ committas credas ue illis, quibus cerebrum perijt, coruino sepultum est? Prodeunt ad consultandum membris & mente corrupti, uinolenti, halantes etiamnum pridianam crapulam, semisomnes, oculis natãtibus, uinũ ac cereuisiã crudã incoctãq; adhuc redolẽtes: Sũma, quorũ neq; pes, nec mens officiũ suum facit. Hi deinde de grauissimis, nõnunquam etiã periculosissimis negocijs sentẽtiã rogãtur, quibus, Hercules, nõ plus mẽtis est quã boui aut porco. Quid ergo respõdent? Stulticiã celare, inquit Heraclitus, difficile est, in uino uerò impossibile. Vocẽ ergo hi homines nõ in conuiuio tantũ, atq; inter illa immania pocula, sed alieno etiã sæpe loco, & in cõsilio publico emittunt

Nullus usus in ulla re ebrioꝝ.

Stulticia temulentorum.

per iugulum redituram, eructant suam ἐνθουσιασ-
σίαν, non enim tacere possunt, nec uideri uolunt
minus alijs sapere. Affĕrunt ergo inter pocula &
conbibones suos meditatam iam ante, ac decantā-
tam furiosam aliquam fabulam, eam statim pro
folio Sybillæ ac Delphico oraculo cum adplau-
su audiri, & cum assensu accipi, adorariq; postu-
lant, perieris, si dissentias. O ter & amplius misē-
ram ac perditam Rempu. quæ à talibus adminis-
stratur consultoribus. O calamitosos & afflictos
ciues, quibus hi leges dictant. Quid enim tam ab-
sonum, absurdum, atq; ab omni sensu humano ali-
Faces Rerum- enum cogitari potest, quod istæ furiosæ bestiæ ui-
pub. cum exitio publico non audeant? quas tragœdias
nulla de causa illi non excitant? quibus motibus,
bellis, atq; incendijs hi non miscent omnia atq;
perturbant? Reuera faces Rerumpub. nam hor-
ribilium sæpe cladium non uno in loco tales homi-
nes Rebuspub. authores fuerunt. Ilias malorūm
net eas ciuitates, quæ sunt sub rectore temulento.

Rectè enim Cato dixit: Vno excepto, nemi-
unquam ad euertendam Rempub. sobrium accē-
sisse, uix enim ulla Respub. diu stetit, quæ ebrio-
rum consilio gesta est: uix ulla concidit, quæ
non ebrioſi euerterint: uix ulla non floruit, quæ
à siccis ac sobrijs hominibus administrarētur.

Si

Non igitur potuit Achilles apud Homerum atro cius conuitium ignauo, ac uesano Regi dicere, quam ut temulentum eum uocaret, hoc uno probro quidquid erat grauißimorum flagitiorum cõplecti uisus. Nã in quibus hoc uitiũ radices egit, de illis nihil est, quod tibi pollicearis, aut speres moderati boniúe: sunt homines omnibus partibus suis, ac membris fracti, corruptiq;, omni genere turpitudinis & flagitiorum cõtaminati. Aquã è pumice petas, si cõsilium ab eis ulla in re aut prudentiam requiras. Quomodo enim animum intendere possunt ad aliquam seriam cogitationẽ, qui illa perpetua heluatione potuq; penitus sepulti sunt ac demersi? Nunquam illi aut rarißimè expergiscuntur, sobrij certe nunquam sunt, etiam cum non sunt poti, tamen illi furiosi motus uino concepti, & excitati, adhuc in eis exæstuant. Conuicium Achillis apud Homerum.

Plato in epistola quadam ad Dionis propinquos, de sua in Siciliam peregrinatione ita scribit: Quò cum uenissem, inquit, uita illa beata, quæ ferebatur, plena Italicarum, Syracusanarumq; mensarum, nullo modo mihi placuit, bis in die saturum fieri, nec unquam pernoctare solum, cæteraq; quæ comitantur huic uitæ, in qua sapiens nemo efficitur unquã, moderatus uerò multo minus. Negat Plato gigni sapientiam in ijs locis, ubi homines Bis in die saturum fieri.

mines bis in die saturi fiant. Quid si ad nos uenìret, ac uideret homines nõ per interualla bis aut sæpius in die saturos, sed perpetua quadam crapula uinoq; distentos, nunquam ieiunos siccosue, sobrios nunquam? tum uerò longè ab his locis sapientiam pariter, ac modestiam exulare diceret. Nullus enim modestiæ, aut ulli uirtuti locus esse potest in ista plusquam beluina uentris ingluuie, ac uitæ fœditate. Induunt enim homines ex hoc uiuendi more furiosos uastosq; mores, et totam naturam efferuntur, ea sensuũ, ac ingeniorum fruta, deinde etiam in sobrijs manet. Sicut enim cum quis diu in sole uersanti caput cœpit dolere, ubi iterum in umbram redijt, dolor tamẽ, quem calor fecit, manet, nec statim remittit: Ita ubi homines illa barbarica heluandi consuetudine deuincti furere cœperunt, durat ille furor etiam cum non sunt poti, & ijdem rabiosi ac turbulenti motus in animis manent, sæuiuntq; ac debacchantur sobrijs pariter ac poti, nec facile possis discernere, quocunque tẽpore in eos incidas, utrum biberint nec ne.

Simile.

Vicia uino concepta, sine uino ualere.

Seneca grauiter ac uerè dixit, consuetudine insaniæ durata uitia uino concepta, etiam sine uino ualere. Et sanctus Paulus iubet nos uitare ebrietatẽ, propterea quod in ea insit Asotia, id est, uita immanis ac beluina, dei pariter atq; hominũ omniũ

omnisq; honestatis cõtemptrix: Qualem hoc genus hominum lurcones & heluones degere uidemus, qui nihil pensi habent, nisi ut totos dies noctesq; perpotẽt, quibus mens ipsa et ratio, omnes qúe sensus, scilicet heluãdo potandoq; obruti atq; obstupefacti, nunquã redeunt ad sese, nunquam cogitãt aliquid serium, aut dignũ homine, sed quod in tali uita fieri necesse est, sic ad omnis generis immanissima scelera proruunt sese, quasi nemini quidquã post se reliqui facere statuerint. Nõ iam dicã de turpitudine, quæ in ipsorum conuiuijs etiam regnat, non de furiosis clamoribus eorum, qui bus plateæ totas noctes personant: hæc adhuc initia sunt furoris, & quasi primæ ad paroxysmum acceßiones. Innumera alia & grauiora nobis flagitia ex hac lerna crumpunt, atq; utinam talium hominum furor nonnunquam etiam Ecclesiam non conturbaret, & Reipub. non esset exitio.

Cambysem Cyri filiũ tradunt ab hac furia agitatum fuisse, quem cum Prexaspes unus ex Principibus & paternis amicis amãter ac fideliter admoneret, quod Persis illa eius perpotandi consuetudo displiceret, iußit ipse Principes cõuocari, et interrogabat, utrũ aliquid in se, quod reprehenderẽt, haberent? illi metu mussabãt, nec erat inter eos qui hoc hulcus tãgere auderet, quin pleno ore lauda-

Cambysis furor in Prexaspen, & duodecim principes Persarum.

laudabant eum, et patri etiam Cyro præferebant pleriq;. Quibus laudibus inflatus Rex, Prexaspen solum accersi iubet. Atq; ut uidere posſis, inquit, me etiam potum, tamẽ mentis cõpotem esſe, hodie ubi largius bibero, sistes mihi filium tuũ minorẽ natu in foribus cœnaculi, in eum cũ arcu sagittam emisero, nisi ipsum pueri cor uulnerauero, tum tu me ebriosum atq; insanũ iudicato. Hæc ita ut dixit facta sunt, nã post horam cœnæ, cum largius iã inuitasset sese, puerum adduci sistiq; iubet, et arcu accepto, sagittã in eũ eiaculatur, collapsumq; ex uulnere, secari et ictum inspici iubet. Cumq; arundo in ipso corde pueri fixa ostenderetur, cachinnans, Vides nunc, inquit patri, etiam ebrium me, tamen egregium esse iaculandi artificem. Prexaspes aduertens hominem reuera uesanum ac furiosum esse, continuit sese, dolorem dissimulãs. Postridie uerò eius diei & duodecim principes Persarum, ob rem nihili ac nullius momenti causam, crudelissimo supplicio affecit, in caput uiuos defodiens, ac per eundem temulentiæ furorem alia multa etiam dictu infanda, et horribilia auditu designauit, donec Deus cum proprio gladio ictum uita expulit. Tales homines, imò uero tã immanes bestias nobis gignit ebrietas, quorũ uitã & facta cum post tot annos legimus, horremus.

Sit

Sic igitur ſtatuatis, adoleſcentes, crapula nullũ horribilius, nullum tetrius, aut nocentius malum, ira Deorũ natum, aut è furiarum ſedibus excitatum, in hunc mundũ ac lucem, ad multorum hominum exitiũ immiſſum eſſe. Hæc enim atrociore furoris genere, quã ullæ erynnes homines cõcitat: hæc domos uaſtas reddit et urbes: hæc rei priuatæ et publicæ cõmunis clades ac ruina eſt: hæc infandis libidinibus humana atq; diuina iura polluit: hæc cædibus et ſanguine horrendum in modũ miſcet ac perturbat omnia: Exclamet hic aliquis: Crapula furiis terribilior.

Dij talem terris auertite peſtem.

Sapientes quidem Principes, legumq; latores, in omnibus bene conſtitutis Rebuſpub. ſingulari cura ac diligentia ebrietatem prohibuerunt, nec minus ciuitates contra luxum ac crapulã, quàm contra ullum alium nocentiſſimum hoſtem, muniendas cenſuerunt: intelligebant enim in iſta barbarica et immani uita, nullam diſciplinam publicam neq; priuatam poſſe conſeruari. Leges contra luxum.

Tulit Pittacus Mitylenæus legẽ, ut ſi quis per temulentiã, ſceleris aliquid cõmiſiſſet, duplo grauiore pœna plecteretur, quod cauſa ipſa, quæ eum ad peccandum impuliſſet, grauius etiã peccatum eſſet. Alij alijs pœnis atq; ignominijs in ebrioſos animaduerterunt. Et ſi qua gens natura moderatior

tior humaniorq; fuit, ea sua sponte fœditatem ebrietatis exosa, frugalitati ac sobrietati dedidit se, nec legibus opus fuit prohibere, quod publice inter homines uerecundia sustulisset.

Barbaries et crapula coniuncta.

Sed regnat hoc uitiũ inter barbaras ac feras illas gẽtes præcipuè, et cernere est, quod ut quæq; natio maximè barbarica, et ab humano uitæ cultu aliena est, ita ad heluãdum ac perpotãdum profusissima est, quasiq; fœdere quodã inter se iuncta sunt barbaries et crapula: Pulchra, me hercle, societas, & dignum habet patella operculum.

Septentrionalis ac Sarmatica fera.

Fera etiam quædã in illis Septentrionalibus ac Sarmaticis oris inueniri dicitur, immani uoracitate: Quæ cum in aliquã prædam incidit, eo usq; cibo immodicè ingesto, distendit uentrẽ, ut parum absit, quin crepet. Deinde inter angusto spacio distãtes arbores trãsiens, uiolenta ibidem cõpressione crudũ illum cibum iterum per annũ exprimit, itaq; sese exonerat, quod nisi faceret, periculũ uitæ erat. Est hæc omnino fœdissima uentris inglauies huius bestiæ. Sed ea haud dubiè imago quædã est intemperãtiæ ac morum earum gentium, de quarum immanibus cõuiuijs horribilia, sed tamen à uero nõ abhorrentia narrantur: Rarò transigi

Cædes propinantium.

symposium sine multis cædibus. Si quis propinatum dolium haurire cesset, illi à proximo quoque

compo-

cõpotore protinus necem imminere: Si quem interfecerint, non propterea conuiuium dissoluitur, sed prouoluto in medium trunco corporis, et impositis aliquot nummis (is apud eos mos est) heluari pergunt. Malos etiã genios inter eos, cum agitant cõuiuia, propalam obambulantes cõspici dicunt, maiore quàm humani corporis imagine, quos illi nihil exhorrentes, pro socijs ac conuiuis salutare solent, et cœptum conuiuium permultos ex ordine dies noctesq; uno tenore continuare. Hæc si quis apud sanos, et sobrios homines, et istarum barbaricarum heluationũ ignaros referat, fabulam ad aliorum terrorem conflctam narrare uideatur: non enim facile credi potest, tantam feritatem et immanitatem cadere in humanam naturam. Sed qui uiderunt, ac talibus conuiuijs sæpius interfuerunt ipsi, hi et hæc uera esse, et his horribiliora etiam fieri affirmant.

Maligenii conuiuantium.

Redeo igitur eò, unde digressa est oratio, nempe istã fœdam, immanem, atq; homine indignam uentris proluuiẽ, apud barbaras illas gentes, et quas utrum inter homines an beluas numeres, dubitare possis, præcipuè conspici, homines moderatos, et ad aliquam humanam disciplinam adsuefactos, semper natura exhorruisse, ac detestatos esse.

Tantò magis igitur et nos, Adolescentes, qui

cum

cum Musis, hoc est, cum humanitate commercium habemus, eam odisse, & ut nocentissimam pestem fugere, istorumq; heluonum consuetudinem, tanquam pestiferi morbi contagium, deuitare debemus. Et quoties nobis talis quispiam occurrit, hoc elogium illi in frõte scriptum putemus, quod de Tantalo est in Tragœdia:

Heluones deuitandi.

Nolite hospites ad me ire ilico istic,
Ne contagio mea bonis, umbraue obsit,
Tãta uis sceleris in corpore et animo hæret meo.

Reuera enim nullius morbi contagium nocentius est, quàm talium hominũm consuetudo.

Verbum Dei.

Proponamus nobis uerbum Dei, quod multis in locis nos ab ebrietate reuocat ad ieiunium, ad sobrietatem inuitat. Nota est sententia: Ne corda uestra grauentur crapula. Et sanctus Paulus populum Israëliticum à crapula ad Idolatriã profectum affirmat. Atq; Christus ipse ait: Hoc genus dæmoniorum nõ eijcitur, nisi ieiunio et oratione. Ex quo perspicuè adparet, istis cõmessationibus ac heluationibus Satanã accersi et interesse, sociumq; ac conuiuã esse istorum lurconum. Testatur hoc etiam euentus talium symposiorum, quæ raro sine cæde alijsq; immanibus & horrendis facinoribus transiguntur. Vbicunq; igitur tale aliquod conuiuium adparari uidetis, Adolescentes, ne pro-

Satan minister et pocillator.

tin-

tetis Angelos illic mensæ administros et custodes adesse: Hi tantum sobriorum cœnis intersunt, eorum curam gerunt, cum isto grege heluonum commertij nihil habent: sed Satanas illis ministrat, Satanas pocula miscet, unáq; cũ uino ac cereuisia sulphur atq; picem phlegethontis propinat, quibus potis, statim furere incipiunt. Nonne uidetis, quàm uelut lymphatici bacchentur, & tanquam rabiosi canes, inter seipsos, & cum alijs, cruento ferro concurrant.

Alexander Macedo.

Hoc est quod et Alexander Macedo sibi accidere sensit, & quæstus etiam est, nempe quod cum bibisset, in eam rabiem accenderetur, ut inter pocula intimos & charissimos amicos contrucidaret, & Bacchum eum furorem sibi obijcere credidit, ulciscentem Thebanæ urbis excidium. Satanas fuit iste Bacchus, qui assiduus talium conuiuiorum assecla solet esse.

Spectacula Satanæ.

Huic gaudio est, homines per uiolentiam in furorem actos, sic inter se cædibus & omni genere immanitatis cõmittere. Hoc illi spectaculum iucundissimum est, is ita affectos eos & sui impotes, deinde suo arbitrio quò uult ducit ac impellit, donec alij de fenestra aut per gradus prolapso ceruicem frangt, alium trucidandum obijcit sodali, aut ad cædem faciendam impellit, alij subitanea morte, aut alio quopiam

triſti et inaudito caſu animam aufert. Omnes horrendo genere leti abſumit, & ad inferos abripit. Hic exitus, nec alius finis eſt iſtarum heluationum. Qui ſic periiſſe uolet, ille ſanè eis ſe adiungat: nam melius de ſe non eſt quod ſperet: nullus enim eorum honeſto aut naturali genere mortis occumbit, nullis naturæ repoſcenti animam reddit, ſed ante diē ſuæ ipſi manu crudeliter perimuntur, ſanitatem corporis & mentis expugnantibus poculis, & cadunt ante tempus à natura præfinitum turpiſſimo et horribili genere mortis, qui poterant multos adhuc annos uiuere, & ſibi, ſuisq; ac Reipub. prodeſſe. O execrabilem uitam quam exigunt: O mortem multò execrabiliorem.

Miſeria miſerabilis.

Miretur aliquis quàm illi reuera miſeri et miſerabiles homines, atq; in neminem magis quàm in ſeipſos crudeles, tādem uoluptatem ex iſta dira et immani heluatione capiant: Nā guſtus certè, qui ſenſus ſolus cibo et potu afficitur, illis iā olim periit, is enim coctione ſublata, nullus eſſe poteſt. Fames uerò ac ſitis, quæ optimum condimentum ſunt, quàm lōgiſſimè abſunt ab eis: Eſuriunt namq; quā, ſitiunt multò minus, ingurgitāt tamē adhuc urgentq; ac torquent ſeipſos, regurgitātes, per os ac fauces potū infundentes, donec ad plenum ipſi cloacam poculis expleant. Nulla certè hæc delectatio

Etiam

ctatio potest esse, sed est, quod quiuis sana mente præditus intelligt, manifestus ac diabolicus furor.

Diuus Ambrosius ocium dicit esse puluinar Satanæ? At ebrietas non modò puluinar, sed molle ac delicatum cubile est Satanæ, nusquam ille cubat ac requiescit libentius. Qui igitur hunc conuiuam & conuictorem, cohabitatoremq;, atq; etiam condormitorem habere cupit, ille tantum hanc ei sedem præparet, credite mihi, non diu aberit, uita ac factis condignam mercedem etiam redditurus. Ebrietas delicatum cubile Satanæ.

Defessus iã propè sum dicendo de re fœdissima, & uos haud dubiè multò etiã magis audiendo defessi estis, finẽ igitur iã faciã. Ac si apud uos suscipere personam mõnitoris meam hanc ætatem nõ putarẽ dedecere, uos adhortarer Adolescentes, ut ebrietatem tanquam omnium flagitiorum malorumq; fomitem ac fontem uitaretis, sobriã uerò uitam, ut uirtutum omnium, honestatis ac sanitatis magistram, parentemq; amplecteremini. Scio ego quàm infame, & iam propè etiam probrosum sit apud istos lurcones dici sobrium aut siccum. Sed uos audite uocem naturæ optimæ parentis, quam isti degeneres filij adspernãtur, ea uos ad sobrietatem uocat, uocat eodem & uerbum Dei, inuitant omnium bonorum ac sanorum hominum fidelia Infame nomen sobrii.

atq; grauißima monita et præcepta. Si ergo uob bis cordi eſt ualetudo ueſtra et ſalus, quã nemo ſa næ mẽtis compos unquã proijciendã cenſuit, ſi ſtu dia ueſtra, quæ ſanè debẽt eſſe chariſſima, ſi uir tus & honeſtas, ſi deniq; pietas, ac ſalus animarũ ueſtrarum, cogitabitis his omnibus nihil eſſe inſ ſtius ebrietate. Si uerò aliquem hæc tot tã ſanctiſſi mã nomina nihil mouẽt, is ad eorum gregẽ perti net, de quibus à me iã dictum eſt: nec mea oratio ne mitior fiet: Grauius enim hoc morbi genus eſt, quàm ut multis Anticyris exhauſtis ſanari poſſit. Chriſtus mentes noſtras pro ſua infinita bonitate gubernet, & ab hac execrabili atq; impia beluarũ di conſuetudine, ad ſobrietatem, ad pœnitentiam ac pietatem flectat atq; traducat. Dixi.

ENCOMIVM SVEVORVM, A Quodam cauſa exercitationis ſcriptum & pronunciatum.

NOn dubito, quin plerique mi rentur, quid mihi in mentem uenerit, cur Sueuos potiſſi mum, procul ab illorum fini bus natus, laudare inſtitue rim: Quibus tametſi hoc re ſpondere poteram, nos in declamationibus non anxiè, aut ſuperſtitioſe ar gumenta

gumenta eligere solere, sed ferè casu oblatis uti. Nonnulli etiam paradoxas materias, ut in re difficili experiantur ingenij uires, sumunt. Tamen ego certo quodam consilio hoc argumentum suscepi tractandum. Etenim cum prauo quodam studio homines, & philautia, nostros nimium amemus, exteros contemnamus, cogitabam me honestè facturum esse, si gentis, quæ hinc procul abest, laudes colligerem, & commonefacerem uos, alienam uirtutem non esse honore, ac prædicatione fraudandam. Nonnulli sunt ingenioſi in alienis uitijs insectandis: quidam etiam ex criminatione aliorum, grauitatis famam aucupantur: Ego liberalis ingenij esse duco, magis, commemoratione uirtutum alienarum delectari. Quanquam enim sua cuiq; genti uitia esse uideamus, tamen nullam nationem, præsertim in Germania, existimo tam esse perditis moribus, ut non multa pulcherrimarum uirtutum exempla ibi reperire possis. Porrò ut in priuatis amicitijs ad mutuam beneuolentiam alendam multum facit, si uirtutes amici noris & admireris, ad uitia conniueas: ita inter uicinas gentes rectius conueniret, si singulæ aliarum uirtutes nosse potius studerent, quàm uitia. Hoc ego consilio ad hanc causam accessi, ex qua sanè non tam eloquentiæ laudem, de qua in hac ingenij in-

Aliena uirtus prædicanda.

Virtutes nosse debemus, non uitia sectari.

firmitate, & quadam mearum rerum difficultate, iam olim desperaui, quàm officij & humanitatis auferre cupio.

Proinde, quãtum nostræ uires sinẽt, hãc nationi sine aliarũ cõtumelia ornabimus. Neq; enim aut Sueui tã sunt inopes domesticarum laudum, ut nõ nisi ex aliarum contumelia colligenda sint præconia, aut aliæ nationes cõtemni ac probro afficiãtur. Nullis Germaniæ populis Franci cedere debent, qui suæ uirtutis uestigia impresserunt in mediam Galliã, et maximis gestis rebus, et quidem et utilitate publica nomẽ Galliæ nouum indiderunt. Nostris uerò tẽporibus doctißimos ea regio homines genuit, in quibus uel obscuram alioqui unus Ioannes à Regio Monte nobilitare posset, uir græcè latineq; non leuiter doctus, & uniuersæ Philosophiæ ita peritus, ut unus restituerit disciplinas, quæ sic uocantur, collapsas, et ab interitu uindicarit. Austriæ quãtum debemus, quæ cùm alios Principes summa uirtute, tum Maximilianum edidit, nemini optimorum Imperatorum postponẽdum, qui iuxta domi ac foris cõtinentia singulari fide, iusticia incredibili, magnitudine animi diuina. Quid Frisia, quia Agricolam genuit, quãtum laudis meretur? Batauos suos Erasmus quàm clarus fecit? Sed quid ego aliarũ nationũ laudes recenseo, cum

Francia.

Austria.

Frisia.
Batani.

cùm de Sueuis oratio instituta sit? Verũ hæc ideò præfatus sum, ut intelligeretis me, cùm nihil in hac causa de amplissimis ornamentis aliarũ nationũ detrahã, ueris laudibus Sueuiã ornaturũ esse. Quæso autẽ uos, ut pro humanitate uestra me benignè audiatis: nã cãdor est exterorũ uirtutibus, et earum cõmemorationi fauere, quas quidẽ nos, quia inter eruditos dicimus, paulò lõgius etiam inde usq; ab antiquitate repetemus. Quanquã autẽ sola uirtus, ueram & solidã laudem parit, tamen & antiquitas generis, quia nonnihil momenti adfert ad uirtutis studium, suam laudem meretur.

Antiquitas generis Sueuorũ

Fortes (inquit Horatius) creantur fortibus & bonis,
Est in iuuencis, est in equis patrûm
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Quare cùm ueterum Sueuorum summa uirtus fuisse perhibeatur, credibile est ad posteros propagata esse semina quædã uirtutis: & quemadmodum formæ corporum in natis imitãtur patres, ita posterorum ingenia nõ sæpe naturæ maiorum dissimilia sunt. Proinde nõ exiguã laudem Sueuicæ nationis hanc esse duco, quod à maioribus incredibili uirtute, fideq; præditis, quiq; maximis gestis rebus suæ posteritati præluxerunt, orti sunt.

C. Cæsar.

Habent autẽ ueteres Sueui grauissimum testem suarum laudum, C. Cæsarem, qui sic describit eos, ut adpareat, & domi optimè constitutas Respub. domesticamq; disciplinam habuisse, & foris incredibilem eorum fortitudinem, scientiamq; rei militaris præcipuam fuisse. Etenim ut prætermittam, quanta gentis frugalitas fuerit, quia unum imperari contra leges erat, quæ exercitationes iuuentutis fuerint in armis, quanto labore duratatorpora, & animi ad patientiam adsuefacti, tum mihi prorsus uidere quandam Platonis ciuitatem uideor, cum lego nihil illis priuati agri fuisse, sed sine cupiditate communiter coluisse, quæ quisq; loca occupassent, qua in re adparet, animos gentis uacuos auaritia, & similibus bestijs, unde in ciuitatibus graues motus existere solent, summa religione iusticiam ac pacem coluisse.

Frugalitas.

Fœlicissimus ciuitatis status

Plato ait ita fœlicissimum ciuitatis statum fore, si quàm proximè conetur exprimere hanc legem quæ de amicis extat, τὰ φίλων κοινὰ. Quam autem mihi Græcã ciuitatem, quas Athenas, quã Spartam, aut Locros nominabit aliquis, in qua perinde agri communes possessionesq; fuerint, ut apud Sueuos? qui nisi admirabili iusticia prædili, & magna inter se charitate deuincti fuissent, nullo modo illam rerum cõmunionem exercuissent.

Quæ

Quædam gentes à Dijs se ortas esse prædicant, mihi non minor laus uidetur ad tales uiros, quales fuisse ueteres Sueuos intelligitis, uerè posse originem referre, quàm ad Herculem aut Martẽ.

Non est instituti mei, laudes aliarum in Germania nationum extenuare, tamen hoc in confesso est, nullius maiores monumentis literarum, per inde, ut Sueuos celebratos esse, quod quidem argumentum esse mihi uidetur, uirtute etiam eos reliquis omnibus in Germania nationibus præstitisse. Pleræq; nomine ueteri amissa, ne quidem coniecturam capere possunt, ex quibus orti sint maioribus. Et haud scio, an soli Sueui nomen uetus retinuerint, sed cum ita mutent gentes nomina, si uel patria pulsi, uel imperio deiecti, amissa libertate, in aliorum potestatem ueniant, ueri simile est Sueuos, quia nomẽ retinuerũt, libertatem suã summa cum uirtute defensam, nunquã amisisse. Nã quod sedes mutarunt, & à Balthici maris littore, quod olim tenuerunt, propius Rhenum accesserunt, id accidit, quia lacessiti Romanis armis in ripa Rheni domo accita præsidia primũ collocarũt, postea capti aëris cœliq; elemẽta his in locis cõsederũt, & occuparunt eã Germaniæ partẽ, longè promotis finibus, quæ inter Rhenum, Alpes, Lycum, & Mœnum est, hi sunt Sueuorum fines hoc tempore. Fines.

Virtus quam cæteris illis maior.

Neq; uerò degenerarunt, mutato cœlo à priſtina uirtute, ſed his primum locis magis inclaruerunt, & noua gloria Sueuico nomini acceßit.

Imperii Romani titulus Sueuis delatus

Nam ne omnia cõmemorem, neúe hiſtoriam potius quàm encomium compoſuiſſe uidear, tantum inſignia quædã ornamenta attingam. Quid potuit contingere Sueuis illuſtrius, quàm Romani Imperij titulus? Nõ ille quidem ſcelere raptus, ſicut antea ſæpe acciderat, ſed delatus Germaniæ atq; Italiæ populorum conſenſu. Quid potuit honorificẽtius accidere, quàm hoc tot gentium iudicio, quæ tantam uim uirtutis in hac eſſe natione ſenſerunt, ut non dubitarint ſuam ſalutem, ſuas fortunas, & tranquillitatem totius Imperij Sueuorum Principum tutelæ cõmittere? Ea demum uera gloria eſt, & bono Principi maximè optanda, ut intelligãt, exiſtimẽtq; homines, eum eſſe præditum, & ea charitate erga ſubditos, ut nihil ducat prius, quàm illorum ſaluti conſulere, & ea cum prudentia, tum animi magnitudine, ut defendere conſeruareq; pacem, & arcere ac prohibere iniuriam, & legibus ac armis munire tranquillitatem publicam poßit. Quos triumphos, quæ trophea mallent ſibi decerni Principes, ſi ſaperent, quàm hoc de ſe iudicium apud bonos uiros fieri.

Proinde, cum periculoſiſſimis temporibus ad

Sueuos

Sueuos Imperij summa delata sit, magnum quiddam illi nationi reliquæ gentes tribuerunt. Nec; uerò nõ respõderunt expectationi. Fridericus, cui à Barba Ruffa nomen factum est, & huius nepos Fridericus, quem Siculum uocarunt, quorum uterq; omni genere Imperatoriarum uirtutum, cuius laudatißimorum Principum cõferri meretur. Ab auo Friderico Germania atq; Italia maximis laboribus & periculis pacatæ sunt. Arma in Asiam postea translata, Suladinus repressus est, & bona Asiæ parte ad Armenias usq; expulsus. Nihil hic libet attollere, aut amplificare, tantum extremis digitis leuiter attingo res istius gestas. Verum uos ipsos cogitare hoc in loco uelim, quantum beneficium id temporis in Europam contulerit, crudelißimis hostibus repreßis, & procul ab Italia & Germania summotis. Fridericus Barbarosla.

Nunc uidetis quãto in periculo simus, quia diu neminem similem custodem Imperij huius habuimus. Ille procul in Asia quærendum sibi hostem esse duxit, sensitq; serum tum auxilium fore, si pateretur Barbaros in nostros fines suas copias traducere. Nunc cum in ipso uestibulo Germaniæ constiterint sæuißimi Turcæ, ac florentißimũ Regem, regno exutum, fugientẽ ex acie, penè ob oculos nostros trucidarint, intelligitis quàm optan- Nullus iam similis custos Imperii.

optandum sit Fridericum aliquem exoriri, cuius nomen hostibus terrori sit, quique opponere immanissimæ gēti præsidiū ausit. Si Fridericus ille reuiuiscat, nō de Hungaria uastāda, nō de uexāda Germania iā Barbari cogitarēt, sed de retinēda Thracia, deq; sōcis ac laribus suis propugnādis: Siquidē Germanicis copijs iā ut fuit illius & celeritas et diligētia, circumfessi summa ui oppugnarētur. Nō uacat huius Principis egregia facta cōmemorare, uerum quia bello meliorē, quā pace fuisse aliqui putant, ut cognoscatis quāta sæueritas eius fuerit domi in dicendo iure, in latrocinijs puniendis, et disciplina Imperij retinenda, recitabo quā grauiter animaduerterit in Principē Palatinū, et Moguntinum Episcopum, qui bellum ipso absente in Italia mouerāt. In Episcopum, quia parcēdum dignitati Sacerdotum duxit, mitiorē pœnā constituit, tantum enim eum pecunia mulctauit. Sed in Palatinum durius cōsuluit: Nam coēgit eum per totā urbem Vuormaciam canē ab humero pendentē gestare, ea fuit illis tēporibus censoria nota nobilitatis. Idē exemplum in pleroſq; alios equestris ordinis uiros, Palatini socios, cōstitutum est. Nullas ego uictorias plus laudis mereri existimo, quā huiusmodi exemplum. Nā eum bene imperare potes, qui domi ciuilē disciplinam conseruare nouit.

In Palatinum & Moguntinū animaduersio grauis.

Censoria nota nobilitatis Canis.

Nihil

Nihil foris arma, nihil triumphi proderunt, si domi nimiũ liceat improbis. Is demum Imperatoris nomine dignus est, qui nõ tãtum hostibus formidabilis est, sed etiã ciues in officio retinere studebit.

Quid de Friderico Nepote dicam, cuius pulcherrima consilia, si non impedijssent Romani Pontifices, non alium habuisset utiliorem Principem Germania. Ingenium in eo acerrimum fuit, magna etiam literarum scientia, & ut aliud boni nihil præstiterit, magnam illi gratiam debemus, quod curauit in Latinam linguam conuerti ex Saracenico sermone τὴν μεγάλην σύνταξιν Ptolemæi: Nam absq; eo libro tota Astronomia funditus interijsset. Itaq; Sueuis debemus, quod reliqua est illa Philosophiæ pars, quam iure dixeris præstantißimam esse. Magna laus est inuenisse artes utiles huic uitæ, sed non minor est, uel restituisse uel conseruasse. Siquidem inprimis in literis hoc accidere uidemus, ut non minus negotij sit conseruare inuentas, quàm inuenire. Videtis quales Imperatores Sueuia nobis ediderit, qui nisi belli pacisq; artes omnes apud illos floruissent, minimè idonei ad imperandum uisi fuissent.

Friderici Nepos.

Etenim ut non in quouis solo fruges nascuntur, ita non ubiq; boni uiri proueniunt. Sed ibi tantum, ubi bonis legibus ac moribus ad uirtutẽ ac decus

Disciplina Suæuicæ terræ.

ac decus inuitatur, et adsuefit iuuentus. Quis putet enim Mileti aut Sibari in summo luxu, inter turpissima exempla, in maxima licentia, fortem uirum, aut temperantem, aut iustum euadere potuisse? Quæ tam excellens natura, quæ tanta ingenij uis in ullo esse potuit, quæ inter tot uitiorum illecebras non corrumperetur? Quare necesse est disciplinam fuisse in Sueuorum ciuitatibus probabilem, qua tanquam in ludo Principes ad honestatem instituti sunt, quaq; adducti exteri iudicarunt hanc nationem uirtute ac industria imperij molem sustinere posse. Neq; enim ignoratis, quid imponatur oneris cum isto titulo, aut quantum fidei, quãtum consilij, quantum animi robur, quantam moderationem, quantã diligentiam in omni genere flagitent homines ab eo, cui libertatem suam, fortunas, salutem, ac uitam committunt? Sed cum res foris gestæ, et leges quibus domi pax stabilita est, quæ quidem hactenus in publicis legum codicibus extant, multorum aliorum literis prædicentur, nolui hoc in loco diutius commorari. Propero enim ad nostra tempora, quæsi diligenter considerabitis, uidebitis profecto illos, non solum respondere iam maiorum gloriæ, sed etiã superiorum decora longè uincere. Esset autem infinitum totam Rempub. depingere, et omnia insti-

tuti

tuta, legesq; , pietatem in colendis religionibus, ſeueritatem in cohercendis delictis, bellicarum rerum peritiam, animorum magnitudinem, ciuium inter ipſos æquabilitatem, exponere. Quæ cũ anguſtia temporis prætermittere cogat, excerpam ex reliquis laudibus unã quandam partem, in qua uidere eſt, quàm bene de tota Germania mereri ſtudeant.

Fœdus Sueuorum publicæ pacis tutelam ſuſcipit.

Cum annis iam aliquot nullum ſatis magnum aut firmũ præſidium in Germania eſſet, aduerſus ſubitos tumultus, et quotidiana latrocinia, ciuitates Sueuorũ fœdus inter ſe ritè et Cæſare autore fecerunt. Id fœdus diu iam tanquã in ſtatione eſt, defendendæ publicæ trãquillitatis gratia. Multos improbos metu cõtinet, quoſdam etiã tumultus, armis & bello cõpreſſit. Quanta autem laus eſt, unã hanc nationem publicæ pacis tutelam ſuſcipere, et ſalutis omnium cauſa ſuas fortunas, ſuam uitam in diſcrimen adducere? Sed hoc planè diuinum eſt, quod cum publico iure imperium ſibi in alios uindicare poſſent, nã hoc ius imperij in terris ſemper fuit, cogere ad parcendum illos, quos tuis laboribus tegas & ſerues.

Iuſticia huius fœderis.

Sueui libertatem omnibus relinquunt, quibuſdã etiam bello uictis amiſſam reſtituerunt: et cum faciant infinitos ſumptus, laboresq; maximos ſubeant,

eant, nulla tamen commoda uicißim, ab his quos defendunt, recipiunt, ſuis fortunis publicos ſumptus tolerãt, ne cuiuis libertatem minuãt, ſuo periculo omniũ ſalutẽ propugnant. Quid honeſtius, quid moderatius cogitari poteſt, quàm ſine cupiditate arma tenere, et alios ita defendere, ut de libertate eorum nihil detrahas? Athenienſes accepimus aliquãdiu ad hunc modum Græciæ principatum tenuiſſe, ut cum permitterẽt alijs ciuitatibus libertatem, ipſi tamen in excubijs eſſent, ſuoq; diſcrimine omnes tuerentur. Ea in re inprimis magnum humanitatis, iuſtitiæ, et temperãtiæ exemplum ſuæ ſpecimen ſapientiſſima ciuitas præbuit, quod ſine cuiuſquã incõmodo publico pacem cuſtodijt. Cum autem ſummos honores Athenis, ob eã cauſam reliqua Græcia decreuerit, ſæpe enim miſſæ ex ſeruatis ciuitatibus coronæ, poſitæ ſtatuæ, data Athenienſibus ciuitas, pars agri, ſocietas ſacrorum et connubiorum, et hoc genus ornamenta alia: debemus et nos ſi non ingrati eſſe uolumus, pulcherrimũ beneficium Sueuicæ nationis amplißimis laudibus uehere. Nõ ſatis intelligimus, quantũ in pace inſit boni, ſi publicæ tranquillitatis cuſtodibus nullã gratiã habemus: Quoties enim paruos liberos adſpicis, quoties coniugem intueris, toties meminiſſe te oportuit, illorum incolumitatem

Athenienſes.

tatem aliqua ex parte te his debere, qui ocium no bis faciunt, cum aliarum honestarum rerum gerendarum, tum alendæ & educandæ sobolis.

Populus Romanus immunitate donat Græcos.

Populus Romanus, nõ sæpe uictis gentibus libertatem seu αὐτονομίαν cõcessit. Græcis id honoris habuit, post bellum cum Philippo Macedone gestum immunitatẽ donaret, et ut singulæ ciuitates suis legibus uiuerent, permitteret. Ea de re, cum decretum à Senatu populoq; Romano factum, T. Quintius Imperator in Nemeis, quo ex more ad spectaculum tota Græcia conuenerat, uoce præconum recitari iussisset, audissentq; gratissimũ præconium uniuersi, Dij immortales, quantis honoribus adfectus Imperator, quàm gratis sermonibus Romanum nomen celebratum est: Esse unam eam in terris gentem, quæ sua impensa, suo labore ac periculo pro libertate aliorum bellũ gerat, detq; operam, ne quod toto orbe terrarum iniustum imperium sit, & ubiq; fas, lex, potentissima sint, ita iudicarunt Græci, non aliud maius beneficium homines hominibus præstare posse, quàm quod accepissent à Romanis. Quid enim certa pace gratius est, præsertim si coniuncta sit cum libertate?

Quantum laudis & gratiæ mereantur Sueui.

Nõ minus igitur laudis in Germania merentur Sueui, qui suo præsidio pacem alijs gentibus sine iactura libertatis earum muniunt, quàm mere-

bantur, uel Athenienſes, uel populus Romanus apud Græcos immunitate donatos: Nã ter à Maximiliani morte Germaniam maximis periculis magna fœlicitate liberauerunt. Fauet enim Deus iuſta bella pro publica ſalute gerentibus. Quam grata nobis memoria Sueuici fœderis eſſe debet: Hoc enim ocium, quo frui nobis hactenus licuit, & hæc ſtudia, quæ omnia nobis de manibus excutiebantur, ſimul atq; aliquis motus bellicum canere cœpit, iſtorum armis defenſa ſunt. Quantum autem ſtudium rei militaris ſit in ea gente, quanta uirtus, quanta ſcientia gerendi belli, non ignoratis: Neq; enim alia natio celebriores duces habet.

Quales ſint domi.

Porrò cum foris Sueui et fortitudine incredibili, et ſumma iuſtitia in defendendis uicinis utãtur, quid dubitemus quales domi ſint? Niſi enim domi ciuitates haberent bene moratas, nec ſumptus, nec milites ſuppeterent: aut quomodo milites parere armati ſcirent, qui domi parere legibus non diſciſſent? aut quomodo tolerare militiæ difficillimum laborem, & graue Martis opus, ut Vergilij uerbis utar, ſi domeſtico ocio ac luxu effœminati eſſent? Habent igitur & ciuitates legibus ac iudicijs diligenter conſtitutas, & tranquillitatis urbanæ tuendæ cura non alibi maior eſt. Lex eſt enim in Sueuicis urbibus, ut ſi in rixa aliqui gla-

Lex de ſtrictis gladiis ſenera.

dios

dios strinxerint, ac uel puer, uel muliercula, procul etiam inclamans pacem imperet, capite punia tur, qui audito nomine pacis, insuper ferire audet. Cùm nulla tam sæuera lex in reliqua Germania sit, æstimari potest, quanta diligentia uulgus Sueuorum coherceatur. Et ad tranquillitatem urbium hoc quoq; facit, quod urbana multitudo minus aliquãto ocij habet, & frugalior est, quàm in uicinis nationibus.

Diuersoria & hospites.

Magnum ibi scelus est, & inusitatum, cõspici ebrium. In diuersorijs magna mundicies est, & fides hospitum summa, nec magis domi suæ peregrini, quàm apud illos tuti sunt. Quid autem gratius accidere peregrinanti potest, quàm talis hospes, ad quem tutum sit diuerti, apud quem securus acquiescat, qui comitate, qui mundicie itineris tædium leniat? Gẽs ipsa minimè idonea ad fallendũ, in primis gaudet fidẽ suã peregrinis probari. Sic inter suos etiam uiuunt, nulla diuturna odia sunt, nullæ insidiæ: quanquam enim ingenia sint ferocia, tamen facilè placantur, & quia nihil dissimulare didicerunt, insidiari non norunt.

Ingeniorum acrimonia.

Cæterum nõ deesse eis ingeniorum acrimoniam, inde adparet, quod celeberrimos, maximeq; strenuos mercatores habent. Neq; desunt ibi, qui & ament et colãt literas: Hæc enim natio Albertum

Albertus.

procreauit, quo ex nostris hominibus nemo uberiorē naturalium rerum cognitionem habuit. Nō nihil uerò laudis intulit eò et Capnio, uersatus in græcis et hebraicis literis difficilimis tēporibus, et cùm peregrinarum linguarum studia nōdum in Italia satis florerēt: Accepi enim ita Venetũ quèdam Oratorem olim de eo prædicasse. Nam cùm apud Cæsarem Fridericum Legatus sui Principis esset Capnio, cũq; Venetæ ciuitatis Oratoribus, qui per id tempus eò uenerant, frequenter esset, accidit aliquando, ut Capnio fortè pulcherrimè græcè scriptum Enchiridion noui Testamenti in manibus haberet: Quod cùm uidisset Venetus, et animaduertisset, non esse rudem græcarum linguarũ Capnionem, conuersus ad suos Collegas, ait: Videte quæso in Germania hunc uirum propter cognitionem literarum in admiratione esse, quas nostri tam pertinaciter cõtemnunt. Et nobilitauit egregijs monumentis Sueuiam Stofflerus Mathematicus, cum primis et diligens, et eruditus, cuius quid beneficio quotidie utimur, duxi eius hîc mentionē esse faciendam: Fastos enim multorum annorum cõfecit & digessit, in quibus cõponendis dici non potest, quantum laboris fuerit ei exhauriendum: Est enim immensi negocij, motus syderum exactè supputare. Nulla temporum discrimina, nullas

Capnio.

Stofflerus.

mensium

mensium uices nossemus, nisi hunc laborem uir ille optimus sumpsisset. Porrò simile quiddam pecudum uitæ fuerit, non habere descriptum annum in certa spacia, non arandi, serendi, plantãdi, aut aliarum rerum iusta tempora nosse. Habent & artifices ingeniosissimos: hi enim plasticen sculpendi artem, quæ prorsus amissa fuerat, renouarunt.

Sed desino omnia persequi, nam ego non omnes laudes, sed præcipuas Sueuicæ gentis recensere uolui. Magnam conmendationem habet generis nobilitas, & maiorum uirtus, nam ex bonis uiris natos, uerisimile est, aliquam paternæ uirtutis similitudinem referre. Audistis autem uetustissimos Sueuorum à Cæsare prædicari, & præclarum iudicium postea de Sueuis Germania atq; Italia fecerunt, quando ad eos Imperium detulerunt. Nostris uerò temporibus, nullo modo tenere tantas Respub. tamq; florentes & pacatas possent, nisi omnibus belli ac pacis artibus instructi essent, nusquam in urbibus tranquillitas maior, nusquã minus latrociniorum est, quàm in horum agris. Vicinis adeò nõ sunt graues, ut sæpe eos maximis periculis liberauerint, reddantq; procul etiã istis tuta omnia. Domi uerò pax perpetua multarum honestarum artium studia excitauit atq; alit: Quæ cùm ita sint, faucamus illorum laudibus,

eas q; sine inuidia prædicemus. Nam cum uirtute nihil melius aut pulchrius sit in quauis gente, iuxta meretur amari. Non enim Vnio minoris est precij argento insertus, quàm si in auro gestetur. Sed ut superbi atq; inhumani ingenij est, in prius ta consuetudine uitæ, se tantum mirari, & ita sibi arrogare omnia, nihil ut alijs reliqui faciat, ita iniustus est, qui suam gentem sic amat, ut nihil exteris tribuendum putet. Hoc potius admutuam inter nos charitat m, & beneuolentiam alendam faciet, si quæ in unoquoq; fuerint laude digna, ea candidè miremur, atq; complectamur. Dixi.

ENCOMIVM FRANCIAE, M. Irenæo autore.

NOBILITATE GENERIS, Virtute, & Dignitate præstanti, Danieli Stibaro, M. Irenæus S. D.

CVm nuper in patriam uenissem essi cij causa, uirum optimum, tuiq; amantißimum, Ioachimum Camerarium comitatus, adeò amanter à te excepti

exceptus sum, ut multum me tibi debere iudicarim. Quare cum significationem aliquam mei erga te studij extare uellem, tibi potißimum hanc oratiunculam de Franciæ laudibus dedicandam esse censui: quam eò tibi arbitrabar nõ ingratam fore, quòd his exercitijs & literarum studijs te præcipuè fauere scio. Nec uerò quidquã hoc tuo loco atq; ordine, cùm in Reipub. gubernatione uerseris, dignius est, quàm ciuium studia excitare, & literas tueri atq; ornare. Intuetur in te iuuentus in patria, tuamq; autoritatem existimat literarum studioßis magno præsidio esse. Nisi enim tui similes uiri præstantes uirtute & autoritate, literis opem ferrent, quæ barbaries, quanta uastitas ad posteritatem futura sit, ipse optimè intelligis. Itaq; hanc oratiunculam ita tibi mitto, simul ut patrocinium meorum studiorum tibi commendem. Nihil dulcius, inquit Homerus, unicuiq; esse, patria sua: Quare nemo non fauet suæ patriæ prædicationi. Sed cùm tam tenuis oratio argumenti amplitudini nequaquam respondeat, fortasse consilium editionis huius multi reprehendent. Nec id ego ambitiose defendam, illud tantum opto, exercitationem hanc meam, & in dedicando officium, tibi probari.

Bene uale.

DEtsi uereor, ut satis uerecundè fecè re uidear, quòd in hunc ornatissimum cœtum doctissimorum iuuenum produci me patior, cum neq; à doctrina, neq; ab eloquentia ita instructus sim, ut aliquid afferre possim dignum uestris auribus, tamen quoniam scitis nos authoritate præceptorum cogi, ut in hunc locum prodeamus, quam detrectare nobis non est integrum, peto à uobis, ne me fiducia ingenij, sed officio adlectum, hoc onus suscepisse iudicetis.

Cùm autem hæc ipsa declamandi consuetudo potestatem nobis faciat de uarijs rebus dicendi, ego quoq;, cum authoritate præceptorum mihi hæc partes mandarentur, non incommodè me facturum existimabam, si de patriæ meæ, Franciæ uidelicet, antiquitate et laudibus quædam colligerem.

Etsi autem uidebã historiam nostræ gentis multò esse longiorem, quàm ut una oratione explicari posset, tamẽ quia sciebam hãc totam declamandi consuetudinem ideo institutam esse à præceptoribus, ut adolescentum ingenia exerceãtur, & ad res maiores præparentur, malui operam sumere in colligendis patriæ laudibus, quàm in alio quodã argumento. Primum enim neminem tam inhumanum aut ferreum esse existimo, qui non intelli

Franciæ laudes

gat quæ

gat qualecunq; ſtudium ornãdæ patriæ bono uiro dignißimum eſſe, quemadmodum et Poëta inquit:

Et pius eſt patriæ facta referre labor.

Deinde cum multarum utilitatum cauſa ſummo ſtudio peregrinæ hiſtoriæ inquirantur, quanto magis decet nos operam dare, ut domeſticas cognoſcamus? Nam hæ magis afficiunt animos noſtros, propterea, quod ſicut aliarum rerum, ita etiam gloriæ maiorum noſtrorum hæreditas ad nos pertinet. Magis autem afficimur noſtris bonis, quàm alienis. Minimè igitur negligenda ſunt nobis domeſtica exempla, præſertim cum multi Francorum Principes omni uirtutum genere ita excelluerint, ut cum præſtantißimis ueterum Regum conferri poßint. Prodeſt eò etiam res maiorum tenere, quia in hoc Imperij forma, multa ex recentioribus hiſtorijs iudicari ſolent, in controuerſijs iuris publici, & religionum. Francorum principum excellentia.

Sed initio ueniam à uobis peto, ſi expectationi ueſtræ nõ ſatisfacere potero. Eſt enim perdifficilis noſtrarum hiſtoriarum explicatio. Nã ſi Græcas aut Romanas hiſtorias recitarem, quanto me labore leuarent eloquentißimi & ſapientißimi ſcriptores, à quibus et res et genus orationis mutuari poſſem? In noſtris autẽ res procul ex uarijs et indiſertis ſcriptoribus quærendæ ſunt. Deinde

& in elocutione mihi sudandum est: Carent enim literarum lumine, ac plærag; res honestæ indignis modis contaminatæ sunt scriptorum ineptijs.

Has difficultates cum animo prospicerem, diu mecum dubitabam, an hoc argumentum pertexerẽ: sed uicit amor patriæ, ac perpulit, ut hæc qualiacunq; colligerem, Idq; eò feci libentius, quòd sentiebam me mirificam capere uoluptatem, ex tractatione huius argumenti, & cogitatione uirtutis maiorum nostrorum, à qua cum considero quantum Germanici Principes hac ætate degenerarint, non possum non deplorare horum temporum infœlicitatem. Nam maiores eorum non solum uiribus, quæ non desunt nostræ ætati, sed multò magis animi magnitudine, consilio & concordia fines Imperij protulerunt, & barbaris nationibus domitis totam Europam pacarunt, et pacè legibus, disciplina, religione munierunt, & ornarunt, fuitq; tanta admiratio sapientiæ, iusticiæ & fortitudinis eorum, ut exteræ nationes nullis Regibus salutem suam cõmittere mallent, quàm nostris. Quã ob causam Italia illud augustum nomẽ summi Imperij à Græcis ad nostros homines transtulit. Hos uoluit esse duces publici consilij inter omnes Reges, & præcipuos custodes, non solùm regnorum omnium, sed etiã Ecclesiæ, quibus inuisis

ejus

eijs quid potest ullis Regibus contingere gloriosius? Hoc igitur decus nunc adeo non tuemur, nõ solum ut foris non retineamus antiquam Imperij possessionem, sed ut Turcas in Germania, & ob oculos nostros impune grassari sinamus. Interim plerique aut per ignauiam dedunt se uoluptatibus, aut impediti priuatis adfectibus, nõ referunt consilia sua ad cõmunem salutem, quod Principibus uiris & heroico genere indignissimum est. Has querelas dolor mihi expressit, & si sciebam eas non congruere orationis exordio.

Cùm autem deceat nos Germanos uerè Germanos, & mutuo amore deuinctos esse, spero uobis quoq; Franciæ laudes nõ ingratas fore, cum hæc natio communi Germanico nomini magno sit ornamento, & multas res gesserit, quibus Germaniam reddidit illustriorem. Ego quoq; nostros homines ita ornabo suis præconijs, nihil ut de aliena laude decerpam, sed potius ex Francicis aliqua præconia ad alias nationes deriuabo.

Gentium origines ad quos relatæ.

Equidẽ non ualde improbo studium illorũ, qui ignotas gentium origines, ad clarissimos heroas, aut etiam cœleste aliquod numen, ut ipsi loquuntur, referũt, ut cogitet posteritas, diuinitus cõstituta esse regna, amet patriã, maiore cura defendat leges à maioribus acceptas, ipsis etiã Regibus, tã

quam

quam propagatis à diuina ſtirpe, numen aliquod ineſſe exiſtimet. Nã et ipſe ita ſentio, regna diuinitus conſtitui, nec gentem ullã, aut Regem, ſine cœleſti motu atq; adflatu, Reſpub. fundaſſe, et legibus ac diſciplina muniſſe, et ſaluti poſteritatis fœliciter cõſuluiſſe. Hæc enim ſunt cœleſtia beneficia, quæ Deus per ſummos heroas impertit humano generi, ut et ſacræ literæ docẽt, et ſapientiſſimi Philoſophi fatentur. Ita Lacedæmonij, cũ haberẽt Reges ab Hercule ortos, diligenter cauebãt, ne qui propagati ab alia ſtirpe ſuccederẽt. Fuit & Macedonicis Regibus Hercules generis autor. Sed omitto exẽpla, quæ ſunt innumerabilia.

Francí regnum in Gallia conſtituerunt.

Cum autem Frãci tantos habuerint ſucceſſus, et regnum in Gallia conſtituerint, quod legibus & inſtitutis longè præſtat omnibus regnis totius orbis terrarũ, nec uerò aliud ullum regnũ hodie eſt antiquius, ubi una gens poſſeßionem ſui regni, & quaſi ſedem maiorum ſuorum diutius tenuerit, quid dubitemus diuinitus excitatã eſſe hanc gentem, & heroica uirtute ac fœlicitate tantis auctã incrementis? Hoc cõſilio arbitror quoſdã ad Hectorem retuliſſe Francorum originem. Sed hæc fabuloſa omittamus, dum illud tamen teneamus, Deum fuiſſe Ducẽ huic genti, in auſpicijs regni, & maximis rebus gerẽdis, et ſubinde heroicos uiros

in hac

in hac natione extitisse, quorum singularis fuit uirtus & fœlicitas. Sunt autem heroicæ naturæ initium ueræ nobilitatis.

Verum si quid in uniuersum habet cõmendationis patria: Francos uetustißimos scitote non peregrinam in Germania, sed uerè Germanicam gentẽ esse. Sunt autem propriæ quædã dotes, ut aliarum gentium, ita Germanorum. Existimantur esse aperti, ingenui, amãtes candoris, et ueritatis, constantes, tenaces promissorum, reuerentes religionum, excellunt fortitudine, et inprimis delectantur gloria militari, abhorrent à crudelitate, & à fœdis libidinibus. Si qua igitur nobilitas est, quã in cõmune habet gens Germanica, aliquid laudis adferet Francis patria. Adeo enim non fuerunt dißimiles cæterorum Germanorum, ut aliquibus uirtutibus etiam reliquas nationes superarint. Germaniæ dotes.

Sed quam initio regionem tenuerint, dicendum est. Porro ut in iudicio finium regundorum adiudicatione cõtrouersia dirimitur, cum certi fines ostendi non possunt, ita gentium sedes, cum origo ignota est, pleriq; attribuunt ijs locis, ubi gentes rebus gestis magis inclaruerunt. Constat Francos moto bello aduersus Romanos, late in secunda Germania uagatos esse. Ideo quidã sedes eis tribuerunt uicinas Sicãbris et Caucis, id est, Geldris et Fri- Sedes Francorũ

et Frisijs. Itaq; sub Cõstantino scribũtur occupasse Batauiam, et pyraticam in mari exercuisse, & lõgè lateq; Galliæ littora populatos esse. Sed mihi posterius descèdisse propius Belgicũ uidentur, ac propemodum adsentior ijs, qui certã tribuunt sedem in ripa Germanica, supra Coloniã Agrippinã, in ea regione, quam Catti tenuerunt, siue ea est Hassia, siue etiã uicinia superior, ut ex Ptolemæo apparet, quæ nunc habet Franciæ appellationem. Inde prolatis Imperij finibus, partim Mœni ripã occuparunt, partim effusi sunt in Vbios ac in Belgicum, unde sæpe repulsi à Romanis Imperatoribus, tandem tamen in Galliã peruaserunt.

Aurelianus Imp.

Nã Imperatorum primus Aurelianus cum Francis ad Moguntiam conflixit, cum nondum procul à patria discessissent. Quare credibile est, Francos tenuisse initio loca, non longè distantia à Moguntia. Postea latè uagati circa Coloniam Agrippinam, penetrarunt in Vuestualiam. Proinde Marcellinus Francis adiungit Camauos, quos fuisse Vuestualorum partem constat.

Apparet & ex Ausonio, has gentes non procul dissitas fuisse, cum ait:

Accedent uires, quas Francia, quasq; Camaues
Germaniq; tremãt, tum uerus habebere limes.

Inde progressi, populis ad Albim usque imperarunt.

runt. Quare Claudianus inquit:

Vt iam trans fluuium non indignante Cayco.
Pascat Belga pecus, mediumq; ingressa per Albim
Gallica Francorum montes armenta pererrent.

Iulianus. Cõflixit et Iulianus cum Francis ad Iuliacum. Itaq; sedem huic genti supra Vbios tribuimus seu in Cattis, seu in uicinia. Postea infra Coloniam Agrippinam latè uagata est. Quod uerò pars Francorum, Salingi uocabantur, recentior est appellatio illorum, qui à Mœno ad Salæ fontes progressi, penetrarunt in Turingiam, et cum Turingis diuturna bella gesserunt: Ptolemæus enim ad Salam collocat Tyriohemos, quos esse Turingos nomen ipsum testatur.

Nomen generale Francus. Porro nomen uidetur fuisse non unius gentis, sed multarum, quæ cõiunxerunt se ad defendendã Germaniæ libertatem: Constat enim hodie Francum dici liberum, à nostra appellatione, die freien ancken, id est, liberi iuuenes, sicut nunc appellamus milites, die freien knecht. Ergo siue una gens fuit, siue multarum nationum bellicosissimi homines, apparet libertatis authores extitisse, non procul à Rheno & ab Vbijs, homines excellenti uirtute & iustitia præditos, qui Imperium Romanum, quod illis temporibus erat alioqui tranquillum, & toti orbi terrarum formidabile, lacess-

laceſſere armis auſi ſunt, & repreſſi toties, nunquã tamen animis fracti, fortunæ aut uirtuti Imperatorum ceſſerunt. Nec uerò ulla gens dimicauit cum præſtãtioribus imperatoribus quàm Frãci. Quæ enim ætas habuit duces bellicoſiores, quã fuerunt Aurelianus, Probus, Diocletianus, Maximinus, Cõſtantius, et Conſtantinus? Horum uirtute et fœlicitate cum aliæ prouinciæ tumultuantes facile reuocarentur ad officium, tamen Franci etiam uicti, iugum nunquam acceperunt, nunquam arma abiecerunt, tantus amor patriæ fuit, tantum ſeruitutis odium. Quanta igitur uirtus in maioribus noſtris fuerit, inde facile æſtimari poteſt, quod ut Romani bellum cum Carthaginenſibus de Imperio uaria fortuna, annos circiter quadraginta, ſed per interualla geſſerunt, ita Franci Romanos, toti iã orbi terrarum dominantes, armis exercuerunt annis amplius centum, inde uſq; ab Aureliano ad Theodoſium, donec nõ modò libertatem recuperarunt, ſed etiam potiti Galliis, Belgica et Celtica, poſt Theodoſium regnare ibi cœperunt. Nec minus negocij fuit tueri poſſeſſionem Galliarum, cum ferociſſimæ nationes eã appeterent, Burgundi, Alemanni, Hunni, quàm antea fuerat, eripere eas Romanis. Quare niſi fortitudine, ſcientia rei militaris, tolerantia laborum, demiſ-

Bella Francorũ

denique etiam iustitia et disciplina excelluissent, tã ta certamina tot annorũ sustinere nõ potuissent.

Recensui opinionem, de Francorum ortu, et auspicijs regni Francici, quæ maximè probatur eruditis. Cum autem nõ modò Belgicum inuasissent, sed etiam à Moguntia progressi, occupassent uicinas Mœni ripas, fuit ea regio propria Frãcorum sedes in superiore Germania, quam aduersus Alemãnos, qui Sueuiam & Heluetios tenebant, non sine acerrimis prælijs defenderunt. Itaq; illa Francorum arx opposita Alemannis, retinuit Franciæ nomen. Hæc est causa, cur Regio ad Mœnum Frãcia et etiamnum adpelletur. Sed Auentinus negabat Francos ad Mœnum nouos esse colonos, et sentiebat hos esse primos autores gentis, hanc esse ueram patriam gentis Frãciæ, propterea quod Strabo ξρέγχους ponit inter Noricos & Vindelicos, quo in loco & Suetonius Brencos fuisse testatur, inde paululum progressos arbitrabatur ad Mœni ripas, et deinde Romanis bellis in Belgicum pertractos: à qua sententia profectò non multum abhorreo, nec inuitus hunc honorem tribuo nostris ciuibus, ut αὐτόχθονας, non colonos ex alijs ortos gentibus, esse existimem. Contendebat etiam Auentinus apud Ptolemæum pro Brennis, quos inter Noricum & Vindelicũ collocat,

Auentinus Francos dicit αὐτόχθονας.

Parthenius. legendum esse βρέγχους. Et citatur Parthenius autus scriptor, qui Francos ait esse ἔθνος ἀλπέων.

Sed plus laudis est in uirtute, quàm in origine. Cum igitur res gestæ ostendãt fuisse gentis Francicæ excellentẽ uirtutem, simus hac laude cõtenti, et de generis origine disputare aliquãdo desinamus.

Franci socii Imperatoris Romani. Occupata Gallia, fœdus cum Romanis sub Iustiniano fecerunt, quare non modò belli iure, sed etiam ex fœdere Galliam tenent. Et uirtute ac fide perfecerunt, ne Romanos pœniteret societatis Francicæ. Nam Attila Francorum auxiliis ingenti prælio uictus, & ex Narbonensi Gallia expulsus est, quam adhuc Imperatorius præfectus Aetius tenebat. Testantur igitur historiæ, Francos tunc socios Romani Imperij, non uectigales factos esse.

Accedit ad ueterum Francorum laudes hæc quoq; , quod cum audissent doctrinã Christianam de uero cultu Dei, & admoniti agnoscerent barbaricos ritus et εἰδωλομανίαν plenam esse turpitudinis & sceleris, cupidè amplexi sunt Christianam religionem, eamq; magna pietate coluerunt.

Quomodo ad Christianam religionem uocati fuerint. Nec sine cœlestibus signis ad pietatẽ uocati sunt. Nam Ludouicus, qui primus inter Reges amplexus est Christi doctrinam, hoc signo confirmatus esse fertur: Habebat coniugem Christianam, quæ

cum

eùm eum sedulò hortaretur ad ueri Dei agnitionem, & commemoraret, nullam esse uirtutem digniorem Regibus, quàm uera pietate Deum colere, etsi inflexit eius animum, tamen non statim persuasit, ut baptismo initiaretur. Gerebat autẽ Ludouicus ille bellum cum Alemannis perdifficile, cumq; in postrema pugna, quæ supra Coloniã Agrippinam commissa est, turbata & inclinata Francorum acie, victoria uideretur penes Alemãnos futura esse, ibi Ludouicus clypeum ad cœlum tollẽs, inspectãte exercitu, Christum inuocauit, et Deum confessus petiuit, ut ostenderet se exaudire inuocantes, et profligaret hostes, uotumq; fecit, se statim parta uictoria, baptismo initiaturum & se et exercitum, deinde fugiẽtes reuocauit. Testatus igitur Christus se implorãtes opem ab ipso iuuare, reddidit animos militibus, ac restituto prælio, tanta strage Alemanni uicti sunt, ut deditione facta, Frãcis parere cœperint. Hoc initium fuit Regibus Frãcicis colendæ pietatis Christianæ, circiter annum Christi 480. quam quidẽ postea annos amplius mille, tanta constantia retinuerunt, ut Ecclesiæ Christianæ sæpe dubijs temporibus magno præsidio fuerint, eamq; ob causam Christianissimi appellati sint. Nec armis tãtũ defenderũt religionem, sed multò magis ornarunt eam scho-

Reges Franciæ Christianissimi.

lis, & propagatis studijs in Gallia & Germania.

Quomodo eorum creuerit potentia.

Hactenus de auspicijs regni Francici, & quasi de prima ætate dixi. Posteri deinde non solum retinuerunt partas opes, sed etiam auxerunt, ac nō modò potentia creuit, sed etiam accesserunt maiora studia ciuilium artium, religionis, doctrinæ, iustitiæ, disciplinæ. Itaq; cùm facilè æquitate et lenitate Imperij pacem domi tuerentur, foris ad communem Europæ defensionē bella necessaria gerebant. Carolus Martellus repressit Saracenos, delecta ingēti eorū multitudine, adeò ut Hispaniæ partem tunc amitterent. Pipinus pacauit Italiam, et

Parlamentum.

Parrhisijs constituit curiam iudicum, quā uocant Parlamentum, quo nullū est sapientius, ac melius constitutum iudicium toto orbe terrarum. Ab his summis uiris ortus Carolus Magnus, auxit auitā et paternā gloriam. Neq; enim tantum armis pacauit Italiam, sed etiam domitis Lōgobardis iura et leges dedit, ut ad posteritatē Italia quieta esset.

Cùm igitur appareret Francicos Reges, et magnitudine Imperij, & uirtute cæteros Reges in Europa uincere, essetq; aliquo custode publicæ trāquillitatis opus uniuersæ Europæ, ac præcipuè Italiæ, cuius possessione Græcos Longobardi depulerant, bono consilio Romana Ecclesia Carolum appellauit Imperatorem, ut ei defensionem

Italiæ

Italiæ atq; Eccleſiæ commẽdaret. Quod autem il luſtrius teſtimonium uirtutis Francicæ cõmemorari poteſt, quàm hæc iudicia exterarum nationum, quæ non modò auxilium à Francis implorauerunt, ſed etiam exiſtimarunt ſe illis imperantibus libertatem ſuam poſſe retinere? Quare magnam fuiſſe iuſticiæ opinionem de noſtris hominibus neceſſe eſt. Fertur illud Græcum, τὸν φραγκον φίλον ἔχε, γείτονα δ' οὐ. acutè fortaſsis: Nam creſcentem Francorum potentiã formidabãt Græci. Sed tamen Italia non amicũ modò ac uicinum, ſed etiam dominum habere Francum propter uirtutem et æquitatem Imperij, non recuſauit. Vt autem Carolus belli gloria par fuit ſummis Imperatoribus, ita pacis artibus optimos æquat Principes. Academiã Bononienſem, antea à Theodoſio conſtitutã, inſtaurauit, duasq; nouas ipſe addidit, alteram in Italia Papienſem, alteram in Gallijs Parrhiſienſem, ut ferè extincta optimarũ artium ſtudia rurſus excitaret, et doctrina religionem ac Reſp. muniret et ornaret. Nec uerò obſcurum eſt, quàm præclarè meritus ſit de toto orbe terrarum his ſcholis cõſtitutis, quarum præcipua opera iã annis ſeptingentis cõſeruatæ ſunt literæ. Hæc eſt uera laus ſummi Principis, pacẽ reſtituere, religionem, iuſticiam, diſciplinam tueri, ornare, et ad po-

Iudicium exterarum nationum de Francis.

Carolus inſtaurat Academias

Vera laus Principis.

steros propagare. Quàm dissimiles sunt ab hac imagine exercitus illi, qui his proximis annis Italiam fœda populatione dilacerarunt, nec gerunt bella hoc fine, ut posthæa religiones, & literarum studia excitent, sed ut æternam barbariem & uastitatem efficiant. Quanto fuerunt fœliciora Francorum Imperia, qui saluti omnium gentium consuluerunt, & religionem ac literas magna cura prouehere conati sunt.

Tertia Francorum ætas.

Sequitur tertia Francorum ætas, cùm Gallia à Germania auulsa est, post id tempus fuerunt tamè in Germania Francorum Duces, qui uetustam Francorum sedē in utraq; Mœni ripa, & magna parte regionis Rhenanæ tenuerunt. Nam Francia nostra olim aliquantò latius patuit, nunc ferè Scalæ non figuram efficit, cuius latus Septentrionale porrigitur ab ortu uersus occasum, à Salæ fontibus usq; ad ostium Mœni in Rhenum influentis. Latus Meridianum ab ostio Mœni ad flumen Altmylium, à Meridie magna ex parte præcingitur sylua, quæ à uastitate nomen habet. Orientale latus ab Altmilio ad Salæ fontes porrigitur iuxta montes Sudetes. Nec procul recessit à ueteribus uicinis, quorum Strabo fecit mentionem. Nā & hodie Vindelicos à Meridie attingit, & ferè ab ortu aspicit Noricum. Habet ad Mœnum sitas

metropolis,

metropoles, Bambergam, Vuirceburgum, et Frã cofordiam. Hic tractus in ripa Mœni hodie retinet in Germania Franciæ nomen. Olim bona pars ripæ ad Rhenum à Spira usq; ad Coloniam uocabatur Franciæ Ducatus. Moguntiæ enim quisp iam è uetustißimis Ducibus sepultus est, cui nomen Meingos, et Cunradus, qui cõdidit templum Spirense, nõ procul à Spira regiam habuit Lympurgam. Franciæ ducatus.

Peperit autem & hæc tertia Francorum ætas laudatißimos Principes, Henricum Bambergensem, qui Belgicum recepit, & expulit Italia Saracenos: deinde Cunradus recepit Burgundiã, & eam Imperij partẽ, quam uocãt Arelatensem, & domuit Pannonas. Posteri eius, artificijs Pontificum Romanorum, impliciti sunt ciuilibus bellis, sed tamen res gesserunt maximas. Henricus quartus sæpius acie dimicasse scribitur, quàm C. Cæsar. Postea extincta stirpe Ducum, nostra nobilitas et ciuitates, ne externos dominos acciperẽt, neúe libertatem suam amitterent, summum Principatum magna ex parte transtulerunt ad Episcopos, quorum diu fuerunt æquiora Imperia, & minus periculosa libertati: Pars regionis et Buggrauijs Noribergensibus parere cœpit, inuitata, ut opinor, & nobilitate & uirtute familiæ. Nam Principes. Episcopi.

Burggrauii. Burggrauij Guelfis orti sunt, qua uix est ulla uetustior in Germania nobilitas, fuitq; par nobilitati uirtus: possem enim commemorare multos, qui res maximas gesserunt, sed prætereo cæteros. Alberti fortitudo & fœlicitas in prælijs tanta fuit, ut germanici Achillis cognomine celebretur.

Quales hodie Franci. Nec uerò extincta sunt in nostris hominibus studia uirtutis, etiãsi fata Imperiũ Europæ ad alias gẽtes trãstulerũt. Nã equitatus Frãcicus, peritia rei militaris, disciplina, fortitudine, genere armorũ, non cedit reliquis nationibus germanicis, quæ equitatu pollẽt. In ciuitatibus iudicia legibus, & iure cõstituta sunt, gẽs ipsa cũ natura amat cãdorẽ, fidẽ, iustitiã, liberalitatẽ, tũ uerò domestica & publica disciplina ad uirtutẽ, & omnia humanitatis officia assuefieri solet. Cumq; ingenia sint minimè fucata, uix inuenias alibi firmiores amicitias.

Laborios. Etsi autem in tanta corruptione publicorum morum, ubiq; plurimum est uitiorum, tamen ubi minor est ignauia, cõsuetudo laboris multa uitia arcet, & adfert hominibus duriciẽ, ut minus appetant inconcessas uoluptates, & luxum. Est autem utraq; Mœni ripa admodum ferax & culta, quare Franci agriculturæ dediti sunt. Hoc durati labore luxum aspernantur, ac magna ex parte est, ut ille inquit.

Nostri

Nostra operũ patiẽs, paruoq; assueti iuuentus. Nõnulli et mercaturã exercẽt, sed magis crebrò œconomicam, quæ uitæ necessaria est, et plena humanitatis. Quid enim est laudabilius, & uitæ utilius, quàm deuinciri inter se homines mutua rerũ necessariarum cõmunicatione? Huius rei copiam soli fertilitas suppeditat, quod frumenti tantũ gignit, ut uicinis etiam impertiamus. Vinum autem uberius apud nos nascitur, quare procul in regiones longinquas euehitur. Pro hoc, salem & metalla nostri reuehunt. Etsi autem uenæ auri atq; argenti apud nos interdum inueniuntur, tamen nostri contenti agricultura, nõ scrutãtur eas. Ferrũ tantum eruunt, & excoquunt, quod magis necessariũ est ad uitæ usus, & copiosius gignit nostra regio. Extrema ora horridior est, itaq; pleris q; locis re pecuaria sustentãtur homines. Noriberga uerò, nam hanc quoq; in ora Franciæ rectè collocari arbitror, floret cum excellentium artificum frequentia, tum mercatura, quæ non absimilis est œconomicæ: Euehit enim artificum opera, nec sine hac negociatione suppeterent artificum officinis sumptus. Quare & hoc genus mercaturæ à Platone laudatũ, et autoritate legũ indigestis grauissimè cõprobatum est. In agro Bãbergẽsi mira est hortorum amœnitas & fertilitas, in quibus

Mercatura œconomica apud Francos.

Ager Bambergẽsis.

si non, ut in Alcinoi hortis, punica mala, fici, & oleæ nascuntur, tamen ingens est copia multorum fructuum, qui uitæ sunt utiles. Et ut cæteros omittam, latissimos campos γλυκυρίζα occupat, cuius magnus est usus in multis remedijs. Cumq; gentes propius ad Arcton accedentes, propter frigoris et intemperantiam habeant crebriores tusses, & destillationes, & pulmonum incommoda, quibus medetur maximè γλυκυρίζα, multum debet uicini nostræ regioni, quæ remedium eis præsentissimũ suppeditat. Est & ars ac ratio colendi digna admiratione, quæ adhibetur in plantanda, & propagãda γλυκυρίζα: Certat enim ars cum natura mirifica æmulatione.

Saltus & fluuina.

Hactenus de gentis ingenijs ac moribus, & de soli bonitate breuiter dixi, quæ Physicam habet causam non obscuram. Vt enim cæteræ regiones, quæ tanquam ualles præcinguntur montibus ac iugis, melius irrigantur defluenti ex saltibus pingui humore: ita & Francia fit uberior, procinctis hinc saltu Turingico, istinc saltu Suenico. Et irrigatur fluminibus ambitiose eam peruagantibus, Mœno, Tubaro, Laso, Regnicio.

Cœlum.

Nonnihil & cœlestes causæ adiuuant soli bonitatem, & hominum ingenia. Cum enim Ptolomæus uniuersæ Germaniæ attribuat primum trigonum,

gonum, uidelicet Arietem, Leonẽ, & Sagittariũ, ac adiungat ὁμοδεσποτοῦντας Iouẽ & Martem, horum uis maxima est in media Germania. Francia autẽ ferè umbilicus est Germaniæ. Quare & solum minus est horridum, cum à Ioue, et ut oppositi trianguli natura fecit, à Venere temperetur. Et studia mores q; hominum non obscurè imitantur Iouis et Martis naturam: Sunt enim in gubernandis ciuitatibus acres et industrij, leges et disciplinã, si qua natio, nostri maximè amant, ignauiam iudicant esse turpissimã: quare nobilis iuuentus militiæ cupida est, et passim castra sequitur. Nec domi ætatem in ocio agunt, sed habent assidua equestria exercitia. Est item Francia sinistro humero Bootis recta subiecta, qui agriculturæ studium excitat: & quoniam aliqua ex parte refert Mercurij & Saturni naturã, addit uim ingenijs. Proinde non solum in uulgaribus, domesticis, aut ciuilibus negocijs, singularis est in nostris dexteritas, sed etiã in literis et reconditis artibus multi excelluerunt, quos enumerare lõgum esset. Sed tamen silentio præterire illos, quorum extant monumenta utilia Reipub. esset hominis ingrati.

Regiomontanus.

Quis uestrum nõ amat nomen Regiomontani? quis nõ ueneratur eum, ut numen aliquod diuinitus in terra missum, ad instaurandam ueram Philoso-

losophiã de motibus cœlestibus? Nullius enim industria plus præstitit in eo genere doctrinæ restituendo, quàm Regiomõtani: qui cum ingenio, & eruditione in Mathematis excelleret, uideretq; sine cognitione Græcarum literarũ præstãtissimos scriptores Mathematum non posse intelligi, dedidit se Græcæ linguæ, ac secutus Bessarionem Græcum Cardinalem in Italiã, magna cum laude ibi et docuit suam Philosophiã, et homines græce doctos uicissim audiuit, lustrauit bibliothecas, inquisiuit optimos autores, ut Ptolemæo, quem illustrare cupiebat, situm et squalorem detergeret. Itaq; magna uarietate monumentorum nos instruxit, enarrauit autores ueteres, difficiles artis quæstiones agitauit, ædidit tabulas, ut posteritas retinere artis possessionẽ posset. Porro doctos homines intelligere decet, quãtum sit beneficiũ, tradere doctrinam de motibus cœlestibus. Amissa enim uera anni descriptione, qualis barbaries, quantæ tenebræ in historijs, religionibus, imò in omnibus uitæ actionibus secuturæ essent? Quare Regiomõtano gratiam omnes gentes debent, nosq; ipsius causa Franciã, in qua tãtum ingenium natum est, magis amare decet. Cumq; hæc natio minimum habeat seruilium ingeniorum, in studijs etiam ostendit ingenuitatem, odit sordes & aucupia, quæstus in

literis

literis: ac plurimi amplectuntur honestas artes, doctrinæ ac ueritatis amore. Ideo multi apud nos etiã in ijs artibus excelluerunt, quæ uulgò iacent spretæ, quia nõ faciunt, ut dicitur πρὸς τὰ ἄλφιτα. Et quoniã nostri sunt inprimis κοινωνικοὶ, eruditi non solùm suæ oblectationis causa doctrinam colunt, sed liberaliter impertiunt alijs etiam ea quæ didicerunt. Virtutem esse ducunt, operam ad propagãdas et conseruandas artes cõferre. Itaq; nunc Schonerus magno cum labore prouehit Mathemata. Quàm multos in hac parte Philosophiæ excellentes Noriberga genuit? cuius ciuitatis genius peculiariter fauere huic Philosophiæ uidetur. Clari sunt æditis monumentis Pircamerus, et alter Vuernerius, quem uerè artificem fuisse, eruditißimæ ipsius obseruationes de motu octauæ spheræ testantur. Noriberga.

Sed dicã de alijs artibus. Poëticam in Germania excitauit primus Cõradus Celtis, natus in nostra Francia: qui cum uenam satis haberet fœlicem, et esset expolitus ijs literis, quibus ad carmen cõponendum opus est, non cõtentus uulgari eruditione, adiunxit Philosophiã, et cum excitandæ iuuentutis causa, tum uerò etiam erudiendæ, paßim referfit sua Poëmata Physicis & Astronomicis locis: Hæc argumenta uel præcipuè conuenire poëma- Conradus Celtis Poëta.

poëmatis rectè sensit, norat enim uetera exempla Hesiodi, Empedoclis, Arati, Manilij, uiderat & luculentum poëma recens Pontani. Quare & sibi & patriæ honestum fore putauit, si & ipse in uersibus Philosophiam complecteretur.

Huttenus. Habuit recentior ætas Poëtam summo ingenio Huttenum, qui nisi immatura morte extinctus esset, ad scribendi facultatem plus eruditionis & iudicij adhibiturus erat. Sed quanta in eo uis ingenij et naturæ ubertas fuerit, ostendunt & in inueniendo acumen, & in explicando uerborum splendor & copia.

Prætereo plurimos, quorum eruditio et ipsis decus, & patriæ ingentes utilitates attulit. Sed facerem iniustè, si non in hac commemoratione laudum patriæ complecterer, præceptorem meum, Ioachimum Camerarium, præsertim cum nō solum eius studia, sed etiam optimi mores exemplo nobis esse debeāt. Neminem enim uidi, in quo magis luceret id, quod propriè uocatur ἦθος, hoc est, quædam à uera ratione profecta in omni actione moderatio, quàm in isto. Cumq; iustitiæ, reuerentia religionis, et continentia eximia præditus sit, tum uerò maximè eminet in eo amor ueritatis, quæ uirtus homine Philosopho maximè digna est. In disciplinis uerò totum orbem artium com-

Camerarius.

um cõplectitur, nemo ex nostris hominibus græ-
cè doctior est. Quare pari facultate græcè et lati
nè, carmen et solutam orationem scribit. Et hanc
scribendi facultatem consumit non in materijs
uulgaribus, sed Philosophicis, ædidit eruditißima
poëmata, Aeoliam & Phænomena. Quanta au-
tem uirtus est, quod hanc suam industriam con-
fert ad publicam utilitatem, et ad iuuanda studia,
& ad ornandam Christi Ecclesiam? Ac ne qui-
dem in cæteris rebus deest eius officium Reipub.
Cum prudentia & diligentia excellat, multa ciui
lia negocia sustinet. Hunc et in instituenda studio-
rum ratione, & in moribus imitandum nobis pro
ponamus. Neq; enim minus ornamenti literis ad-
dit ipse uitæ sanctitate, quam ei peperit eruditio.
Porrò nimis prolixa futura esset oratio, si recen-
sere omnes conarer. Quare etsi prætereo cæte-
ros, tamen animo tacitus ueneror omnes, qui ali-
qua egregia uirtute de hominum uita, & de pa-
tria bene meriti sunt.

Hæc de Frãciæ laudibus collegi, nihil detrahens
de aliarum gentiũ gloria, quare ut meã orationẽ
boni cõsulatis, uos etiã atq; etiam oro. Existimabo
autem me non exiguum operæ precium feciſſe, si
quis hæc encomia audiens, magis amabit Franciã
uel propter cæteras dotes, uel quia tot lumina

docto-

doctorum uirorum, qui de omnibus gentibus bene meriti sunt, genuit. Cumq; nomẽ Francicũ initiò multis gentibus cõmune fuerit, hæ laudes ad alias nationes etiã aliqua ex parte pertinent. Itaq; optò, ut alãt mutuã inter nationes beneuolentiam, nõ accendãt odia, quæ debent abesse à Germanis, quos ipsa appellatio Germanitatis, cum ad candorem, tum ad fraternũ amorem adhortatur. Dixi.

ENCOMIVM FORMICARVM scriptum ab Erasmo Ebnero.

NEmo in hoc cœtu dixit unquã, quantum equidem iudicare possum, cui perinde beneuolentia uestra, atq; mihi opus esset, non modò quia hæc ætas mea singulari fauore confirmanda, & adiuuanda est, sed etiam quia argumentum adfero, quod etiamsi nouitate placere posit, tamen ita est exile, ut nullam magnopere admirationem mereatur. Alij res gestas clarissimorum Imperatorum recitarunt, & tum honestè facta summorum hominum, dicendo ornauerunt, tum aut populorum, aut Tyrannorum turpiter facta grauissimè uituperauerunt. Ego quoniam deerat eloquentia par tamen

causæ

causis, infirmitate uirium humilius argumentum quærere coactus sum. Qua de re dum aliquot dies delibero, dumq; reputo quas res exiguas laudauerint ueteres scriptores, à Luciano uideo muscam, à Virgilio apes mirificè ornatas esse. Cum igitur mihi honestum esse putarem, ueterũ exẽpla sequi, formicas sumpsi laudãdas. Neq; nullũ operæ preciũ esse iudico in tãta naturæ uarietate hæc minuta animãtia cõtemplari. Etenim nõ modò Ethnici scriptores dignã hãc materiã in qua elaborarent putauerunt, sed etiã principes Christianæ doctrinæ, mẽtione paruarum in natura rerum delectari uidẽtur. Christus iubet nos passeres intueri: Solomon præcipit nõ modò contemplari formicas, sed etiam nos ad eas tanquam in ludum discendi causa mittit. Quid cõmemorem quàm multa animantia Basilius diligẽtissimè descripserit, & Basilium secutus Ambrosius, eadem animantium historiam in enarratione operum sex dierum penè ad uerbum recẽset, docetq; in illis proposita nobis esse à deo, & tanquam picta plurimarum uirtutum simulachra, quæ nos officij nostri admonerent. Turpissimum est enim homini tam longè à sua natura degenerare, ut à bestijs etiam uirtute superetur.

Paruarum rerum illustres imagines.

Non igitur inutile uidebatur ingenia, mores q; et totam quasi πολιτείαν formicarum describere,

quod inde plurima pulcherrimarum uirtutum ẽ xempla, et uerè, quod aiunt Græci μυρμήκια ἀγχ θῶν capere liceat. Videte autem quãtum mea me fefellerit opinio. Quod enim argumenti genus arbitrabar propter tenuitatem sine magno negotio exponi et perpoliri posse, id in experiũdo cognoui lõgè secus esse. Cõperi enim nõ mediocris artificis esse, honore uerborũ res exiles ornare ac illustrare. Quanquã igitur sentiebam me susceptoneri imparẽ fore, tamẽ quoniã non ad ingenij famã, sed exercẽdi styli causa susceperã, desistere noui, sed peregi fabulam quã inceperã. Quæso igitur uos, ut pro humanitate uestra me benignè auditis, quod si nulla alia res, tamen scholæ consuetudo à uobis impetrare debet, etsi suã laudem honestus conatus meretur, non indigni fauore iudicãdi sumus honestissimo argumento susceptoetiã si rei, quam instituimus, difficultate uicti sumus.

De ortu formicarum diuino.

Sed ut Philosophi in descriptione animãtium, primùm de cuiusq; procreatione disputant, ita et nobis formicarum ortus, inde usq; ab ouo, ut aiunt, repetendus erit. Verùm historia formicarum lõgior Iliade futura sit, si omnia cõmemorare uelim: sed hoc ad earũ laudem magnoperc pertinere existimauimus, quod cum tam multa diuinitatis uestigia in eis extant, intelligi possit, eas non sine

certo

certo Dei cõsilio natas esse, multoq; uerius quàm Poëticos heroas genus à Ioue summo ducere, ut Poëta inquit. Quomodo enim in hac terrena natura futuri præsciẽtia sine diuina ui existere potest? Nõ hãc tãtã haberet hic uermiculus industriã, lõgè alienã à brutorum captu, nulla gregalium notitia, nulla mutua collocutio inter eas esset, nulla nossent temporum discrimina, nisi mentem Deus indidisset tantarum rerum, tamq; uariarum capacẽ. Etenim sapere, meminisse præterita, cõsequentia cernere, futura præuidere, ne homines quidem, nisi diuinitus commoti, excitatiq;, possunt.

Quis enim, quamuis ingeniosus, sine dei ope, uarios motus stellarum, magnitudinesq;, molem terræ, et alia multa deprehendisset? Multò minus igitur bestiæ ratiocinari, et futura uidere, et animad uertere præsentia, nisi Dei beneficio possunt. Neque enim hæc aliunde, quàm à Deo in terrenam naturam propagantur. Habent igitur formicæ nõ dubium generis sui authorem Deum, cuius rei id quoq; signum esse intelligi potest: Nam cùm sacræ literæ mittãt nos ad formicas, tanquã ad Magistros, profectò significant hoc cõsilio à Deo fabrefactas, et his ingenij dotibus instructas esse, ut docere nos utilia possent. Vt enim nullus paterfamiliâs, si sapiat, filium docendũ tradit ei, cuius nõ

Formicæ nostri doctores.

probat eruditionem: ita credibile est, nec diuinum spiritum nos ad huiusmodi Magistros mittere, qui non doceant cœlestia. Necesse est igitur eas artes, quas nobis istæ discēdas proponunt, diuinitus in sensibus ac natura formicarum scriptas atque sculptas esse, uereq; esse in eis, ut Poëta ait: partem aliquam diuinæ mentis, et haustus æthereos. Dixi hactenus de formicarum ortu ac nobilitate, quæ non paruã cõmendationē habet: Adfert enim nobilitas nõ modò in hominibus, sed etiam pecudibus, quædã uirtutis semina, quæ á parentum natura in posteros propagantur. Nunc de ingenijs ac moribus, deq; omni uitæ consuetudine illarum dicendum est. Atq; hæc pars orationis, quid aliud habet, quàm honestißimam quandam formam recte uiuendi? Nemo Philosophorum non tradidit bene uiuendi præcepta. Sed huius insecti historia, quid sit rectum, quid turpe, quid utile, quid non, quid deceat, melius Chrysippo et Crantore dicit. Quis non hæc singularis prudentiæ diligentiæq; indefessæ opera esse dicat? Colligendi uictus tempora intelligunt, proinde aceruum frumenti in messe cõportant, cõdunt, cõparcuntq; in hyemem, præuidēt enim hyeme in uacuis agris frustra sepabulũ quæsituras esse. Onera morsu gerunt, lõgemaiora, quàm pro corporis portione ferre posse credibile

Ingenium ac mores illarum.

Colligendi uictus tempora, & modus.

dibile sit. Quædam grandiora protrudunt, tota corporis molle obnixæ: semina priusquã condant, arrodunt, ne rursus exeant in fruges è terra, madefacta imbre proferunt atq; siccant. Nec noctu, plena luna uacuæ sunt: Vsq; adeò turpe ducunt feriari, ut nullum sibi tempus idoneum labori perire sinant. Interlunio cessant ab opere, si quæ in iti nere ferendis granis grauatæ sunt, gregales norunt, et quoniam sæpe tanquã ex diuersis ciuitatibus in eadem uia conueniunt, in unum aliquem locum omnes uniuersum comeatum cõportant, ibiq; sua signa recognoscunt, ibi uelut exercitum recẽsentes, agmina separãt, & suum cuiq; auehendum tradunt. Obuiæ inter se quasi colloquũtur, ac percontantur, donec agnoscant singulæ suos ciues.

Nulla tã sapienter cõstituta ciuitas fuit unquã, quæ ad hanc formicarum politiã conferri possit. Nam cùm nullum urbibus uenenum nocẽtius sit, quàm ocium, uidetis hanc pestem procul ab hoc animalculo abesse. Nunquam ardentißimi æstus à labore absterrent, nõ noctu uacuæ sunt, quod tempus alijs animalibus natura ad quietem dedit. Nõ magnitudine itinerum, aut asperitate uiarum defatigari se patiuntur. Sed sæpe ex longinquo frumentum conuehendum est. Sæpe per cõfragosa saxa, magna ui grana in aduersos montes protru- Industria.

denda sunt. Ita omnes difficultates, non uirium magnitudo, non corporis moles, sed animi robur, & industria superat, ut adpareat, hic etiam uerum esse id, quod est apud Historicum quendam: Nihil tam altum à natura constitutũ esse, quo non „ possit uirtus eniti. Non dubium est autem, quum „ ut omnia ex ocio uitia nascuntur, ita labor ple„ rasq; pulcherrimas uirtutes gignat. Proinde nec cæteræ uirtutes desunt huic generi. Quis enim non uidet singularem iusticiæ intellectum in eis esse? quia certos dies constituunt recognoscendis oneribus, ut cuiq; agmini suum tenere sine iniuria liceat. Facile est enim ab alieno abstinere his, quibus in sua uirtute industriaq; spes posita est: sed illi qui cum per luxum atq; libidines sua effuderunt, postea rationem ineunt, quomodo de alieno beluentur. Hinc in ciuitatibus nouæ tabulæ flagitatæ, bella ciuilia, & innumerabilia alia mala, quæ ciuium discordia parit, nata sunt.

Iustitia.

Parsimonia.

Quid autem de parsimonia formicarum dicam, quæ in hoc genere maximè cernitur? Nõ enim tãtum in præsens sibi consulunt, sed comparcunt, et prospiciunt sibi in futurum: quæ uirtus cum per se magna sit, et mirabilis, tamẽ hoc etiã gratior esse debet omnibus, quod iusticiæ ueluti custos est. Neq; enim tolerare infinitos illos sumptus sine

alieno

alieno decoctores possunt, sed longè dignissima bo no ciue uirtus est, in cõmune quærere, & communia bona summa diligentia augére. Quæ res enim alia omnibus ciuitatibus exitio est, quã quòd priuata bona, publicis utilitatibus pleriq; omnes anteferunt? Atqui ita sentire nos oportuit, quoniã patriæ salute, nostra salus continetur, & quoniam ipsi à patria in qua nati, educati, ad humanitatem, & religionem instituti sumus, cuius legibus uitam nostram ac fortunas defendimus, tã multa beneficia accepimus, æquum esse, ut nos etiã illius utilitates pro uirili iuuemus, imò quidquid aramus, quidquid serimus, quidquid metimus, ad patriæ utilitatẽ referendũ esse existimemus. Deniq; illius salutem, ac tranquillitatẽ antiquiorẽ dignitate, ac salute nostra, ducamus. Hanc uirtutẽ licet in formicis cernere ad cõmunem usum, adsiduas operas conferentibus. Videtis quàm multarum uirtutum exempla nobis formicæ proponant, ad quã imaginem si maximam hominum partem contuleris, quotus quisque erit his uirtutibus præditus? Bona pars uoluptatibus atq; ocio dediti, nulla de re in omni uita sunt soliciti, quàm de cõuiuio adparãdo, aut alijs similibus uoluptatibus cõparandis. Seneca scribit, Pacuuium quendam prætorem in Syria fuisse, qui quotidie splẽdidè conuiuatus,

Seneca de quodam Pacuuio conuiuante.

cũ se copioso uino de die ingurgitasset, solitus ſit uesperi funus sibi adparare, accersere tybicines, qui funebres modos canerẽt, & hoc genus alia curare ad funeris ſpeciẽ repræſentandã. A cœna cũ iã ſuſtinere se ebrius non poſſet, iubebat se lectulo impoſitum, tanquã funus inferri in cubiculum, et cantari funebres modos: βεβίωται βεβίωται. Iudicabat enim eum demum diem præclarè se uixiſſe, quo ita eſſet conuiuatus: nec ducebat eſſe uitam adpellandã, cum non liceret eiuſmodi uoluptatibus perfrui. Quis non ſtatuat plus eſſe mentis formicæ, quàm huic Pacuuio, qui uitã homini hanc unam ad rem, ad pecudum uoluptates perfruendas, datam eſſe credidit? Et quamuis exemplum Pacuuij in funere faciendo nõ multi imitentur, dogma tamen hoc præclarum maxima pars hominũ profitetur, qui nihil in omni uita dignum homine ſuſcipiunt ac gerunt, ſed in ocio, & inter poculatemulenti ætatem exigunt. Sed quoniã ſanorum hominum iudicio, uentres iſti non homines, ſed ueriùs monſtra hominum ſunt, deſino formicas cũ his cõferre, quos nõ modo formicarum exempla, ſed ne quidem publicæ leges ad ſanitatem reuocare poſſunt. Nulla autem inter omnes laudes formicarum amplior eſſe mihi uidetur, quàm ea, quæ apud Solomonem eſt: Is enim inquit, formicas non

Solomon.

modò

modò ſtultos, ſed ſapientes anteire prudentia. Neq; ego, niſi tam grauem authorem haberem, auderem hoc paradoxum inter doctiſſimos homines dicere. Sed quia formicarum laudes colligere inſtitui, non fuit hæc prætereunda, præſertim cùm eſſet ampliſſima. Quid audio? omnibus Philoſophorum ſcholis, omnibus Rerumpu. gubernatoribus, deniq; omnibus ſapientibus uiris, formicæ præferuntur. Hoc planè eſt iuxta prouerbium, Formica camelus. Et cùm non poſſim hoc loco omnes cauſas, cur ita ſcripſerit Solomon, recitare, ſunt enim multæ, quas ex ipſius Chriſtianæ doctrinæ fontibus longè repetere oporteret, tamen unam hanc commemorandam eſſe duxi.

Tanta deſidia eſt humani animi, ita penitus hæret in noſtris medullis uoluptatum atq; ocij amor, ut nulla tanta ſapientia ſit, quæ non uoluptatum illecebris uinci, & expugnari poſſit, ut induſtriam, laboremq; remittat. Quod cùm etiam Poëtæ animaduertiſſent, finxerunt Herculem tot domitorem monſtrorum, Omphales amore captum, mulicbri ueſte, in gynecio tenentem colum. Atq; hoc illi de ſummo uiro fingebant, ut ſignificarent nullam tantam eſſe uim animi, quæ non frangi ac debilitari blanditijs uoluptatis poſſet. Compara uerò mihi formicas ad hunc Herculem,

Animi humani deſidia in Hercule notata.

aut si mauis ad Alexandrum, harum industriæ dulitatemq; nulla res unquam retardat. Illi scilicet heroes summa sapientia ac fortitudine præditi, quàm immutati sunt alter amore mulierculæ, alter etiam magis beluinis uoluptatibus? Huc igitur sacræ literæ sapientes etiam uiros accersunt, et in hanc Academiam uocant, ut discant, non modò similem in laboribus constantiam præstandam esse, sed etiam ut uideant quanta sit infirmitas humanorum animorum, qui tam facile defatigari se patiantur, ut formicæ etiam robore animi summis uiris præstent. Et has ideo intueri iubet, ut cum uiderint tantam uim uilissimæ bestiolæ diuinitus datam esse, petant & ipsi, expectentq; à Deo similem constantiam industriamq;. Sed de hoc toto loco, alij rectius dicent.

Exhortatio ad sedulitatem.

Vos autem optimi Commilitones, quoniam ita iubent sacræ literæ, intuemini formicas, & cum aliarum uirtutum exempla ab eis petite, tum inprimis earum sedulitatem exprimere contendite. Etenim si uel nulla proposita essent nobis laboris nostri præmia, tamē quoniā deus præcipit ut laboremus, parere illius uoci debeamus. Nūc autē cū etiā tāta præmia proposita sint, quæ est amentia, tātarum rerum magnitudine non excitari, aut acui ad laborem? Nil sine magno uita labore

labore dedit mortalibus, inquit Poëta. Proinde nolite putare, sine magna animi contentione ullæ uitæ præsidia comparare uos, aut retinere posse. Qua de re cũ omnes omnium doctorum uirorum libri pleni sint, et referri hoc genere exhortationum, ego uobis, quoniã propter ætatẽ, uel admonẽdos uos, uel ad cohortãdos parũ autoritatis habeo, recitabo uobis grauissimum locum, qui extat in Xenophõte, quemq; se Xenophon ex Prodici libro transcripsisse fatetur. Sunt autem contrariæ orationes Virtutis & Voluptatis ad Herculem deliberantem, utram uitæ uiam ingrediatur, uoluptatis ne, an uirtutis sequatur, sic enim ait.

Orationes uirtutis & uoluptatis ad Herculem.

Cùm Hercules ex pueritia egressus, iamq; propè pubertatem esset, qua ætate sui compotes facti adolescentes, significant utram uiam, uirtutis, an ignauiæ ingredi uelint, exijt in solum locum, seditq; tacitus secum deliberans, utram uiam iniret. Hic adparuerunt ei duæ mulierculæ maiores humana specie, quarum altera uultu modesto & liberali erat, nullo peregrino cultu aut fuco ornata, sed genuina bonitas formæ adparebat, in corpore mundicies, in oculis pudor, in incessu modestia, uestem præterea candidam gerens. Altera erat habitior, & fucata, nam & rubor, & candor maior erat natiuo. Et incedebat

bat supina, oculos latè pandens, ueste induta, quæ formã maximè cõmendabat, cõtemplans interim se, & circumspectans, an alij se uiderent, nonnunquã etiam umbram suam respiciens. Postquam autem propius uentum est, illa prior modestè pergebat. Hæc autẽ ut anteuerteret, accurrit ad Herculem, ac inquit: Video te Hercules deliberare utrã uiam ad uitã agendam ingrediaris: Quod si me tibi adiunxeris, ducam te iucundißima et facillima uia. Nulla res iucunda est, qua nõ potieris, & molestiam nullã perpetieris. Neq; enim aut bella, aut alia grauia negocia curabis, sed hoc unum cogitabis ac quæres, ubi aut cibum aut potum suauiorẽ inuenias, aut quod delectet oculos, aut unde olfaciendo, aut tangendo aliquam uoluptatem percipias, aut ubi amoribus perfruaris, aut quomodo mollißimè cubes, & quomodo hæc omnia sine aliquo labore consequaris. Etsi quis inciderit metus egestatis, nõ est quod timeas me tibi aliquid laboris impositurã esse, efficiam enim, ut fruaris his, quæ alieno labore parta sunt in prõptu. Nec ulla re abstinebis, unde modo speres te aliquã uoluptatẽ posse lucrifacere: Ego enim meis sodalibus protestatè facio, ex omnibus rebus uoluptates decerpere. Hæc Hercules audiẽs, inquit: Mulier, quod est tibi nomẽ? Tũ illa: Mei sodales uocãt me Facili-

Voluptas.

cita-

citatem. Qui me aſpernãtur, uocant me Ignauiã.

Interea acceßit et altera mulier, dixitq;: Venio Virtus.
et ego ad te adoleſcens: Noui autem tũ generoſos parentes tuos, et indolẽ educationemq; tuã: Hæc mihi ſpẽ faciunt, fore, ut ſi me ſecutus fueris, magnas et honeſtas res geras, et me multò clariorem apud homines efficias. Nec longa te præfatione, quæ ad uoluptatẽ fingi ſolet, morabor, ſed ſimplẽciter id quod res eſt, uereq; narrabo, quod Dij cõſtituerunt. Nulla uera bona, ſine labore curaq; mortalibus Dij dederũt. Sed ſiue Deos tibi uis eſſe propicios, placãdi ſunt: ſiue ab alijs diligi uis, beneficijs adiũgendi ſunt: ſiue honore adfici à ciuibus cupis, bene mereri te de patria oportet: ſiue uis in admiratione eſſe apud omnes Græcos, bene factis id te cõſequi oportet: ſiue uis ut terra pariat tibi fruges, colẽda eſt: ſiue ex pecudibus diteſcere uis, paſcendæ ſunt. Siue bello opes tuas augere uoles, ut ſocios in libertatem adſeras, et inimicos in ſeruitutem redigas, belli artes diſcendæ ſunt ab his, qui eas norũt, et exercẽdæ, ut quomodo eis utẽdum ſit, ſcias: Si robur corporis uis cõfirmare, cõſuefaciendum eſt, ut rationi obediat, et exercendũ magno labore ac ſudore. Quod cũ dixiſſet uirtus, interpellat eã ignauia, inquiens: Vides Hercules, quàm aſperã et longã uiam ad fœlicitatem hæc tibi mu-

bi mulier ostendat, quo ego tibi compendiariam & planam uiam monstraui: Tum uirtus: O misera, dic nunquid habeas boni, et nunquid suaue unquam cognoueris? quæ nullum laborem uis illorum consequendorum causa suscipere. Et ne quidem expectas naturale desiderium suauium rerum, sed antequã natura expetat eas, imples atq; obruis te, edis priusquam esuris, bibis antequã sitis, condimenta uaria ad irritandã famem excogitas, uina preciosa, ut inuites sitim, cõparas, in æstate niuem quæris: Et ut suauiter dormias, non modo mollia strata, sed etiã lectos facis, somnũ enim accersis, nõ ut per laboris interualla quiescas, sed inopia negocij, sine pudore ac legum metu amori operam das, nocte abuteris, & optimam diei partẽ somno perdis. Et cum Deã te esse glorieris, ex Deorum numero ejecta es, aspernãtur te et honesti homines. Neq; unquã suauissimum carmen, tuas laudes audiuisti. Et pulcherrimum spectaculum nunquam uidisti: Nullum enim unquam recte factum tuum spectasti, Quis tibi improba credet? quis egenti dabit aliquid? Quis sanæ mẽtis in tuo choro esse uelit? ubi iuuenes imbecilli corpore sunt, senes fatui, qui cũ adolescentiã in ocio perdiderint, senectutem miserã & calamitosam agunt. Tunc & pudet anteactæ uitæ, & piget primum

quærere

quærere necessaria ætati subsidia. Suauia in adolescentia ante tẽpus præcerpserunt, laborem et ærumnas in eam ætatem distulerunt. Ego uerò apud Deos uersor, et apud honestos homines. Nullũ honestum facinus, neq; Dij neq; homines sine me faciunt, ideoq; me et Dij et homines honore adficiunt. Grata sum opiculatrix artificũ, fida custos familiæ dominorum, beneuola adiutrix seruorum, iucunda comes laborum in pace, firma periculorum in bello auxiliatrix, optima amicitiæ socia. Et mei amici suaues uoluptates sine fastidio percipiunt ex cibo et potu, expectãt enim illorũ naturale desideriũ. Somnus etiã suauior eis est, quàm ociosis, quem etiam cum opus est, sine molestia abrumpunt, nec propter hunc, necessaria intermittunt. Et iuuenes senum laudibus gaudent, et senes delectantur iuuenum honoribus, et incredibili uoluptate rerum à se gestarum meminerunt. Et sine difficultate præsentes labores conficiunt, per me Dijs chari, amicis, chari patriæ. Et cum ex hac uita discedendum est, non obscuri aut ignoti iacent, sed laudes eorum perpetuò à posteris prædicantur. Hæc tibi ô fili bonorum parentum Hercules contingent, & ueram fœlicitatem stabilemq; ita consequeris, si laborem non defugies.

Sic uirtus apud Xenophontem cõcionatur, et

ad

ad labores ſuſcipiendos, nõ tãtum Herculem, ſed omnes adoleſcentes, uerißima grauißimáq; uoce hortatur. Qua oportuit aures ueſtras undiq; circũſonare, et inertes animos tanquã claßicos excitari. Atq; hanc ipſam uirtutis orationẽ diuinitus in formicis ſcriptã putate, quas quoties uidebitis, ueniat in mentem hãc uobis imaginem, quae uos ad laborem incitet, in terris à Deo propoſitã eſſe. Et ſicut comœdiæ exhibentur, ut in illis exemplis diſcamus, quid in uita deceat: ita Deus in hac rerum natura uaria ſpectacula fecit, quæ noſtri cij noſtri cõmonefacerent. Proinde cum formicæ cõuehentes grana, condentesq; in cõmune ſpectabitis, exiſtimate hanc tanquã Dei uocem eſſe, quæ iubet ociũ, nocentißimam peſtem fugere, et ſuſcipere honeſtos labores, quibus et nobis ea quæ in omni uita neceſſaria ſunt, cõparemus, & ſocietatis cõmunem hominũ iuuemus. Quod ſi facietis, faue bit ueſtris illis laboribus Deus, et omnẽ uitæ curſum fortunabit. Contra eos qui capti amore ocij uoluptatũq;, nõ uolent formicã audire, atq; imitari, ad quã à Deo tanquã ad magiſtros miſſi ſunt, hiſciãt ſe grauißimas pœnas cõtemptæ magiſtræ, imò cõtempti cœleſtis mãdati, daturos eſſe: oditenim ocium Deus, ideoq; non unum calamitatis genus ex odio naſcitur. Dixi.

Primi

PRIMI TOMI DECLAMATIONVM Philippi Melanthonis Catalogus.

Adhortatio ad Christianæ doctrinæ per Paulum proditæ studium. 8.

De Theologicorum studiorum dignitate Oratio. 23.

Oratio de gradibus in Theologia, seu Euangelij Doctoribus promouendis. 39.

Adhortatio ad omnes sacrarum literarum studiosos, de doctrinæ puritate in Ecclesia conseruanda. 47

Oratio de dignitate studiorum Theologicorum, ac ministerio Ecclesiastico. 59

Querela Lazari, ad omnes Reipub. gubernatores. 70

Historia de Diuite et egeno Lazaro ex 16. cap. Lucæ, uersibus reddita. 81

De exemplo emendati Latronis in cruce propugnantis gloriam Christi. 87

Oratio de admirando Dei opere, quo testatur Deus se perpetuò Ecclesiam Christi in mundo cõseruare. 105

Oratio de diuo Paulo Apostolo. 119.

Responsio ad scriptum quorundam delectorum à Clero secundario Coloniæ Agrippinæ. 142.

Oratio de legibus, deq; eo Iure, quod in scholis hoc tẽ

pore, et in iudicijs, in bona Europæ parte regnat. 194
Christianis nõ esse necessariũ uti legibus Mosaicis, sed licere uti legibus, quæ Iuri naturæ sunt cõsentaneæ, etiãsi cõditæ sint ab ethnicis Magistratibus. Ité Romanum Ius antecellere legibus aliarum gentiũ. 243
Res non iudicandas secundum arbitrium iudicis, sed secundum Ius scriptum. 254
Vtrum magis expediat regi ciuitates arbitrijs gubernatorum, an scripto Iure. Item de ueterum interpretum dignitate. 261.
Oratio de Iustitiæ Aequitatisq; scriptæ, ac de strictiõris ratione: ex l. Placuit, C. de Iudicijs. 271
De dignitate Legum, quarum & est, & futurus est usus, etiamsi magnæ fuerunt, & nunc sunt, & impendent rerum humanarum mutationes. 280
Oratio de laudibus & utilitatis magnitudine artis Medicæ. 291.
Non aliam artem ex prophanis, aut plures utilitates ad uitam adferre, aut digniorem esse Medicina. 302
Oratio contra Empiricos Medicos, qui magnacum pernicie hominum Medicinam exercent. 312
Oratio de artibus liberalibus. 324
Ecclesijs opus esse liberali eruditione, & non tantum cognitione Grammatices, sed etiam aliarum artium, & Philosophiæ scientia. 343
Oratio de doctrina Physica, quæ non solùm cognitionis sed

nis seu oblationis causa, sed ut seruiat multis uitæ partibus traditur. 354
De laudibus & utilitatibus Astronomiæ ac Geographiæ Oratio. 364
Oratio de ea parte Astrologiæ, quæ de Syderum effectibus in natura inferiore disputat. 376.
De multiplici Arithmetices & Geometriæ utilitate, atq; dignitate. 386
Oratio de Dialectica, sine qua, nulla ars penitus cognosci, aut percipi potest. 400
Necessarias esse ad omne studiorum genus, artes dicendi. 407
Oratio de studiorum Eloquentiæ exercitijs, atq; laudibus. 439
Oratio in laudem nouæ scholæ, Noribergæ in cœtu doctißimorum uirorum, et totius fermè Senatus, à Philippo Melanthone habita. 457
De dignitate uitæ scholasticæ, deq; Scholasticorum ordinum comparatione, cum cæteris ordinibus & uitæ generibus. 466
Quo consilio olim gradus discentium instituti sint, & quantum ad communia studia literarum momenti illorum conseruatio adferat. 480
Oratio de Gradibus scholasticis, deq; utilitate examinum, atq; de primis artibus. 486
De corrigendis adulescentiæ studijs. Item quibus auspi-

eijs Latina discēda sint, et Græca tentāda. 505.507
De emendatis scholis restituendis, sine quibus in eccle
sia pura Euangelij doctrina cōseruari nō potest. 511
Oratio de studijs inferiorum artium, quæ ad cognos
cendas superiores artes, uiam sternunt. Item de or
dine discendi. 542.
Oratio de linguarum studijs, & utilitatibus, nempe
Latina, Græca, & Hebraica. 552
De concordia, et communicatione studiorum, atq; ope
rarum, sine qua retineri, & consistere Respublica
non potest. 567
Oratio de miserijs & ærumnis Pædagogorum, quas
tum in docendo, tum regendorum morum cura, perfe
runt. 577
ORATIO de amore Veritatis, seu de odio Sophi
stices. 595
Oratio de fugienda Sophistica in dirimendis contro
uersijs Ecclesiasticis. 604
Oratio de Regum officio, Videlicet, an in tanta religi
onum dissipatione, Romanus Imperator Synodum
indicere, & ea, quæ ibi rectè & piè constituentur, ar
mis tueri debeat. 611
Quæstio, Quare Plato dixerit optimum esse statum
Reipub. eum, qui medius est inter Tyrannidem et De
mocratiam, proportione Geometrica. 637
Oratio de Gratitudine, digna cum bonis uiris omni
bus, ha

bus, tum uerò præcipuè bonarum artium, ac literarum studiosis. 632
Oratio de Ingratitudine, impietate, & scelere Cuculi. 643
De utilitate Fabularum, quarum puerorum animi excitati, eriguntur in rerum humanarum contemplationem, & ad uirtutum uitiorumq; discrimina agnoscenda. 656
Oratio contra adfectationem nouitatis, & aliarum ineptiarum, in uestitu. 665
De crudelißima urbis Romæ direptione, et indignißimo casu ciuitatis omnium Reginæ atq; dominæ. 684
Oratio de temulentia & ebrietate, in qua inest Asotia, id est, uita immanis & beluina: Dei pariter atq; hominum, omnisq; honestatis contemptrix. 700
Encomium Sueuorum, qui à maioribus incredibili uirtute fideq; præditis, orti sunt. 724
Oratio de antiquitate & laudibus Franciæ. 742
Oratio de encomio Formicarum, in quo ingenia, mores, & tota illarum quasi Politia describitur. 768

Catalogi Orationum Primi Tomi
FINIS.

INDEX RE
RVM MEMORABILI-
um primi Tomi Declamatio-
num Philippi Melan-
thonis.

Abenzoar. 334.
Achillis clypeus. 421.
Achillis atrocis. conui-
cium temulentia. 713.
Adæ lapsus. 28.
Aduersarij taxandi gra
uiter & uere. 103.
Agesilaus equitat in ba-
culo cũ paruis liberis.
567.
Alesius exul. 528.
Alexãder studiosus me-
dicinæ. 358.
Alcuinus. 510
Amicitiæ Philosophicę.
478.
Anabaptistarum furor.
53.
Analytica posteriora.
515
Andromaches querela
depingit sophistas. 612
Animæ updlices Plato-
nis. 391.
Animaduersiõis in prin
cipes exemplum. 732.
Anni descriptiones va-
riæ. 370.
Annus producit non a-
ger. 484.
Antonius Imp. studio-
sus medicinæ. 358
Apologi legislatorum
663.
Arij incendium. 53.
ἀριστοκρατία. 571.
Aristogitonis apud De
mosth. tetra imago. 655.
Arithmetica. 334
Arithmetica prima ar-
tium. 389
Arithme. usus. 389. 391.
Ars non omnia præui-
det. 377.
Artes præludia sapien-
tiæ. 359.

Arti-

Artes à ueteribus quomodo traditæ. 397.
Artes mediocritatem quærere. 614.
Artis definitio. 377.
Artium origines. 332.
Artium genera tria. 513.
Artium ſtudia neceſſaria. 237. 251. 458. 522.
Aſtronomia μαντικὴ 373.
Aſtrologia pars phyſices. 336.
Aſtronomia. 337. 365.
Aſtronomię ſtudioſi imperatores. 366.
Aſtronomia cum cœlo ſeneſcit. 367.
Aſtronomiã extenuat Fauorinus. 378.
Ate & Litæ Homericæ. 575.
Athenienſis oratoris dictum. 651.
Aularum ſemidei. 468.
Authores quomodo euoluendi. 488.
Baptiſta cladis Hieroſolymitanę nũcius. 694.
Bambergenſis ager. 761
Beda. 510.
Bigotius Gallus. 202.
Buceri uxores honeſtæ. 191.
Buceri doctrina. 195.
Camerarius. 766.
Capnio. 740.
Capnio ad Argyropylum Romæ. 564.
Caſtellanus. 202.
Catilinæ geneſis. 579.
Chelis Mercurij. 328.
Chriſti ſupplicium ſemper in conſpectu. 87.
Cicero non recte reprehendit Platonẽ. 473.
Claſſes in ſcholis ut ſepta. 481.
Cleon πολυπραγμων. 133
Cœlibatus impius. 176. 186.
Cœnæ domini prophanatio. 168.
Concordia Eccleſiaſtica requirit doctrinæ puritatem. 49. 56.
Cõiugij caſtitas. 182 184
Crapula furijs terribilior. 717.
Crapulã unde Galenus dictam uelit. 709.

Creatio pictura operū Dei. 31.
Critiæ sophisma. 650.
Cueuli historia. 647.
Cupidinis Luciani Dialogus. 341.
Conradus Celtis. 765.
Decalogus & Philosophia medicina corporis mundi. 35.
Dei posteriora. 115.
Demosthenes studiosus Thucydidis. 448.
Dialectica reddit ingenium elegantius. 334. 333. 502. 514.
δημοκρατία. 629.
Diogenes alicuius pædagogo impegit colaphum. 592.
Discendi, docendiq; veterum ratio. 428. 547
Discipulorum ingratitudo. 591.
Discordiæ pestes ecclesiarum. 51.
Docendi munus sacrificium. 62.
Doctores qui pericula sustinere queant. 57.
Doctores ueluti numina. 65.
Doctrina duabus rebus comparatur. 347.
Doctrinæ deprauatio summa malorum. 54
Ebrietas monstrosa. 701
Ebrietatis morborū series. 705.
Ebrietatis furor in Cambyse. 715. Alexandro. 721.
Ebrietas delicatum cubile Sathanæ 723.
Ebrioſi nullus ulla in re usus. 711.
Ebriosorum cædes. 718
Ebriosorum mali genij. 719.
Ebriosorum Sathan minister. 720.
Eloquētia. 411. 415. 439
Ecclesia ueluti curruca. 649
Ecclesia mirabili potentia defenditur. 110. 113. 117
Ecclesia exulans. 527
Ecclesiarum nostrarum miracula. 98
Ecclesiarum opes. 106
Ecclesiæ & scholæ conjunctæ.

iunctę. 63. 66. 67. 106. 531
Ecclesiæ militia. 104.
Ecclesiæ uox una perpetua. 128.
Ecclesiæ ueræ tituli. 199.
Ecclesiæ opus est liberali eruditione. 344. 346. 363.
Ecclesiæ imago Halciones. 645.
Ecebolus Rhetor apostata. 541.
Euangelij lumen apud quos custoditum. 34.
Euangelij duæ conciones. 95.
Examinationum utilitates. 488. 492.
Experientia sine arte latrocinium est domesticum. 317. 318.
Fabula Agrippæ Reip. salutaris. 662.
Fabularum laus. 657.
Fabulis infantia nostra & puerorum ingenia subleuantur. 657. 660.
Fabularum uis maior quàm Mercurij et Orphei. 662.
Fatum.
Fera septentrionalis &c. Sarmatica. 718.
Festina lente. 485.
Finis summi boni. 25.
Florentia fouet Græcos exules. 462.
Formicarum ortus diuinus. 770. Colligendi uictus tępora & modus. 772. Industria. 773 Iusticia & parsimonia. 774.
Franci regnum in Gallia constituunt. 748.
Franciæ reges cur Christianissimi. 655.
Frāciscus Stadianus. 516
Francorum ducatus, Principes, Episcopi, Burggrauij. 759.
Fridericus Barbarossa. 731.
Frugum inuentoribus honores attributi quare sint. 635.
Furiosi sunt qui leges contemnunt. 213. 221. 242. 263.
Germanorū hospitali-

tas. 633.
Germaniæ dotes. 749.
Gotthi sacris parcũt. 690
Grãmatica nutricula omnium artium. 501.
Gratiarum tẽpla apud Græcos. 639.
Gratitudo fons iustitiæ. 641.
Gratitudo max. uirtutum nutrix. 632. 634.
Gratitudinis exempla in bestijs. 640.
Græca lingua. 565.
Grego. Tifernates. 556.
Gubernationis difficultas. 114.
Gubernationis prẽcipui fines. 620.
Halciones imago Ecclesiæ. 645.
Hæreses ex linguarum insciția. 555.
Hippocra. honores. 297
Hispani nouę disciplinę magistri inter Germanos. 692.
in Homero quid obseruandum. 420.
Hominum conditio & miseria. 34
Hospes ingratus. 654.
Huttenus. 766.
Hyades sydus turbidũ. 368.
Impiorũ gaudium. 37.
Inclinationes naturę disciplina reguntur. 385.
Indocti audaces. 352.
Ingratis discipulis cucullus insculpendus. 654.
Interpretes legum. 234. 265.
Inuidia nutrituana furdia. 519.
Inuocatio arx piorum. 162. 166.
Irnerius. 267
Iudicandi peruersitas huius seculi. 43. 60.
Iudicia ex arbitrio periculosa. 218. 219. 753.
Iupiter apud Ethiopas conuiuans. 25.
Iure scripto utendum. 217. 221. 253. 257. 259. 264.
Ius Saxonum ex Romanis legibus emendatum. 228.

Ixion

Ixion concumbens cum nube. 491.
Laratan Pythagoræ doctor. 334.
Latronis sinistri imago. 91.
Latronis dextri εἰκὼν. 93.
Lazarus imago ecclesiæ. 68. 71.
Lazarus sui temporis Ieremias. 72.
Leges & uictum mutare periculosum. 216.
Leges gentium ex Romanis animam sumunt. 231.
Legum Romanarū dignitas. 232. 250.
Legulei indocti. 236. 237.
Legis pernicioſæ author accusabatur. 238.
Leges Hebræorum, Solonis, xij. tabularum. 223. 225. 259.
Leges idem Reipub. quod nautis sydera. 225.
Leges sumptuariæ. 668.
Legibus diuinis adiunctæ Euangelicæ literæ. 10.
Legibus qui loci patrocinentur. 208.
Legum moderationis ubilocus. 268. 274. 276.
Leonum fœtus. 490.
Leporum concio. 188.
Lex de monoculo. 270.
aut Lex aut tyrannis. 281. 284.
de Linguarum studijs constitutio. 557.
Linguas ad omnes artes tractādas requiri. 561.
Lite & Ate Homericæ. 575.
Literarum imperitia iræ Dei exemplum. 433.
à Literis simile. 544.
Literarum ruina. 509.
Locrensis lex. 241. 260. 270.
Lotharius. 266.

Mal-

Malchion prodit Samo sateni delirium. 66.
Marchionis Ioach. oratio ad liburnos. 446.
Mathematũ studia 510.
Medicina humani corporis contemplatur ædificium. 295. 309.
Medicinæ autor Deus. 304.
Medici facetia de fluxionibus e manu dextra. 708.
Medicorum stipendia. 299.
Medicorũ histriones & zizania. 300. 312. 323.
Medicinę beneficia. 305.
Medicorum libris rerũ natura depicta. 321.
Melancholicorũ exempla. 598.
Misericordiæ diuinæ insigne exemplum. 119.
Morionis exẽplum. 437
Mortuorum mentio & semina uperstitionum. 159. 165.
de Narcisso fabula. 495
Nazianzenus episcopo patre natus. 185
Noribergæ laus. 461
Ordinẽ studiorũ non seruates sunt canes Aesopici. 404. 483. 562.
Osius Episcopus cõprobat sycophanticam formulam. 608.
Pacis commoda. 355.
Pacuuius Syriæ prætor conuiuans. 776.
Pædagogi miseriæ. 577
de Pallade fabula. 388.
Pantheræ mitiores quã Pontificij. 102.
Parlamentum. 756
Parrisiensium stolidiarticuli. 433
Pastorum ecclesiæ miserа conditio. 75.
Pauli eloquentia. 17.
Paulina nauis. 129.
Paulinæ doctrinæ summa. 10. 15. 125. 130.
Paulus unicus malæ cõscientię cõsolator. 19.
Paulus nullo suo merito uocatus. 127.
Periclis eloquentia. 120.
Pericles quare excellẽs. 359.
Philippus Macedo no-

tat ingratum. 653
Philosophandi uera ratio. 521.
Philosophia regnum nugarum. 12.
Philosophia sacris literis collata lucem adfert. 405
Physica medicinæ pars. 357.
Physica pars Ethices. 359.
Physica Ecclesiæ utilis. 360.
Picus. 413.
Planetarum concursus anno XXIIII. 381
Platonis grauissimum dictum. 600.
Platonis opt. Reip. status. 628.
Podagra Bacchi & Veneris filia. 706.
Pœnę libidinum. 183.
Pœnæ sunt uoces Dei. 273
De pœnitentia. 153
Politia ceu domus artificiosa. 245
Politia Ieremiæ. 137.
Politici ordinis custos 685
Deus. 272.
Pontificatus prodigiosus. 73.84.97.99.146. 169 193.
Preces purioris Ecclesiæ. 164.
Promotiones uocationis testimonia. 41. 44. 47. 487.
Proportio Geometrica. 630.
Puerorum artes decipiendi magistros. 589.
Ranarum & murium pugna. 660.
Regiomontanus. 763.
Religionis uerę author. 25.
Reipub. optimę imago. 570.
Rerumpub. duæ pestes. 364.
Rerumpub. uenenum legum morumq; mutatio. 667.
Resp. adumbratę Philosophorum. 230
Roma Princeps Imp. 697.
Romę urbis direptio.

Romana

Romana disciplina militaris. 689.
Romanæ bibliothecæ. 692.
Sacerdos impostor Tubingæ. 170.
Sancti de fide & timore nos docent. 167.
Sapientum septem modestia. 572.
Sathanæ insidiæ quibus turbat Ecclesias. 51. 53.
Satisfactiones. 154.
Saturum bis in die fieri. 713.
Saxoniæ Elector religionis amans. 39.
Scholæ Alexandrinæ. 63.
Scholæ ueluti curiæ & Synodi. 70.
Scholæ officinæ diligentiæ. 396.
Scholę sedes ueritatis & iusticię. 470.
Scholarum fundatio. 532.
Scholastica uita imago aureæ ętatis. 471. 476.
Scytharum barbaries. 459.
Sibaritarum luxus. 79.
Sisyphi saxum in scholis. 580.
Socratis epoda. 18.
Socrates in schola Dionysij. 326.
Sophisticæ quomodo repugnandum. 601.
Sophistica omnium tẽporum. 606.
Statua Marię in Syria. 160.
Stoffllerus. 740.
Studiorum duę pestes. 495.
Stylus. 425. 449.
Sueuici fœderis iusticia. 735.
Sueuorum antiquitas. 727.
Sydera Dei oracula. 384.
Tẽporum obseruatio cœlestę oraculũ. 369.
Temporis habenda ratio. 484.
Theocriti Comata. 454.
Theodosij lex de bo-

nis Ecclesiasticis. 76.
Theologi non casu fiunt. 43.
Theologi indocti Cadmæi fratres & Gigantes. 41. 65.
Theologia pura, eaq; contemptissima. 35.
Theologię fontes in hębraicis & græcis literis. 554.
in Theologo qualis philosophia requiratur. 350.
Theologistæ qui humanas traditiones docent. 11.
Timanthes pictor. 339.
Thraces ignari numerorum. 390.
Tyranni philosophos oderunt. 637.
Varro studiosus Medicinæ. 358.
Venter poculorum latrina. 706.
Verecundia. 74. 679.
Veritatis amor. 50.
Veritatis secta optanda. 351.
Vestitus ineptiæ nocentissimus. 665.
Vestitus animi index. 669.
Vestitus Germanorum fabulosus. 670.
Vestitus nouitas quę uitia pariat. 674.
Vestitus uarietas feritatem aut molliciem animi notat. 675.
Vestitu sumptuosiorē Milesium hospitem Athenienses ejiciunt. 677.
Vestitus causa princeps Sueuiæ sacerdotium negat petenti. 681.
Virtutis & uoluptatis orationes ad Herculem. 779.
Vlysses docet mētiri Neoptolemum. 597.
Vnctio docet. 42
Vocabula ut numi probantur. 410.
Vuicelius natura ambitiosus. 54.


FINIS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN